2265
p



JHaase.

CONSTANTINI HUGENII,
Equitis; Zulichemi, Zeelhemi, &c. Toparchæ; Principi Auriaco à Conſiliis;

MOMENTA DESULTORIA;

POËMATUM

LIBRI XIV.

Editio altera, multò priore auctior.

Procurante LUDOVICO HUGENIO C. F.

Cùm

Præfatione CASPARIS BARLÆI.



HAGÆ-COMITUM,
Ex Typographia ADRIANI VLACQ.
cIↃ IↃC LV.
Cum Privilegio Ill. Ord. Holl. ac Weſt-Friſiæ.

BOSTON COLLEGE
IHS
BOSTON COLLEGE HIGH SCHOOL
879.1
879 · 1

Syllabus.

LIB. XIV. { FARRAGO.
EPIGRAMMATUM LIBRI XII.
OTIORUM JUVENILIUM RESEGMINA.


CONSTANTINI
HUGENII
EQU.
Toparc. Zulichemi etc.
MOMENTA
DESULTORIA.

CASPARIS BARLÆI

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

CVm non ita pridem Hagæ eſſem, ſtudioſe Lector, cepit me voluptas, ea omnia ibidem luſtrandi, quæ aliquâ ſui vel magnitudine, vel elegantiâ, vel novitate ſpectatorem detinent. Fuere in oculis Principum palatia, ſylvæ partim inordinatæ, partim longis ordinibus in quincũces digeſtæ, atria tot victoriarum monumentis conſpicua, foſſæ ædificiis hinc inde ad æmulationem exſtructis

 illu-

illuſtres, curules magnificæ & pilenta *Regales vectura nurus*, armamentaria & horribiles Martis officinæ, aliaque plurima. Quæ dum luſtro, ea mihi viſus ſum vidiſſe, quæ non magis me afficerent, quàm paſtilli vectorem Sileni, aut equum pictorum tabulæ, aut ſimiam elephanti conſpectus. Verum publico ſubductus & per amicorum hic illic ſtationes domoſque oberrans, fortè in Muſæum Nobiliſſimi Clariſſimique Viri CONSTANTINI HUGENII, Zulechemi Domini &c. delatus fui. Veni huc planè tanquam capra ad feſtum ſuum, & oculis meis repperi debitas delicias, & ἴδιον Poëtarum ſpectaculum. Incidi quippe in grandem ſtruem & ſylvam Poëmatum,

quæ

AD LECTOREM,

quæ MOMENTA DESULTORIA inſcripſerat. Laſciviebã inter ſchedas haſce, conſperſa mille & mille Epigrammatibus folia, veluti inter nucum cumulos cercopithecus, aut in farris acervo curculio. Uti ex avido armorum contactu deprehenſus fuit Achilles, potuiſſem & ego deprehendi ex ſollicita chartarum volutatione. Hinniunt admiſſarii equi, cum equarum odor nares adflat. idem ferè mihi evenire ſenſi ex conſpectu tam procacis argumenti, quo paſci ſoleo, tanquam rore ſuo cicada. Nec contentus ſubitâ & perfunctoriâ lectione, precibus monitisque impetravi ab auctore, ut ea publici juris faceret. Quæ enim ille edi operæprecium non putabat, ſeculo doctiſſimo & a-

cutiſſimo, adeoque inter amicos perire volebat, ego ut ingenioſiſſima & non obvii ſaporis eidem propinanda putabam. Diſplicebat fœtus parenti ſuo, placuit ſuſceptori; & quem pro derelicto habebat, ut benè natum excepi ulnis, & nunc eruditorum oculis oſtento, uti famæ gloriæque, ita & invidiæ ſecurum. Familiare hoc magnis ingeniis, ut quæ ſcribunt optima, damnent ipſi, aut quæ artis documenta diſſimulant per modeſtiam, aliorum eſſe judicii mavelint, quàm ſui. Et fortè non eſt cujusvis de hoc ſtudiorum genere judicare. Formarum cenſores plurimos habemus, boni & erecti carminis pauciſſimos. De illis ſententiam dicere poſſunt etiam maximè deformes. De his
non

non niſi Poëtæ & ab eodem ſidere tacti. Eſt ex illarum numero facultas Poëtica, quæ actione & uſu comparantur. Et uti idoneus rerum civilium judex eſſe nequit, qui ſe rebus & res ſibi ſubduxit; ita poëmatis genium non capit, niſi ab eodem genio afflatus. Hæc ipſa, quæ vides, *Momenta* ſunt, & quidem *Deſultoria*. Momenta, quia pleraque nullo molimine, ſed impetu ſcripta ſunt, non conatu, ſed nutu, non ad lentas clepſydræ moras, ſed ſubito calore & quadam feſtinandi voluptate, ut veluti per tuſſiculas & interruptos ſingultus egeſta videantur. Alia namque in caſtris inter lituos & tympana, alia domi inter ſupplicum flagitationes & amicorum officia nata ſunt.

quædam equitanti, quædam naviganti, quædam ambulanti exciderunt. quod ſanè vitæ genus uti longas moras neſcit, & cunctationes fugit, ita præcipites ſubitoſque animi motus amat. Deſultoria ſunt, quia cum non in caſtris ſolùm, ſed & in aulis alia ſe ſemper offerat rerum facies, alii hominum vultus, aliæ curæ, motus, juſſa, non potuit non vagari mens libera & deſultoriè ferri in res varias. Diſtrahuntur nubes roridæ à radiis Solaribus in guttulas minutiſſimas. nec aliter Autorem diſtraxere in diverſa tumultus aulici bellicique, ut animum nunc celerem nunc illuc diviſerit. teſſella, dum aquarum ſuperficiem ex obliquo jacta radit, ſaltuatim pergit. non ſecus, Principis

cipis ſui ſubitis & iteratis imperiis avocatus, ad alia & alia deflexit & brevibus intervallis ad ſe rediit; non diſſimilis Monomeris, Orientalibus populis, (ſi fides Gellio) ſingulis cruribus ſaltim currentibus. Non fertur uno tramite Poëta noſter, ſed in vagum, & quaquaverſùm curſitat. E cœlo in terras, è terris in cœlos rapitur. modò in ſylvis, modò in montibus, modò in aquis eſt. ab urbibus in domos, ab his in urbes ſaltum facit. Jam illi vir, aut fœmina aut maleferiatus aliquis carmen facit. à flammis & incendiis publicis accenditur, rapitur per vaſta maris ſpatia, cum Meteoris aſſurgit & erigitur, mordet officioſam & inofficioſam ſupellectilem, in ſingulis humani cor-

poris partibus dentem figit, per vicos & plateas ambulat veluti ædilis aliquis, & ſine populi ſuffragio pronunciat. nullam mundi particulam eximit ſuis luſibus & commentis. Vapulant illi Sol, Luna, pluviæ, grando, nix, fulmina, ignes fatui, totusque exercitus imperfectorum corporum. Specula, forfices, dentiſcalpia, acus, digitabula, flabella, & nihil non iſtorum impedimentorum ut ſtultitiæ noſtræ argumentum traducit. ita priſco Poëtarum more Superos inferosque naturam omnem & artem, totam Sapientiæ, totam Moriæ pari libertate exercet. Laudat, vituperat, ſuadet, diſſuadet, mulcet & aſper eſt. ſpeculatur cum Thalete, monet cum Socrate, cenſor
eſt

eſt cum Catone, ridet cum Democrito, flet cum Heraclito. acu pungit ipſum ſartorem, penicillo ſuo perſtringit pictorem, cum milite cæſim & punctim agit, Thaidas & Nomentanos nepotes lædit aliâ, hoc eſt doctâ & dicaci cuſpide, omnes ſingulosque Epigrammate. Eſt inter aviculas motacilla, quæ in ſaltibus non magnis ſpatiis volitat, ſed breves facit de arbore in arborem, de virgulto in virgultum diſcurſus. Idem facit noſter in hoc Operis ſui ſalicto. arripit argumentum & deſerit, intrat ut exeat, venit & abit, nec, uti ſcopulis conchæ, diu uni immoratus, ſtationem, quâ ſteterat, relinquit. ſæpius incipit, ſæpius deſinit, & repetitis exordiis multas abſolvit fabulas,

non

non ſine verbere. Non invito ad lectionem ſedentarios, & qui fœtus lambere in longum tempus amant, ac continuâ mentis agitatione ſolidos dies fatigant, non abſimiles vulturi, qui Tityi ac Promethei extis æternùm incubat, ſed eos, quibus interrupta ſunt otia, & diviſi in plurima labores, quique in ipſo conceptu pariunt. Nec ad Poëticum hoc epulum cupiam accedere triſtes & tetricos Deos, quibus nonniſi ſuſpirio exit vox, ſed quibus erudita comitas & non ficta hilaritas & ſupercilî expers frons, & jecur molle & ſplen cachinnans in virtutibus ſunt. Abeſſe jubeo vitilitigatores, & minutiarum anxios ſectatores, qui ob voculæ ſitum aut accentum, frontem corrugant,

gant, & fluctus in ſimpulo excitant. Quin & illos, qui cum noctuæ ſint, indignantur non videre ſe vim Epigrammatis obiter lecti. Etiam hic locum habet: qui nucleum eſſe vult, nucem frangat oportet. aquarum potoribus & in Bœotia natis hæc non ſcribuntur, verum Lectori attento & cui repetita lectio ſecreta aperit: quæ diluti & fatui ſaporis ſunt, guſtamus cum faſtidio & contemptu, quæ verò erecti, attentâ pitiſſatione, & frictione crebriſque morſicationibus. Joviales convivas, Mitiones, Lælios, Auguſtos, Cicerones advoco, quibus ſuave eſt jocari ſine noxa, ridere ſine felle, quibus fabæ & betæ fabrorum prandia nō ſapiunt, ſed aſellos, & ſcaros, &

apros

apros & mullos in delitiis habent. Præſtant hîc condimenta cibis, juſcula carnibus, acumina rebus, apparatus argumento, qui in rebus etiam viliſſimis elegantiſſimus eſt. Fulgent ſumi acuminum luce. res nihili inventione maximæ fiunt. obtuſa acuuntur ingenii ſolertia, & mira perſpicacitate ipſæ, ut ita loquar, cotes pungunt. Loquor citra gratiæ ſpem. plurima ſunt, quæ Bilbilicum vatem provocant; acumine, verborum emphaſi, materiæ copiâ & ornatu. Veterum Græcorum & Romanorum acutè dicta, alluſiones & hiſtoriæ hîc illìc inſperſæ pro gemmulis ſunt & coralliis, quibus plateæ, vici, lapides, utenſilia etiam corporis noſtri particulæ deſpectiores coronan-

ronantur & ſplendent. Intercurſat τὸ ἠθικὸν τῷ φυσικῷ, τὸ θυμικὸν τῷ ἐπιθυμητικῷ, miſcetur utile dulci, honeſtum utrique. jam Anacreõticum quid, jam Ariſtophanicum legis. Non unius pulpæ ſunt, quæ ſapis. Prodeunt in ſcenam mortalium ineptiæ & multiformis fatuitas. in quam Satyram non ſcribere difficile eſt. Quare non pedes ſolùm in Epigrammatibus, ſed & dentes invenies & ungues, quod ajunt, in ulcere. Nemo vapulat bonus, nemo impunè fert malus. Fingũtur mali, non ſignantur. In rationis conceptibus luditur ingenio, nullius odio. Characteres crede & ideas deſcribi potius, quàm exempla viventium. Graſſabatur Ajax in ſues, quas Græcos putabat.

bat. Etiam furiis correpti vates perſtringunt , quos neſciunt. Utopia pro regno ipſis eſt, ſubditi Leſtrygones, Phæaces, Polyphemus, Circe, Calypſo, à fictione ſunt. Nemo in ſe dici putet, quod in vitium, & fieri ſaltem poſſe putet, quidquid exaggeratur ceu factum. Qui vatibus indignantur , lapidem mordent. non loquuntur ipſi. Pythius intùs agit, quo inſpirante non poſſunt non loqui. Non peccat, qui neceſſitate peccat, & Superûm afflatu. Quisquis legere hæc Momenta vel Deſulturas voles, momentaneus ſis oportet & Deſultorius. Ita nec iræ ob hoc, nec amori ob aliud Epigramma longam moram dabis. Non ridebis diù ob hujus feſtivitatem , nec

dole-

dolebis diu ob alterius næniam. Fabulæ totius partes & dramata ſunt miles, ſtudioſus, profeſſor, ſartor, pictor, princeps, lex, legatus, ſacerdos, &c. ut Poëticam non particularem ſcientiam, ſed univerſalem eſſe credas, quæ nihil intactum indictumque ſinit.

Fruere, Lector, commentis ingenioſiſſimis. Digeſſi ea in ordinem, ut potui; ipſam annorum ſeriem ſecutus. noluit ſibi hoc negotii dari autor, & quæ cuncta habebat contemptim, aliorum curæ ſingula eſſe maluit, quàm ſuæ. Non hìc canoras nugas & rerum inopes damus. Ab ea mente profecta ſunt, quæ caſtrorum vallis concluſa, ubique eſſe amat, & palatiis circumſcripta ſpiritum extrudit latiùs in obvium quod-

cunque. Ubi tympana Martius furor pulſat, hæc Apollinis citharam furore alio quatit. Evocata à Principibus pari fiduciâ Delo Phœbum Muſasque arceſſit, & juſſus imperata facere à Dîs terreſtribus, imperat cœleſtibus. Poëmata hæc cum legis, in virtutum te area verſari puta. Erga amicos candidus eſt vates & officioſiſſimus, in improbos acer, in Patriam pius, in Principes ſuos gratus, in hoſtes publicos animoſus, in rebus lætis comis, in triſtibus ſerius, in ſacris religioſus. ut non boni vatis ſolummodò notas, ſed & civis optimi ubique deprehendas. Qui famem publicam redimunt, novi commeatus & luculentæ frugis vecturâ, gratiam publicam merentur. Ean-

dem & mihi deberi puto, qui deſideria doctorum recreo ſapidiſſimis bellariis. Si ſapient tibi, evaſiſti maledictum meum. Si non ſapient, exſpue. Non fert thuris odorem ad ſtivam enutritus, nec erecti carminis fragrantiam gens Arcadum.

LUDOVICUS C. F. HUGENIUS Lectori S.

STatim à Barlæo præfari, ut mearum neque virium ſit neque frontis, Lector; qui me tamen editore nunc uteris, æquum eſt quàm breviſſimè exponentem feras, quid ipſe momenti tulerim ad hæc Momenta, & me allaborante quid acceſſerit priſtinæ editioni. Accedunt, ecce, & operi præmittuntur Inſcriptiunculæ, quibus illud Autor ante ſeptennium, & quod excurrit, amicis dedicavit. Harum te capiet, niſi fallor, ipſi Naturæ grata varietas, & in pari argumento, cum eòdem omnes tendant, ſingularum diverſus ſermo, vel acumen. Haſce ab indulgentia Patris mei cùm impetraſſem, ipſa rei ratio exigere viſa eſt, proximo agmine ut incederent quæ ad Inſcriptorem ſinguli amico-

amico-

amicorum reſcripſere. Hiſce item ab eadem benevolentia extortis, ne quid ſit fraudi mihi, ſuum ſingulis aſsignavi ordinem, quo quæque ſcripta vel perlata vidi; ne hìc quidem, ut opinor, malè de te meritus, qui tot præſtantium ingeniorum eaſdem cogitationes exhibeo tam longè diversâ verborum elegantiâ comptas. Hactenus in veſtibulo verſamur: mediam ædificii molem totam priori ſimilem reperies; poſticam verò totis tribus libris novorum Epigrammatum auctiorem; quibus an ſe videri poſſit Auctor, quantum prioribus pleroſque ſuperaſſe, ne quid affectu ſanguinis impellente protrudam juvenilius, tui arbitrii facio.

In Poëmatia & Otia
Illuſtris Viri
CONSTANTINI HUGENII,

Equitis, Zulichemi Toparchæ, Celſiſſimo Principi à Conſiliis & Secretis.

CONSTANTER Patriæ ſoli Patriæque Parenti
 Qui vacat, & ſoli vix vacat ipſe ſibi,
Urbanis procul officiis caſtriſque relictis
 Ipſe ſuis hìc ſe reddit, & ipſe ſibi.
Hìc canit. &, quantum ſupereſt Patriæque Patrique,
 Poſteritas, tantum nunc vacat ille tibi.

DANIEL HEINSIUS.
Ex tempore ſcribebat.

In Poëmata
DOMINI ZULICHEMII,
Ad Lectorem.

ENthea ſydereæ qui, Lector, acumina mentis
 Tot ſine labe ſales deliciaſque ſtupes;
Quæ venereris habe: Niſi ſis Deus ipſe, Deive
 Inſtar habens, tanto non capis æqua Viro.

THEOD. GRASWINCKEL.

IN

IN CONSTANTINI HUGENII, Poëmata.

HUgenidas nuper Muſas cùm fortè rogarem,
Ut canerent Domini laudibus apta ſui;
Omnia cùm poſſent, id ſolùm poſſe negarunt;
Hoc illæ vitium ruſticitatis habent.
Cætera ſollicitant nequicquam hic numina vates;
Hugenides illud non potuere Deæ.

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS.

In Nobilis & Illuſtris ZULICHEMII Domini OPUS POETICUM.

Ad

Sæculi noſtri Bataviæ Poëtas.

TOlle caput, dejecta cohors, inhonoraque vatum
Turba, Poëtarum jam novus inſtat honos.
Sidera ſublimi feriamus vertice cuncti,
Æthereâque velit quilibet ire viâ,
Neç ſibi flectendas deſperet Principis iras
Si quis in irato Principe Naſo gemit,
Dum ſacras quatit aula fides, vicinaque ſceptro
Purpura Pierias veſtit amica Deas.
Temporis hæc fortuna mei eſt, quæ falſa Quiritum
Gloria. Quis, Scythica dum dolet exul humo.
Quis fuit Auſonia magnatum doctus in aula?
Vel quis Doctorum, dic mihi, viſus amans?
Quis vindex, quis fautor erat? nemo, Hercule, nemo.
Ibat in exilium turba novena ſuum,
Barbarie capiente locum, cum ſurgere vates.
Iuſſus; in auguſta tunc nihil Vrbe fuit

Auguſti, magnique nihil. Nunc ſidera ſplendent
Altera, & aulai in culmine Muſa ſedet;
Proſcribitque malas artes, attentaque præſtat
Ora Ducum, & cunctis civibus una placet.
Admirande virûm, cui lotis carmina labris
Fundere, & in Furias intumuiſſe pias
Affectem, niſi tanta tuæ ſpiramina mentis
Sola forent. mihi tu præcine, ponè ſequar.
Imus ego, tu ſummus eas. hoc ordine vates
Stant Batavi. noſter Pollio in arte prior,
Mecænas nos Belga præit. Romana ſequuntur
Nomina. tunc ſæcli gloria, vatis erat.
Nunc vatis quoque, ſed vatum ſolius amantis
Hugenii, vel-dic terſius, Eugenii eſt.

C. Boyus, ICtus.

CIↃIↃCXLIV.

Ad Lectorem.

QUos legis, ingenii totidem miracula, verſus,
Heic lege quâ deceat lege ſtupere tibi.
Hæc aliena locis, alieno tempore nata,
Hugenii cerebro tam bene nata vides.
Temporis hæc puncto, ſi non ex tempore, fudit
Singula, quæ punctum temporis omne ferent.
Ille Poëtarum Deus Otia fecerat olim,
Et præſens Batavûm Phœbus ephebus erat.
Hoc, dùm ſuſtinuit vir tanta negotia ſolus,
Publica procurans commoda, panxit opus.
Non labor illud erat, ſed deſultorius altâ
Fronte remittentis ſeria luſus erat;
Uſque ſtylum revocante manu, retrahentibus illam
Undique millenis ſollicitudinibus.
Carmina ſeceſſum quærunt ſcribentis; Apollo
Hic nequit Auriaci rebus abeſſe Iovis.

Illa

Illa tamen mediis ita deproperavit in actis,
Ut ſuperent cultum, Phœbe Latine, tuum.
En tempus quo nata vides Epigrammata, Lector.
Cum venia poterant qualiacunque legi.
Natales nunc hiſce locos, attende, docebo.
Ut magis obſtupeas, id quoque ſcire tuum eſt.
Turbida caſtra, boans ſtabulum, palatia Martis
Horrea, trux pelagus contribuere locos.
Barbaries armata manu, Neptunius horror,
Aurigæ, calo, mulio, nauta ferox,
Hortantis ſocios inſana celeuſmata nautæ,
Clamor agaſonum, jurgia, pugna, furor,
Quadrigæ, quaſſata ratis, ſtridorque rudentum
Undique grandiſonis obſtrepuere modis.
Quadrupedes, bipedes aſini, vinoſa Gradivi
Orgia, Bellonæ Muſica, Muſa tubæ,
Tympana rauca, minax lituus, vocumque virumque
Prœlia pacatæ concrepuere lyræ.
Perfidus Hugenii Boreas turbavit avenam,
Sæva Noti rabies barbita, plectra, fides.
Quis locus Aoniis inter loca Martia divis?
Collocat Aonias hîc tamen ille deas.
Quis locus Aoniis inter Neptunia divis?
Hìc tamen Aonias collocat ille deas.
Nempe ſuo totum circumfert pectore Pindum.
Sic ubi juſſa fuit Muſa venire venit.
Sic toties cum Marte coït, cum rege Profundi
Euterpe toties Hugeniana coït.
Sed coïtu Venus omnis abeſt. neque pagina prurit.
Ulla, meat chartâ virgine caſta manus.
Ecce, locos ſcribentis habes, en tempora, lector,
Tempora momentum, caſtra ſalumque locos.
Hactenus iſta. nihil dictis, nihil addimus ultra,
Cætera nec laudo, ne potuiſſe neger.

Henricus Bruno.

IN HAGAM VOCALEM.

QVisquis es, Auguſtam peregrè qui tendis ad Hagam,
Parce foris Hagam viſere, viſe domi.
Non opus eſt Hagam nunc ire, viator; ad Hagam
In patriâ lector ſtare, jacere potes.
Ante focum reſidens, natali lentus in umbra,
Haga potens quæ ſit tota videre potes.
Magnus eam, pedibus divino carmine vinctis,
Nunc tibi circumfert, nunc tibi donat Eques.
Nunc peregrina ſibi, nunc ſe diviſa per Orbem
Hugeniâ didicit ſe tibi voce loqui.
Templa, domus, lapides, vicique, viæque loquuntur;
Ille pater vocum mille dat ora Loco.
Muta Loci natura, redi. mox Haga tacendo
Quale peroravit ſemper adoret opus.

IN HOMINEM.

NOn ſatis Hugenio vocalem verſibus Hagam
Condere, vel ſaxis addere verba fuit.
Prodigio propiore Diis adſcribitur. ante
Vis hominum, linguæ vis fuit ante loqui;
Solus homo ſemper ſolo fuit ore diſertus:
HugenI eloquiis, ecce, vel oſſa ſonant.
Artibus HugenI jam toto corpore lingua,
Nec ſemel aut iterum garrula lingua ſumus.
Lingua ſumus pede, lingua manu. de vertice ſummo
Ad talos vox eſt Hugenianus Homo.
Quæ mens, quis genius, quis ſpiritus hos agat artus,
Non Dj, non homines, iſte loquatur Homo.
In quo, muta ſuis linguis cum membra loquantur,
Garrula nunc oris lingua tacere poteſt.

HENRICUS BRUNO.

MOMEN-

MOMENTORUM

INSCRIPTIUNCULÆ

AUTORIS.

Ad Eliſabetham Principem Palatinæ.

DIva, tribus nuper ſociis excepta Poëtis
Quali te decuit paſcier ambroſiâ;
Non ego, ne dubita, tantis bellaria menſis,
Non ego, me de me judice, digna fero.
Si quidquam, bene paſta, mei, poſt fercula magni
Nominis, exiguâ ſumere lance voles,
Poſt apros grandesque datos in prandia rhombos,
Quo conſtet levior cœna, minutal habes.

Ad Cardinalem Mazarinum.

DEſpice in has valles ſummo de culmine rerum,
Heſperias Francis inter oborte faces
Sol Patriæ, Sol non Patriæ, illuſtriſſima Terris
Lampas ab occiduo tradita Richelio.
Deſpice; nec dubita, laudes augere Deorum,
Dignari radiis infima quæque ſuis.
Aſpicis hunc Cœli Solem? quàcumque movetur
Deſpicit; at certè deſpicit ille nihil.

Ad Annam Mariam à Schurmans.

ILle ego qui raris ſudata Poemata ſtillis
Sæpe dedi, toto nunc ſimul imbre pluo.
Anna, meus ſtupor, Anna, tui fax aurea ſæcli,
Porrige non ægras ad mea dona manus.
Si crambe repetita poteſt mors cocta vocari,
Hanc ego non aliquid mortis olere nego.
At ſi ſpem facio (facio, illuſtriſſima rerum)
Tædia non alias hæc habitura vices.

Da mihi te teſtem tabulis adſcita ſupremis,
Nec grave ſit, quæ ſunt ultima, ferre ſemel.
Non modò quòd brevis eſt & momentanea, mortem,
Sed, quia poſtremam, credimus eſſe levem.

Ad Comitem de Servient.

MAxime Plenipotens, qui ſeria, ludicra, parva &
Grandia, quidquid agis, plenipotenter agis:
Summe vir, his te quiſquiliis permitte rogari,
Ut Zulichemium plenipotenter ames.

Ad Comitem de Avaux.

GRande Monaſterii decus, illuſtriſſime Memmi,
Unice facundæ nobilitatis honos;
Excipe quo pacem vultu ſectaris, aperto
Excipe quæ ferimus dona ſupercilio.
Mercurio, qui in fronte libri. Oratore Deo nitor minùs eſſe moleſtus,
Prodeo prodenti nixus Atlantiade.
Si qua Monaſterii loquitur malè conſona curis,
Mercurii certè numen & omen ama.
Quid, Memmi, caduciferum pugnare videtur
Cum ſibi collega Plenipotente manu?

Ad Baronem Couvrellium.

MAgne vir, indigno nuper de carcere luci
Reddite, cui ſplendor defuit abſque tuo;
Fare, fatere, quod invitum fari atque fateri
Ipſe tui ſenſus coget & ipſe mei:
Non mea me rides, in libertate loquendi,
Compede, id eſt propriis verba ligare modis?
Hic furor eſt, hæc Anticyris inſania vatum
Digna, quod eſt licitum nolle, negata ſequi.
Excipe, quod ſi te liceat conſtanter amare,
Hoc ego de licitis & ſine fine volo.

Ad Alexandrum Humium, Eq.

NObilis Hume, meâ per ſtillas humide venâ;
Da veniam toto ſi modò fonte mades.
Naturam ſequimur: vidiſtin' ut aſſecla paucis
De Cœlo guttis proximus imber eat?

Ad Hugonem Grotium.

GRotiadæ, ſummo Belgarum, Belga Batavûm
Infimus hæc dono dat, dicat Hugenius.

Ad G. Borellum in Anglia Legatum.

ITe meum mea conventum Momenta Borellum?
In pretio, ſi vos ſpreverit, illud erit;
Hugenium implentem partes conſtantis amici
Non mare, non vinctos impediiſſe pedes.

Ad I. Iunium Collegam.

COllegæ Iunio junior Collega vetuſtæ
Dedicat exiguum pignus amicitiæ.

Ad Claudium Salmaſium.

MAxime Salmaſi, quem nil neſcire negare
Non licet, eſt quod te ſcire negare libet.
Scilicet, Hugenium ſatis inſanire Poëtam,
Vt quid te dignum crederet eſſe ſui.
Credidit hic tamen, & magnis non magna placere;
Quò magis emineant, munera poſſe viris.
Hac mercede mali tolera faſtidia Libri:
Quod ſolum poteras diſcere, ego docui.

Ad Iohannem Dedelium.

ACcipe, vir venerande, vir excellens, vir amice,
Quæ veteri titulo dixeris, hæc mea ſunt.
Non ego cuique ſuum tribuam te judice, ni te
Culturæ faciam carpere poma tuæ.

In-

Ad Danielem Heinſium.

PRimitiis inſana meis audacia magno
 Luminis uſuram ſumpſit ab Heinſiade.
Nunc puduit Cœlo nugari teſte; placetque
 Privatus, modò qui publicus error erat.
Si cauſam quis quærat; eo nos noverit ævo
 Vivere, quo, qui clam deſipit, ille ſapit.

Ad Fridericum Spanhemium.

FAx veritatis eruditæ, vir Dei,
Facunde Rhetor, magne Spanhemi, cui
De fonte vivo, an ſponte viva dixerim,
Romana pronum flumen elocutio eſt,
Qui, quod labore moliuntur maximi,
Nullo labore fundis antè maximos;
Quòd verba duris implicata vinculis,
Ambage multâ, compedum ferro gravi
Onuſta profero tibi, tanto tibi,
Tanto tibi (quid addimus?) Demoſtheni,
Cauſam fatebor, & fatenti proximè
Veniam precabor: Unica eſt; Pudor. Viden'?
Quicum loqui non audeam, ſingultio.

Ad Petrum Scriverium.

SCriptor erudite Veri, clara lampas temporum,
Seu vetuſti, ſeu recentis; Scriveri noſtrum decus;
Digne Woelevici rector, plene poſſeſſor tui;
Si Poëtæ non Poëtæ, ſi dicacis aulici
Non gravaris eſſe Lector; ecce quo bonas malè
Collocâris Lector horas, & relector peſſimè.
Altero cum Martiali, cum lituris horrido,
Cum liturâ Martiali, quantus eſt aut quantulus,
Cum nec umbra Martialis, cum nec ima Bilbili,
Cum nec infimæ ruinis, cum nec umbra dirutæ.

Si times ne fortè fauces inquinent ſordes meæ;
Ne fer ægrè quod ferendum; prona conſolatio eſt.
Abluemus hoc liquore qui nihil non eluit,
Abluemus eleganti, claro, odoro, ſpumeo,
Ῥηνικωτάτῳ Lyæi ſaltitantis hauſtulo;
Cum Poëtæ tam Poëtæ quàm bibacis Aulici
Proximo de Woelevico proximo in Vitaulio
Non negabis hoſpes eſſe literato prandio;
Cum vocabimus madulſæ dura deſultoria
Molliore verbulo momenta deſuctoria.

AD Mr ZUERIUM BOXHORNIUM.

BOxhorni facunde, viden' facundus Atlantis
Quâ gravis inclamet compita merce Nepos?
Excute quadrantem loculis. eme commoda ſpleni
Pharmaca, nec fuco ſubdola dona time.
Sunt fatui, ſunt innocui, ſunt pharmaca fixi,
Non ſublimati toxica Mercurii.

Ad Iohannem Ludovicum Calandrinum.

SI potis eſt Batavas non aſpernêre paludes,
Cui Lemanna lavat purior unda pedes;
Optime Vir, doctiſſime Vir, virtutis avitæ
Plene Vir, ipſe Patris candor, & ipſe Pater;
Ecce quid ad Boream craſſoque ſub aëre nati,
Ecce novum priſcæ pignus amicitiæ.
Mille pedes mitto; Scin' quæ myſteria ſignent
Miſſi multiplici carmine mille pedes?
Mille pedes mitto, quò, ſi per Fata liceret,
Hei mihi quam ſolis ſæpe duobus eam?

Ad Abrahamum de Mori Eccleſ. Gall. Paſtorem.

MOri, qui τὸ, Mori memento, vitâ,
Caſtis moribus, allocutione,
Ipſo nomine me ſoles docere;

Tandem

Tandem reddo vicem novo libello;
Quo te, nec lepido, nec eleganti,
Sed ſupra illepidos ineleganti,
Hoc audire puta vel hæc legentem,
Vel, quod credere malo, non legentem;
Mori, chare Mori, memento môri.

Ad Ioannem Seldenum.

SEldene fulcrum ſæculi labaſcentis,
Britanniarum grande phosphorum ſidus;
Quò te Batavum credis anſerem ignotum
Britannum olorem adire nemini ignotum?
Quò te throno ſapientiæ, throno illuſtri,
Ubi literarum, transmarine dictator
In ciſmarinas ſceptra prorogas Muſas
Ad has cicadas uſque, ad haſce deſcendas
Tricas rogare? nempe quò ſciant nati;
Sciant nepotes olim, amiculos inter
Seldenianos Zulichemium patrem
Cenſum fuiſſe ſerò, ſed tamen cenſum.

Ad Erycium Puteanum.

EXcipe me, Puteane, hoſtem non hoſtis amicum:
Non venio quà me fronte placere neges.
Quas trepidæ quondam claudebas Palladis arces,
Haſce meo quodam jure patere volo.
Pone metum. ſi tum Batavis Gallisque, Latinis
Nunc non armatis irruo Centuriis.

Ad Diodorum Tuldenum.

TUldenum ſalvere jubet conſtantis amici
Læta gravi virgo Muſa puerperio.
Suſcipe quod peperit. Si tendis brachia, magno
Iudice nec monſtri quid, nec abortus erit.

Ad Godefridum Wendelinum.

SI vacabis, Wendeline, (ſed vacare non potes)
Si tamen voles vacare (quando tu quod vis potes)
Ne gravare Lector eſſe, Lector ævi maxime,
Vilium undecim librorum Carminum nugacium.
Nolo ſpiritu tenaci, nolo longis hauſtibus
Haurias quod hìc propino. Sufficit carptim legas,
Si quid inter ambulandum, nempe per zizania,
Commatis non inficeti diſplicere non poteſt.
Nolo vel diem, vel horam, vel quadrantem des mihi.
Sæculo debetur omne ſæculo quod imputas.
Ne vel hìc morer loquendo, ſcis quid à te poſtulem?
Poſtulo quod offero, momenta deſultoria.

Ad Valerium Andream Deſſelium I. C.
Bibliothecæ Belgicæ autorem.

PRodeo, Deſſeli, qualem de Matre rubentem
Dixeris: en fuci neſcia prima caro.
Diſce quid à ficto diſtem, quem gratia, vęcors
Gratia amicorum pinxerat, Hugenio:
Nec dubita infamem pulchro de corpore nęvum
Tollere, quo ſolo Bibliotheca rubet.
Ejice de numero magnorum vile virorum
Nomen, & huic de me, non mihi, crede libro.
Cernis ab oppoſito tenebris candore nigella
Quàm benè virgineo pectore * muſca ſedet? *emplaſtrum aulicum.
Si ſummę lucem potìs eſt accedere luci,
Iſta tuę lucem, crede, litura dabit.

Ad Marinum Merſennum, ordinis Minimorum.

MAximè de Minimis, magnum cui litera nomen
Lecta, cui majus litera ſcripta dedit;
Offero, quod, ſi tu nolis, non offero; quo nec
Vel ſua cordylis penula deſit habes.
Offero quod nec ut inſpicias urgebo volumen:
Sufficit aſpectu ſi capis eſſe librum.

* * *

Sic

Sic ſi multa gravi percellit pagina mole,
Grata ſit autoris cautio, nolle legi.
Mentior: & cupit ille legi, vovet, optat & ardet;
Sed qua non temerè de ratione putes:
Scilicet ut quem nunc modicè, lectum atq; relectum
Depereas totis viribus Hugenium.
Ambigis? invenies lectum veſtri Ordinis eſſe;
Invenies hominem, maxime, de minimis.

Ad Iacobum van der Burgh.

AMœnitatum plena pyxis & penu,
Feſtive Burghi, qui duobus de Sophis
Deflentis Orbem reſpuis veſaniam,
Ridentis Orbem ſcis & exemplum ſequi,
Et ipſus exemplo fores ſuperſtiti;
Eſt qui in Batavis, ecce, tecum ſentiat
Conſtans amicus, ſæculi irriſor, tamen
Non immodeſtus; qui ſalire quæ legas,
Non inquinare felle, non abſinthio
Vitiare gaudet. Fallor? & facetiis
Sacer libellus languet inficetiis?
Ne ſic quidem te fallo. Si quo rideas
Caret libellus, proximum eſt, me rideas.

Ad Chriſtianum Romphium M.

FAllitur, hæc ſi tanta dari ſibi munera gratìs
Credit ab inſano Romphius Hugenio.
Poſſit ab Archiatro, quaſi pro mercede, doceri
Quâ propiore viâ naviget Anticyras.

Ad Iac. Caterum Soc. Ieſ.

SI qua ſub his mordet Romanis dura palatis
Pagina, fortuitum pagina crimen habet.
Subſtitit has intra metas vernacula vatis
Ambitio, Batavi civis amore frui:

Cumque,

Cumque dedit tantilla ſui monumenta modeſtè,
Credidit hic tantùm ſe potuiſſe legi.

Ad Ioannem de Sancto Geneſio, Avenionem.

SAngeneſi, quem fama diù virtutis amicum
Et Batavis ſanctum fecit & Hugenio,
Quæ mea porrecto ſpecioſè pendet ab hamo,
Crede mihi, tacitis non caret eſca dolis.
Præda ſpei caput & lucri nativa cupido eſt.
Si neſcis, Batavi turba marina ſumus;
Piſciculis grandes venamur in æquore piſces:
Grandibus hæc ipſa it piſcibus eſca tuis.
En ego præmonui: cum fraudatore Batavo
Res tibi, ſi caperis, ſed ſine fraude fuit.

RESCRIPTA

DE

MOMENTIS,

Ordine quo perlata fuerunt.

SUmme vir Hugeni, quem nil neſcire negari
  Non licet ingenuum quę didiciſſe decet;
Tam bene ſi ſcirem quę me neſcire negaſti,
  Quam ſcio te ſummis vatibus eſſe parem,
Tum te veridicum poſſem quoque dicere vatem,
  Ut credo reliquis vatibus eſſe parem.
Fingere nimirum docto dat Muſa Poetę
  Quod lubet, & verum non videt ullus amor.
Sic ego judicio nil neſcio vatis amici:
  Non ita, ſi vates deerit, amicus ero.
Scire negas unum, quod ſpondes velle docere,
  Nempe malum veſtri muneris eſſe librum.
Hoc unum eſt quod te nolim didiciſſe magiſtro,
  Nec poſſum. contra ſtat tuus ille liber.
Quę tam fruge bona eſt, quę tam jucunda legenti
  Pagina, tot promens ſeria totque joca,
Melle madens, & felle rigens, & utroque diſerta,
  Sic docet ut placeat, ſic placet ut doceat.

SALMASIUS tuus, numine Muſarum tuarum afflatus repentè fuſis his malis verſiculis pro bono libro ſummas grates agit; Leidæ Kal. Iulius cIↃ IↃc XLIV.

Mon-

Monſieur,

VOſtre riche preſent, qui vient de m'eſtre rendu, m'a ravi. Toutes les expreſsions, que je peux trouver, ſont au deſſoubs des penſées de recognoiſſance que j'ay pour vous. Vos exquiſes productions publiques ſuffiſoyent à me faire naiſtre de l'admiration pour voſtre excellent eſprit. Mais vous avez voulu, que j'euſſe une obligation particuliere à me recognoiſtre voſtre redevable par le Poëme tout voſtre, dont il vous a pleu m'honorer. Ie le diroy parfaict, ſi je n'en eſtoy le ſubject. Ie voy, que vous avez voulu monſtrer qu'il n'y a point de matiere ſi rude, qui ne ſoit capable de la poliſſure de voſtre main. Ie ſuis tenté à valoir quelq; choſe puis que vous me faictes l'honneur d'avoir des penſées avantageuſes pour moy. Que pourra produire voſtre ſolitude, puis que les Tambours & Trompettes ne peuvent faire aſſez de bruict, pour vous empeſcher de vous recueillir en vous meſmes? I'oſe vous renvoyer une legende pour voſtre don. Vous aurez ſubject Monſieur, de dire que je vous paye de mauvaiſe monnoye, & que le commerce que vous avez voulu commencer, vous eſt trop desavantageux pour le continuer. Ie l'advouë, en attendant le bonheur d'y ſuppleer d'ailleurs. Cependant je vous baiſe treshumblement les mains, & m'en vay m'entretenir avecque vous, & donner des heures à vos agreables Momens, demeurant avec mes vœux & mes devoirs,

Monſieur,

Voſtre tres-humble & tres-obligé ſervit. SPANHEIM.

De Leiden ce 2. Juillet 1641.

In

RESCRIPTA

In Momenta Deſultoria Viri Illuſtris

CONSTANTINI HUGENII,

Equitis, Zulichemii Toparchæ &c.

EPIGRAMMA

FREDERICI SPANHEMII.

IUliades Batavæ narrat miracula glebæ,
  Quæ ſtupeant Turcus, Celta, Britannus, Iber.
Accedit reliquis majus mirabile, verſa
  Artifici in veterem Bilbilin Haga manu.
Priſca ſuas habeat ſibi res jam Bilbilis, iſta
  Bilbilis ingenii plus & acoris habet:
Illa ſuo ſtructa eſt inter blanda otia vati,
  Iſta inter lituos, inter & æra ſuo.
Feſcennina ſuum proſcribit pagina vatem,
  Incoctis recto pagina fæta jocis.
HUGENII hoc decus eſt, decora inter maxima, ſolus
  In Batavo Hiſpanum qui docet orbe loqui.
Bæticolam HUGENIO non mirum cedere vatem,
  Iam pridem Batavis cedere diſcit Iber.

J. DEDEL.

M*Omenta tua Deſultoria percurri, quàm terſa & acuta omnia! Sed & quæ talem Lectorem requirunt. Addidiſti ad me Epigramma; de cultura mea, cujus mentionem facis, non eſt quod glorier, quippe tenuis illa in agro ſatis colono. niſi mavis dediſſe me quod nunquam habui.* οὐκ ἐνυπνίασα ἐν παρνάσσῳ, *nec enim mihi unquam datum fuit vel poëtaſtrum eſſe, imo hereditarium eſt non eſſe. Ego te de iſto munere vehementer amo.* 2. Jul. 1644.

J. DE

J. DE WICQUEFORT.

IE vous doibs un grand remerciement pour le beau livre qu'il vous a pleu me faire tenir par le Sr.Bruno. Sans vous dire pour ceſte fois l'eſtime que j'en fais. Seulement que je ne me puis pas ſaouler de la lecture, n'ayant veu jamais des vers plus ſpirituels, ny plus divertiſſans, ny plus agreables.

J. VAN DER BURGH.
S. P.

DEſultoria tua momenta, cum iis omnibus qui judicare valent,

Quid ſolidum crepet, aut pictæ tectoria linguæ,

grata, tum mihi gratiſſima fuiſſe, Vir Nobiliſſime, ne mirere, ſi enim cæteris lectoribus uſu veniat illud quod mihi heſterna, quâ illa accepi, die, verendum profectò nequid in poſterum Galenica natio & reſpublica Pharmacopæorum detrimenti inde capiat: quippe cum iſthæc primùm in manus ſumpſi, è veterno, qui me jam aliquot menſes occupat, ilicò evigilavi, & deinceps continuâ lectione hepar mihi ſenſim deobſtrui ſentire mihi viſus ſum; quod ſi Tribunus quidam natione Suevus hac nuper tranſiens ad fontes Spadanos, dicens inter alia, Ich hab das hippopondria / *hujus antidoti capax fuiſſet, non habuiſſet eò excurrere, homo, quantum ex naſo colligere licebat, minimè ex aquæ-potorum proſapia; ſed ut ſeriò loquar, hoc abſque figura dicere poſſum, me ita eorum lectione affici, ut difficile mihi ſit non imaginari in pergula me cum amicis deambulare, & priſtinæ amicitiæ condimenta re-guſtare. Tui dum carendum fuerit, ad hæc, tanquam ad tabulam genium tuum Barlæi, Hoofdii, Vicofortii cæterorumque amicorum mihi graphicè referentem, recurram.*

 His

His me ſolabor in meo penexilio, quod mihi nunquam moleſtum erit, dum tu, Vir Nobiliſſ. me abſentem amare perſeverabis. Leodii III. Non. Quint. CIↃ IↃC XLIV.

Tui obſervantiſſimus

J. VAN DER BURGH.

Nobiliſſime & Magnifice Domine;

NOn tuliſſem tacitus incomparabilem judicii tui favorem, niſi reſpectus & dignitatis & occupationum tuarum pudorem ſilentii non nimis elegantem fortaſſe mihi imperaſſet. Ea eſt ſententiæ tuæ, etiam in literis, non tantum de Republica, gravitas; ut qui norunt illam, quod ſequantur habere ſe exiſtiment, qui ignorant, ne diſſentiant vereantur. Quid potuit ergo mihi honeſtius eſſe tanti ſuffragii auctoritate, quo potiùs præmio induſtriam meam, quæ in exiguo ſcripto ſupra quàm credi poteſt adhibenda maxima fuit, compenſatam putem? Rem per ſe loquacem eſſe ajunt lætitiam, & meam acceptam ferre geſtiebam dudum: ſed timui, ne quam facetè commentarium, tam juſtè auctorem ejus ſeria tua interpellantem audaculum appellares. Remiſerunt hanc verecundiam mihi Momenta Deſultoria tua πρᾶγμα πολυτάλαντον, *& à quo quidquid eſt nocturni palloris demorſorumque unguium veſtigiis inſignium chartarum non doleat poſt terga ſe relinqui. Tibi, illuſtris Hugeni, poſt ſuſceptos tot pro Republica & Principe feliciter labores, poſtque tantum erga omnes literarum ſtudioſos ſtudium ſive ex annalium commemoratione ſive ex eruditorum, quos clientelâ tuâ dignatus es, monumentis, imo ex utroque non tantùm deeſſe fama non poterat,*

terat,

terat, ſed etiam indies vivo ac ſuperſtiti (ſisque diu) maxima comparantur. Sed non contentus hoc duplici præconio novi Hermetis talaribus eam in populos, in ſæcula miſiſti, ipſe conditor operis immortalitatem laturi, & cum momentis conſtiterit tibi (quid enim tam divino ingenio laborioſum?) cum rerũ duratione paria facturi. Quas non laudes meretur animus? hæc facultas? hi effectus? tam certum ac præſens præſagium? Sed brevior ſim, oportet, ne videar aut æmulatione vanâ retractare velle argumentum ejus, qui ſolus dignè præfatur tibi, aut plus ex tempore tuo ad legendum rejiculum epiſtolium vindicare, quàm tu naſcentibus tuis, hoc eſt æternis μελετήμασιν indulges. Unum dicam modò: cum in omni carminis genere ſummorum poſt renatas literas vatum gloriam adæques, ſummorum poſt renatas literas vatum neminem in Epigrammatis brevitate, rotunditate, ingenio, eruditione, acrimonia tibi ſe poſthac comparaturum: Quisque dicet ſibi, quod ſuæ Thebaidi Æneide propoſitâ præcipit Statius meus:

Sed blandè ſequere, & veſtigia ſemper adora.

Tanto igitur dono quod me divitem feciſti cum gratias debeam immenſas, quantas autem debeam exprimere non valeam; quantas porrò debere me velle cenſes, quod huic pretioſiſſimo & materia & arte peplo meum quoque vile nomen intexuiſti? Hinc certè ego famam ordiar;

ſteriles tranſmiſimus annos:
Hæc ævi mihi prima dies, hæc lumina vitæ.

Quam ſi totam in poſterum devoveam & conſecrem Tibi, tanquam libra & ære tuo emtus, tanquam Soldariorum ſacramento addictus, nullam partem tanti tui erga me meriti implevero. Ita faciam tamen quod ſolum poſſum, & cui reſpondere velle facto inceptio ſit amentis, id jugi & perpetuâ memoriâ, profeſſione, prædicatione, ne in ingratum cecidiſſe putes, operam dabo. Vale ingeniorum Princeps,

ceps, & rempublicam privatamque bene gere. Daventriæ ad. V. Id. Iulias Iulianas cIↄ Iↄc xLIV.

Illuſtri Nomini ſummiſque virtutibus Tuis

Devotiſſimus addictiſſimuſque

JOH. FRED. GRONOVIUS.

IDEM H. BRUNONI.

QUantum debeam incomparabili Patrono tuo, qui me divino munere ſuo & divitem & immortalem fecit, conatus ſum, ut potui, ſignificare in iis quas incluſas ipſi inſcriptas vides. Tibi autem, Juvenum ornatiſſime, quoque non parum amicum me habes, quod promptâ operâ ut quam citiſſimè tantum gaudium gauderem, effeciſti. Incidit percommodè ut hos ſex ſeptem proximos dies in hac urbe encænia annua agerentur: id tempus feriatum nobis ab occupationibus ita diſpenſavi, ut aliquot ſolidos dies muſteo huic operi dederim, quæ repetitæ & repetendę lectioni impenderetur. Cęterùm neque is ego, quem appellas, Criticorum Coryphęus, imò nec * hoc tamen deprehendi, qui id nomen dignè ferat, & veteres cognoverit auctores, eum longè certius accuratiusque teſtimonium de præſtantia tot divinorum verſuum præbere poſſe. Nam & hoc Criticorum munus eſſe cenſebant antiqui, quæ laudabilia in ſcriptis auctorum invenirent, diſcernere, iisque X vel L præfigere. Quæ quidem meo judicio nota non certis verſibus, ſed toto operi una aptiſſimè præfigetur: adeò illud, ut rectè cenſes, & cenſorum ſeveritatem pariter & laudantium benignitatem excedit. Vale, mi Bruno, tu quoque novum decus addito Muſis, & Phœbi conſuetudine feliciter inflammato, meque ama & Mæcenati tuo commenda. Daventriæ ad V Id. Iul. Iulian. cIↄ Iↄc xLIV.

Vir Nobiliſſime;

DVm heri & hodie Poematia tua, munus ſanè præſtantiſſimum, & auro contrà, quo tamen nunquam abundavi, mihi carum, cum cura evolvo; Poetæ omnes, quotquot ætas noſtra tulit, ita mihi, ſed clam, viſi ſunt conqueri apud Apollinem, de felici tua & amabili extemporalitate:

Hugenii luſus noſtros ſuperare labores
 Ringimur & vatum natio tota dolet:

Reſponſum verò tuliſse tale:

Hugenii & veſtris præſtant Momenta Diebus,
 Et meus iſte favor, gens mihi ſacra, fuit.

Sed hoc quoque fortaſse nimis ludicrum eſt momentum. Seriùs interim, Vir magne, tibi ago gratias & de dono tuo & in clientem affectu. Quem quod perpetuum mihi opto, non ſplendor tuæ dignitatis, nec iſta, quæ te circumſtant, cæcæ Deæ munera; ſed virtus tua, eruditio & integritas, ſola & vera bona, efficiunt. 12. Jul. 1644.

In MOMENTA Conſtantini Hugenii.

COnſtantine tuos dum Princeps Maximus annos
 Ocupat atque animi nobilioris opes;
Dum menſes ſolesque tuos ſibi vindicat unus,
 Ac horæ ſpatium vix ſinit eſſe tuum,
Et tibi de toto niſi nil momenta ſuperſunt
 Tempore, momentis cedere cuncta tuis
Comprobat æternum (tua ſic Momenta vocamus)
 Et quod poſteritas tota ſtupebit opus.

IOH. HEILERSIEG.

M. ZUE-

M. ZUERIUS BOXHORNIUS.

PRo myrothecio illo, & elegantiarum omnium ac eruditarum venerum coagulo, Poëmatis tuis, quibus tibi verbis gratias agam, non invenio, vir Illuſtris. Qui non modò multifariam docere me & oblectare docendo, ſed etiam judicio tuo, cum tot principibus literarum viris, commendatum tradere poſteris voluiſti. Quod igitur tot tuis in Rempub. Principem, & ſe, ingentibus meritis juxta mecum illi debebant, jam novo exemplo, debent tibi, certiſſimam nominis æternitatem, eo nunc opere ſancitam, quod inter applauſus omnium elegantium ingeniorum ac admirationem in omnes ætates eſt iturum. Quod & vir maximus, Heinſius tuus, identidem gratus agnoſcit. Qui ut tui de ſe judicii magnitudinem livori ac ærugini opponit, ita in ejus cauſa opem tuam efflictim nunc imploro. 13. Jul. 1644.

Nobiliſſime Vir;

MIſit ad me paucos ante dies præſtantiſſimus Vir Henricus Bruno Poëmata tua, quæ Deſultoria Momenta vocari placuit, majore modeſtiâ quàm quâ illi ſolent qui amore ſuorum operum ducti ſpecioſas inſcriptiones ingloriis ſæpe laboribus affingunt. Quod quamquam de Poëtarum verſibus, quos divini ſpiritus furor ad æternitatem ducit, affirmari non poſſit, ita modus in ejuſmodi rebus habendus eſt, ne quis deprimendo mentis ſuę artificium naturę beneficia obſcuret & ne efferendo invidiam apud æmulos mereatur. Niſi fortè placeat, omne humanum, quod vetus ſapientia aut riſit aut comploravit, Deſul-

Deſultorium vocare, & per momentum evertere diuturnitatem argumenti quod in rebus mortalium breve plerumque & ſimul fabuloſum eſt. Utut ſit, quia ita inſcribi placuit donum illud metricum, quod omnem humani operis aut actionis ſpeciem includere mihi videtur, gratâ mente accipio, facturus ſimile officii genus ſi fortè mea ætas jam vergens & morbida aliquid in publicum extruſerit. Nequeo etenim id polliceri quòd amici velint, & ipſe quoque malim in hoc genere ſcribendi, cum propter ſeveriora ſtudia, qûæ nobis aut recitanda in publico, aut enarranda ex vero per formam annalium ſunt, tum quod ingeniis veſtris ad Poeticen natis vigor aliquis ex converſatione eminentis fortunæ accedat. Certè principale faſtigium, quod in Auguſto ad perfectam magnitudinem, & ſplendorem evectum fuit, aliquid etiam fulgoris attulit eorum ingeniis, qui rectorem ſubinde generis humani ſolutâ aut ligatâ eloquentiâ ſalutabant. Adeò ut non tantum admirationem venerationemque ſola dominantis majeſtas inveniret, ſed etiam fœlicitas illorum qui in aula & ſimul eloquentia excellebant. Ut rectè factum mihi videatur quòd inter occupationes aulæ ac conſilia prementibus veſtigia Principum ſæpe pericoloſa, eripi tibi ſiveris inſigne hoc ingenii monumentum, ut experiretur ſæculum noſtrum, eſſe, qui arduis negotiis præclara Otia ſingulari ſolertiâ interjungant. Quòd quia paucis conceſſum eſt, etſi tota liberalis otii largitate fruantur, tantò major applauſus illis conferendus eſt, qui in aula ſedentes, in caſtris cincti & ſtantes, procudunt aliquid ultimâ poſteritate digniſſimum. Quæ quoque ipſa noſtri temporis curioſa indagatrix fœlicitatem noſtram mirabitur, ac te nobilitatis tuæ dignitatiſque ſplendorem vivacibus chartis & egregiis Otiis Momentiſque auxiſſe. Bene vale. ex arce Siardæa, in qua biſſenis fere annis

Hiſto-

Hiſtoriam Philippicam, quæ jam ſub Prælo eſt, elaboravi. Prid. Id. Jul. cIↄ Iↄ cxliv.

Dignitatis famæque tuæ Cultor & Admirator

PIERIUS WINSEMIUS.

IDEM H. BRUNONI.

Clariſſime Vir;

Literas tuas & juxta donarium magni Hugenii paucos antè dies accepi, quo nec gratius ille magnus Vir dare, neque ego accipere potui. Nam cùm multi caſus res humanas ſæpè fatigent & exerceant, tum maximè labor, qui animo imperat & qui corpori laſſitudinem non infert, ita refocillari animus meus non melius poteſt quàm ſi eruditum, qualia veſtra ſunt, Poëma legam, & quod demulcere ſenſus noſtros novitate oblectabilis argumenti ſolet. Interim miror homini in tantis occupationibus & curis conſtituto, quarum pars Reip. & ſimul Principi debetur, tam fœlix otium ſuperfuiſſe, & ut in quamlibet materiem, etiam duram ſæpè & moroſam deſcendere tam excelſo ſpiritu ſciverit. Cæterum dandum eſt hoc magno Poëtæ, quod amplitudinem poëticæ juriſdictionis non arctaverit, ſed quod cæleſtia, & ſimul humana è quibus & ipſi conſtamus, egregiâ modulatione temperaverit. Vt non malè Deum inter & Poëtam univerſi imperium, quisquis magnus Vir is fuit, partitus ſit, cum unius ſit omnia, quæ videmus, gubernare, alterius contemplari, & metro, tanquam circulo includere. Ego otium meum, quod Sirius nobis pro more facit, illius lectioni in horto, quem amœniſſimum habeo, impendam, modò Hiſtoria Philippica quæ Ordinum decreto, & ſumptu imprimitur, non avocaverit me ab illius operis dulcedine. Tu virum dignitate & ingenio illuſtrem officiosè ſalutabis, ac ſimul Vegelinum cujus aures claſſicum jam ferit. Bene vale ex arce Siardæa Prid. eid. Iulii cIↄ Iↄ xliv.

Tui ingenii Cultor P. WINSEMIUS.

Monſieur;

JE ne ſuis pas glorieux à demy de me veoir au nombre de ceux que vos Muſes ont abordé ; Mais je croirois defectueuſe la civilité aveq quoy j'ay taché de les recevoir, ſi vous qui les avez miſes au monde ſi honneſtes & ſi agreables, n'aviez voſtre part de mes reverences, accompagnées d'autant de remerciemens que je les trouve parées de tout ce que la gentileſſe d'un bel eſprit a doctement inventé. Je ne me pourmene plus dans les rues de la Haye, que je n'en tienne quelcune par la main, voire en paſſant par devant celle où les honneſtes gens ne ſçauroyent aller ſans ſe deſpoüiller de leur honneſteté, & je ne regarde plus aucun edifice publiq, que je ne voye des ornemens mieux appropriez que tous ceux de l'Architecture. Je vous ay bien de l'obligation de ceſte bonne compagnie, & vous aſſeure que je cheris extremement les filles d'un Pere, de qui je ſuis parfaictement,

Monſieur,

Tres-humble & tres affect. Serviteur

BRASSET.

A la Haye le 13. *Juillet* 1644.

H. BRVNONI.

Ornatiſſime & doctiſſime Domine;

DOnum, auro mihi contra carum, accepi: nimirum ſerios & ſapientes luſus Perilluſtris Domini Zulichemii, Conſtantini Hugenii; cujus ego virtutes & defæcatiſſimum ingenium ſemper reveritus atque admiratus ſum, ita certè hoc mihi duco nunc palmarium, quod datum mihi ſit experiri ejus benevolentiam. quâ quidem ut me non indignum probem omnibus modis efficiam; non dubius (quæ ejus eſt ſumma humanitas) quin hoc impetrem, ut me etiam inter nominis ſui ſtudioſiſſimos habere non dedignetur: quod ſi contingat,

Sublimi feriam ſydera vertice.

Porrò,

Porrò, uſque adeò mihi arriſit, & placuit ut doctiſſimum, ita & fati neſcium hoc perilluſtris Viri Poëma, ut illas (doctas Iuppiter) eruditorum hominum delicias non aſſiduas modo mihi, ſed & accubuas, habeam. Et quid ni habeam? quid enim in illis non admirabile? quid in illis, quòd non Helleborum, & demorſos ungues ſapiat? Videor mihi cum Farraginem lego, præſtantiſſimorum Virorum monumenta legere: Cum Epigrammata; cum Catullo, cum Martiale loqui, & ſi quis alius ad acuminis illud culmen evaſit: In juvenilibus etiam, etiam ſedulò quærenti, nihil juvenile occurrit. Vſque adeo omnia cum gratia & ſenilis judicii pondere poſita: Hiſce aſtipulabuntur omnes, quibus purgatior auris eſt.

Hæc itaque cum ita ſint, quid cauſæ eſt, quare non ſummo loco habeamus illum Virum, qui apud omnes tanti eſt. Illum Virum, quem tu, hinc inde arrepto Plautino penicillo; tam graphicè depinxiſti, ut non dubitem aliquid dictum, in doctiſſimo tuo epiſtolio, quod non jure merito in eum quadrare poſſit.

Sed, ut ad rem redeam: Deſultoria hæc Illuſtriſſimi Viri Momenta eò majorem apud poſteritatem admirationem merebuntur, quòd in tanta, & tam inexplicabili negotiorum Principalium mole exantlata ſint: Quid dico exantlata ſint? imò potius quòd, ex ubere fœlicis ingenii fonte, quaſi ſua ſponte effluxerint: Itaque non poſſum animo meo temperare, quin excellentiſſimum Virum D. Caſparum Barlæum (cujus Poeſis Maronis æmula totum terrarum globum perambulat,

Et qua recondit, quaque Sol promit diem)

quin (inquam) D. Barlæum, quem plurimi ſemper feci, nunc tamen longè pluris æſtimem, quod hoc Poëma æternitate dignum, & licet inter aulicos tumultus natum, juſto tamen ſuo pretio expenſum & ex inviti Domini Muſæo quaſi raptum, publico non inviderit.

Hæc itaque cum ita habeant, cur miſſum mihi hoc munus non acceptiſſimum habeam? cur non exoſculer? profectum

fectum ab eo Viro, qui in tanta dignatione poſitus eſt: cui tantum debet patria: ab eo Viro, qui curas ſui Principis, tanta cum cura curat; & eum favorem, eam benevolentiam apud Celſitudinem ſuam meruit, ut non rarò res amici, dubiæ, egenæ, (jam Plautiſo) & inopioſæ conſilii, ejus induſtriâ, eloquio, & conſilio catæ atque opiparæ reddantur.

Plura non addo; ne adulatio videatur, quod eſt liquida veritas. Commendabis me Illuſtriſſimo Zulichemii Domino, & à me grates & gratias ages, quòd iſtius muneris honorem, etiam mecum communicare non dedignatus ſit. Salve & tu ornatiſſime & doctiſſime Domine à me

20 *Iulii* 1644. *Tui ſtudioſiſſimo*

EWALDO SCREVELIO.

R. DES CARTES. H. BRVNONI.
S. P.

LIbrum Domini de Zulichem, quem in Galliam mihi miſeras, Hagæ primùm redux accepi, & quidem illâ ipsâ horâ quâ inde diſcedens huc feſtinabam: quæ una ratio fuit cur priùs tibi gratias ob tantum munus, & mihi tam acceptum non egerim. Multos autem ejus verſus ab eo tempore pervolvi, ſed quamvis Momenta tantum deſultoria eſſe dicantur, non tamen momentaneâ lectione omnia eorum acumina, omnes ſales, omnesque elegantias detegi poſſe perſpexi: quin potius admodum attentâ & curiosâ opus eſt inſpectione, nihilque magis miror quàm quòd Vir in ſeriis & tædioſis negotiis tam aſſiduè occupatus, tam amœnas & faciles cogitationes habere interim potuerit; ac in tam brevibus & interruptis momentis ea ſcribere quæ multorum annorum gratæ atque utili lectioni ſufficiant. Vale.

* * * *

J. GOLIUS.

CVm erumperet nuperrimè inter nos, verè nobiliſſime Hugeni, Euripis ſuis uberrimus ille fons ingenii tui, melle Attico & ſuavisſimis deliciis me quoque perfuſum ſenſi. Cumque id benevolentiâ tuâ & munificâ humanitate mihi obtigiſſet, Muſarum charitumq; convivio excepiſſe me Apollo viſus fuiſti. Pro quo nihil habeo quod rependam Te dignum, præter grati animi cultum, & ſimplex votum, ut cœleſti, quem veneror, Genio tuo vel pauco litare farre poſſim. Cum autem voluptati mihi atque honori ducam & antiquis & novo iſthoc nomine obſtrictum tibi & devinctum eſſe, tum graviùs commovet me quod publicè mihi nomen inſcriptum vidi : nimirum, ubi chartacea volumina quædam, ex oriente à me allata, animi & amoris ergo comparatum ivisti cum amplis illis Heſperidum ſpoliis, quæ Hercules alter Heinſius retuliſſet. Vtique conſpicuo me & honeſto poſuiſti loco, ſed ubi ſimul omnium me judiciis expoſitum cognoſco, & vellicatâ aure ſubditoque calcare compellari & compelli, ne quam de me concitatam voluit tantus vates expectationem eludam prorſus ac fallam. quare alacriore ſpiritu animatus, & quaſi inſtinctu tui, majore deinceps operâ contendam, ne novis hiſce ſtudiis in me, ſi quæ ſint, commoda diutiùs claudi videantur. 6. Iul. 1644.

Nobiliſſime Ampliſſimeque Domine,

NIhil optatius poterat mihi accidere, quàm ſcire me, tuarum virtutum cultorem perpetuum, nondum tuâ memoriâ vel gratiâ excidiſſe; id inde percepi certiſſimè, quod inter eos quibus ſuaviſſima & ingenioſiſſima tua Momenta ſpeciatim communicata voluiſti, meum quoque nomen extiterit. Gratias itaque ago gratiſſimas, pro cultiſſimo & eximio

mio munere, quod ſanè pluris facio quam ipſa Heſperidum poma,& quidquid fragrantiſſimum molles Sabæi mittere poſſint. Nunquam crederem, Nobiliſſime Vir, Deſultoria hæc eſſe Momenta, ut inſcribuntur, niſi noſſem quantas quotidiè ſuſtineas occupationes, per quas nonniſi furtim & clanculum potes venire ad hilariores has Muſas, ut Numa ad ſuam Ægeriam. Quàm multi ſunt in orbe literato, qui etſi credantur totumHeliconem occupaſſe & ſibi videantur Apolline pleni, nunquam tamen poſſent quicquam ejus acuminis,elegantię & feſtivitatis,addo non ingenii tantùm ſed excocti & ſubacti judicii, à ſuo pectore extundere, quod ad hæc tua accedat, etſi plures Alcmenæ noctes vigilarent, & pro Momentis annos & ſæcula inſudarent. Falletur ergo qui hæc vatum Entheo furori adſcribet, cum ubique eluceat ſumma illa & prudentia & rerum humanarum peritia, quam in gravioribus quotidie exeris. Quòd ſi ita ludis, qualis quæſo eris, cum ages ſeriò? Si in tuis Momentis tantum ineſt momenti, quàm grandia erunt ex tuis horis Jovis & juſtitiæ filiabus expectanda? habebunt hìc plurimi quod mirentur; ii præſertim qui attendent quanta cum dexteritate ſingula tractes; quod queant imitari, niſi ut ſimiæ homines, pauciſſimi. Deum Opt. Max. veneror, ut Te, Nobiliſſime Domine, Patriæ tuæ decus,aulæ ornamentum, bonorum protectorem,nobis,humanioribus literis, & Reip. præſtet incolumem multos in annos. Tu verò perge bene velle mihi, qui ſemper & ubique ero, ut ſemper fui,

Nobiliſſime, Ampliſſimeque Domine,

Tibi ad omnia obſequia addictiſſimus

SAMUEL MARESIUS.

Groeningæ 14 / 24 *Iul.* 1644.

IDEM H. BRVNONI.

ACcepi, Ornatiſſime Doctiſſimeque Vir, illa magni ſanè momenti Momenta Nobiliſſimi D. à Zulichem, quæ tuâ operâ ad me tranſmitti voluit. Legi cum ſumma voluptate, & authorem deprehendi ubique ſibi ſimilem, doctiſſimum, acutum, elegantem: Ego quidem nec fonte labra prolui caballino, nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo memini, ut idoneus ſim judex tot elegantiarum. Habebunt proculdubio ipſi Magiſtri artis plura quæ hic faciliùs ſuſpiciant, quàm imitentur. Interea tamen ita me capiunt ea quæ capio ex illis, ut cum aureo vellere hunc librum non facilè permutarim. Gratulor itaque mihi quod me tantarum deliciarum participem Illuſtris hic Scriptor, adhuc pro ſua humanitate noſtri memor, facere voluerit. Sed & in gratioſiſſimo aliàs munere, id mihi accidit pro ſuperpondio & mantiſſa, quòd mellitiſſimis tuis literis illud comitari voluiſti. Gratiàs ergo maximas & tibi ago, quod miſeris, & ipſi Nobiliſſimo authori, quòd mitti præceperit. Hoc epiſtolium ad ipſum tuæ curæ & fidei, doctiſſime Domine, commendo, ſimulque ex animo offero tibi quicquid eſt meorum officiorum. Vtere quando & quomodocunque volueris. Senties me hac catenâ aureâ tibi devinctum, & cæptam eâ occaſione notitiam & amicitiam porrò excolere ſtudebo. Tu idem facias, rogo; qui ſum

Groeningæ $\frac{14}{24}$ Julii 1644.

Tuus omni ſtudio & affectu

SAMUEL MARESIUS.

Perilluſtris Domine;

TOt me cingunt, ex utraque, quam humeris meis ſuſtineo, provincia, ac circumvallant curæ atque occu

occupationes,ut,quæ Illuſt. dignitati veſtræ,aliiſque Amicis, debeo officia vel obliviſcendo omittam, vel procraſtinando fermè negligam: ignoſce tarditati, quæ gratiarum actionem, jam diu debitam, minùs gratam reddit. Gratiam ago habeoque (referre enim non poſſum) quantam animus noſter capit, pro Epigrammatum libris, per Brunonem tuum, meum, miſſis. Conciliavit inſignem dono veſtro apud me gratiam illuſtris dator, qui jam ſupra omnis vulgi eſt fecem: nam abs Te eſſe datum, id verò ſeriò triumpho: nempe, ut canit alibi Poëtarum ſuaviſſimus,

Et majeſtatem res data dantis habet.

Legi, perlegi, Deſultoria tua Momenta, deſultoriis horarum momentis Quid dicam? Hugenius totus is ingenium eſt. Ego nunc verſor in virorum maximi Renati des Cartes Philoſophiæ principiis evolvendis: &, verum fatebor, obſtupeſco, ita Naturam univerſam pandi ab hoc Heroë. Gratiæ ſint Deo noſtro, Patri Luminum, qui tantam hìc nobis lucem affulgere voluerit, phoſphoro Carteſio, pro quo in merâ caligine verſati videantur omnes antehac Philoſophi. Sed pluribus conſilia veſtra non remorabor, ne Patriæ deſim. Deum precor, ut te incolumem tuis ac nobis reducat. Quod opto ac voveo,

Perilluſtris Domine

Illuſtriſſimæ dignitatis veſtræ devotiſſimus
Cultor

ADRIANVS HEEREBOORD,

Philoſoph. in Acad. Leid. Prof Ord. & Coll. Theol. Sub-Regens.

Lugd. Bat. è Colleg. Ord. 9. Kal. Sext. 1644. *Stylo Gregoriano.*

MOnſieur de Zulichem; Si un autre m'eut faict veoir le livre que vous m'avez envoyé, je n'y aurois àdmiré que l'excellence de voſtre poëſie. Mais à ceſt' heure vous m'y donnez ſubject d'admirèr encor l'exces de voſtre civilité: celle là requiert des louanges, ceſtui cy des remerciements; & le grand nombre de qualitez eſtimables & extraordinaires que vous poſſedez, authoriſant le meſpris que vous faictes de voſtre Muſe, rendroit ſon panegyrique une injure à vous: quoy qu'il fuſt composé d'une perſonne qui le ſceut faire avecq autant d'ornement que de verité: mais la bonté que vous me teſmoignez, me perſuade que vous en accepterez ma recognoiſſance par le ſeul moyen qui reſte au pouvoir de,

Monſieur de Zulichem,

Voſtre tres-affnée. Amie à vous ſervir

ELISABETH.

De la Haye ce 17 27 de Iuil. 1644.

Nobiliſſime & Clariſſime Domine,

LEcta à me tranſcurſim Monumenta atque Otia illa ingenii tui in primis literati mirum in modum animum affecerunt meum. Ut proinde meritò ingrati animi vitium incurram, niſi vel verbulo gratias pro munere iſto ſcribam. Erit fortaſſe aliquando ſi vel vitam Deus prorogaverit, vel per Muſas hic noſtras licuerit major commodiorque occaſio latiùs cum N. V. vel certè de eadem agendi in Bibliotheca mea Belgica vel officina quadam litteraria Belgas Scriptores pleroſque complexa, quos inter & N. V. clucet,

elucet, notanturque ingenii monumenta nunquam peritura. Utinam & reliqua ad manum tunc fuiſſent, quæ poſtea ſuggeſta. Verum, tertiæ illæ, ut ſpero, curæ erunt, quibus inſtructior prodeat Bibliotheca. Gratum interea acceptumque erit quicquid ab amicis ſuggeretur; quos inter Te deinceps V. Nobiliſſ. profiteri audebo. Lovanii 3. Aug. 1644.

VALERIUS ANDREAS DESSELIUS.

Illuſtri Viro

CONSTANTINO HUGENIO,

Equiti, Zulichemi Toparchæ, Celſiſſimo Principi à Conſiliis & Secretis SAM: SORBERIUS εὖ πράττειν.

Vir nobiliſſime;

NOn erat animus gratias agere tibi, cum primùm accepi munus elegantiſſimum, cujus me participem tua fecit benignitas; niſi prius totum ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς evolviſſem: pleniùs enim & ſolidiùs putabam agniturum me quantum deberem tibi, acceſſurumque è facundia tua ſperabam balbutiei noſtræ copiam, quâ ut par eſſet teſtari poſſem quàm me tibi beneficio iſto obnoxium feceris. At ſubiit vereri, ne interea temporis ingrati apud te animi labeculam contraherem, dum te laterent veræ ſilentii mei cauſæ: quare dimiſſâ procraſtinatione, teſtandæ gratitudini meæ utili prorſus & neceſſariâ lectione interrupi jucundiſſimam, ut calamum in manus ſumerē.

Pluribus tamen opùs non erat, ut ex ungue, quod ajunt, leonem cognoſcerem. Etenim jam olim abundè mihi perſpecta fuerat ingenii tui mira in pangendis carminibus felicitas, acuminique raro multiplex conjuncta eruditio. Noverā te ἀμφοτερο-δέξιον, qui verſu, ut ſolutâ oratione, æquè poſſes morari aures Principum. Nec mihi ſemel venerat in mentem Michaëlis illius Hoſpitalii, togatorum ævo ſuperori doctrinâ dignitateque præſtantiſſimi, qui medias inter occupationes moleſtiſſimas non erat dedignatus Avia Pieridum loca ſubinde peragrare. Nec ſanè qui de te ſolus magnificè ſentirem ſivit me Merſennus, aliique complureis judicio & eruditione inſigneis, quos audivi ſæpè, cum optimo virorum Lutetiæ frequens adeſſem, paria mecum facienteis. Unde cum in Bataviam appuliſſem ante biennium, nulloſque pręſtantium ingenio aut virtute virorum, quantùm in me fuit, inſalutatos præterirem, vix credas quàm geſtierim conſpectu tuo & alloquio frui. Ea tamen fuit fati iniquitas, ſeu moles negotiorum quibus tunc obruebaris, ut compos voti niſi longè poſt evaſerim: neque tunc ſatis, ut verum fatear, ſiti explendæ. Sed nunc eſt in libro tuo quod te pręſentem, idque tui parte meliori intuear. Quàm verò, niſi ſalutis intereſſet publicę, cui adeò præclaram operam navas, ut perpetuò otioſus eſſes exoptaremus? quàm egregia enim multa nihil agendo ageres? quàm otioſi ne degeremus immortalia tua ſcripta probè curarent? hęc quidem votorum poſtrema non eſſent alio tempore, ſęculove pacatiori. Nec Muſę eruditis ingenioſiſque vigiliis tuis pręmia relatura eſſent minora laudibus, quas bene geſtis Reſpublica uberrimas refundet. Verùm non eſt, Vir Nobiliſſime, cur ponas rumores, ut ita dicam, ante ſalutem. Etſi literarum amœnitate impenſè delecter; nimio tamen ſum in Batavos affectu, nimio perſequor ſtu-

dio, ut totus aliquando veſter fiam, ut velim exoritura unquam tibi otia, pluris fortaſſe nobis conſtitura. Sis igitur per me licet ſemper occupatiſſimus; dum per te, id eſt, ſapientiſſimis conſiliis tuis, diu res noſtrę ſtent incolumes. Quod Deum cum ſupplex veneror, tibi etiam fauſta & proſpera adprecor omnia. Vale. Scribebam Sluſis Flandrorum, Nonis Sext. Anni Chriſti Dionyſiani cIↄ Iↄc xliv.

Le Meſme

à Monſieur le

R H I N G R A V E.

Le livre que je viens de recevoir, eſt plain d'une rare politeſſe. Les poinctes ſi belles, les expreſſions ſi fleuries, les alluſions ſi doctes, les penſées ſi judicieuſes, que tout y eſt eſgalement à admirer. Mais ce dequoy je m'eſtonne le plus eſt, qu'un homme de la condition de l'autheur, qui faict une vie ſi occupée, nous aye peu donner des choſes ſi achevées, en un ſtile ſi different de celuy qu'il exerce d'ordinaire & auquel il reüſſit extraordinairement. l'Eloquence de la proſe eſt ſi diverſe de celle des vers, & demande un ſi divers temperament, que c'eſt merveille de les veoir toutes deux en une meſme perſonne, & en un degré fort eminēt. Il eſt vray qu'un grand Eſprit peut devenir Poëte & Orateur par raiſonnemēt & par eſtude: mais il y aura tousjours dans ſes ouvrages quelques traicts forcez, & que les oreilles delicates diſcerneront bien de ceſte naturelle fluidité que les Muſes inſpirent aux Poëtes dès leur naiſſance. Elle eſt ſi douce & ſi eſgalle dans la Poeſie qu'il vous a pleu de m'envoyer, que je revoquerois

en doute la faculté oratoire de ſon autheur, ſi elle ne m'eſtoit d'ailleurs ſuffiſammeut cogneuë. J'en deſirerois avoir maintenant quelque partie, afin de le pouvoir remercier de ſon preſent proportionnément à ſon merite, & de vous teſmoigner auſſi avecq efficace, combien je ſuis,

Monſeigneur,

Voſtre tres-humble & tres-obeiſſant

Servit.

SORBIERE.

De l'Eſcluſe le 3. d'Aouſt. 1644.

Monſieur;

IE n'avois qu'à veoir le nom de l' Autheur du livre que vous m'avez envoyé, pour concevoir une grande opinion de cet ouvrage. Ce que j'ay veu du dedans m'a confirmé dans ce ſentiment, & faict cognoiſtre que ce que Mr. de Beringhen m'avoit dit de vous eſtoit veritable, que vous n'eſtiez pas moins homme de belles lettres que d'affaires, & que les fruicts de vos meditations n'eſtoient pas moins doux, que ceux de voſtre action eſtoient utiles. Ie ne doubte point que m'aymant beaucoup, il ne vous ait faict des relations qui me ſont fort avantageuſes. Vous en croirez ce qu'il vous plaira, pourveu que vous ſoyez perſuadé, que j'ay au moins une forte inclination d'eſtimer les perſonnes de merite, & que vous tiriez de là ceſte

con-

conſequence infaillible, qu'eſtant de ce nombre, il eſt neceſſaire que je ſois perfaictement,

Monſieur,

Voſtre tres-affectionné à vous faire ſervice

Le CARDINAL MAZARINI.

A Paris le XIII. *d'Aouſt.* 1644.

Nobiliſſimo & Illuſtri

D. D. CONSTANTINO HUGENIO,

Zulichemii Toparchæ, &c.

Joh. Smith *S. D. PL.*

MOmenta, Vir illuſtris, quæ Deſultoria vocare libuit, gaudium mihi non momentarium nec deſultorium, ſed momentoſum attulerunt. Meminiſſe potes, febriculam cujus horror me urgebat, tuo antè annos aliquot alloquio protelatam, te quoque digreſſo ſimplici eodem die acceſſu finitam: Si unum viſitationis momen aut momentum tantùm potuit, quid non ſperem à tanta tot momentorum ſerie, niſi quòd *non domus & fundus, non æris acervus & auri, ægroto Domini præſtare in corpore poſſet*? Quidquid id erit, mihi vel ſano magnoperè jucundum eſt & gratum, abſentis contemplari poſſe imaginem Hugenii, ejuſdemque ſeriis atque jocis oblectari, ſimul & erudiri. Sed me quoque clariſſimis hìc viris, amiciſque permiſtum agnoſco

ventura

ventura mitti in ſecula. Gratias ergo quas poſſum maximas tibi L. M. Q. ago. Noſtri viciſſim agelli ſpecimen, ſed tibi pridem non uno nomine debitum, exſpectabis, cum Blaeuwius Batavorum quod cœpit oppidum abſolverit. Interim vale, Vir magne & dulce decus meum. Scrib. Noviomagi XII. Sextilis Jul. Anno cIↃ IↃC XLIV.

Nobiliſſime & Ampliſſime Domine,

Bonum equidem factum. Quæ mihi deſtinaras poëmata tua, eadem rectiſſimè & ad nutum curavit tuus Bruno. Adeo verò Momenta illa placuere, imò tanti fuerunt momenti, ut quamvis occupatiſſimo integras horas abſtulerint. Et ecce dum avidiſſimâ lectione fragantiam carminum tuorum perſequor, veluti lymphatus in hos, ſed plenos ruris & inficetiarum, verſiculos erumpo:

Barbariem Batavis quid enim laſcive Poeta
  Improperas, ubi tot copia docta virum?
Altera laus Romæ diviſa eſt, altera Graiis,
  Hugenides unus paginam utramque facit.
Ingemit, exultat, pungit, docet, ac meditatur,
  Proteus non Proteus, fertilitate pari.
Heroës, elegos, arguta epigrammata teſtor,
  Ingenio hic genius jure perennis erit.

At hic deſino, ne te Roſcium noſtrum provocare videar, & meritò à quoquam occinatur, impar congreſſus Achilli. *Pro ſingulari autem in me affectu, quem perpetuum eſſe cupio, gratias, ut par eſt, non minùs habeo, quàm tua illa non deſultoria, ſi verum audire vis, ſed ſibi conſtans doctrina laudem meretur cumulatiſſimam. De antidoto*

porro

porro chartaceo jam nunc cogito, quod tuam præveniſſet liberalitatem, niſi more tuo typothetarum tarditas editionem Commentationum mearum ad Conſuetudines patrias ſufflaminaret. Brevi tamen enixuros bona ſpes eſt, quod dudum parturiunt. Bene vale, Vir nobiliſſime. Noviomagi, prid. Eid. Aug. cIↃ IↃcxliv.

Ampliſſ. dignitati tuæ

addictiſſimus

Lamb. Goris.

Vir Præſtantiſſime;

Aliquando tandem & quaſi poſtliminio mihi redditus & aliquâ ex parte mei juris, primùm gratias V. C. agendas duxi, quas jam habeo maximas, pro illo Momentorum dono, imo κειμηλίῳ, *ad me miſſo. De quo quid ſentiam, non gravatè præfabor. In eo certare mihi videntur ſummum cum acumine judicium & innocui cum eruditione ſales. Sanè lectione illorum ita me detineri fateor, ut graviſſima me difficulter & invitum abſtrahant, quod non raro, qui apud me ſunt, obſervavere. Ego certe ſæculo gratulor de tam felice præli (cujus ego ſæpe, & quid ni quotidie? miſeras vices doleo) partu, quo ſi dabitur ulterius beari, næ ego poſteritatem præjudicavero fortunatiſſimam, cui erit abundè proſpectum. Perge Eruditorum Coryphæe ſalivam nobis movere, & de literis tam bene mereri, & ſe tibi debere teſtimonium reſtitutæ cum doctrina poetices, & hæc & ſequens profitebitur ætas.*

Iſtæ

Iſta momenta Monumenta ſunt extenſo victura ævo. Sic voveo, ſic auguror,

Tuus

ELEAZAR M. F. LOOTIUS,

Servus Jeſu Chriſti.

Hagæ-Comitum 15. *Augusti* 1644. *raptim.*

Monſieur;

J'avoy eſcrit ma derniere lettre pour vous dire Adieu: lors que j'ay receu voſtre excellent livre, qui m'a faict recommencer & reprendre de nouvelles briſées, puis que le preſent m'y convie, qui contient quaſi tout ce qui eſt dans la nature, & partant pour lequel il me faudroit employer toutes les creatures pour vous en remercier. Je vous aſſeure que ſi j'avois autant de Genie à la Poeſie que vous, je mettrois toute la Phyſique de M. des Cartes en vers, comme Lucrece a faict celle de Democrite: mais avec plus de grace. Car je vous imiterois: c'eſt à dire j'en ferois une partie en vers Heroiques, d'autres Saphiques, d'autres Jambiques &c. ſelon le caprice qui me prendroit. Si toſt que je l'eu receu, le Sr. de Gaſtines, le Pere, homme de bon Eſprit, trouva l'Epigramme gentil à l'ouverture du livre, où vous deſcrivez la femme noire ſoubs ſon voile, & fut ravi auſſy bien que moy, de la preface admirable de Mr. Barlæus. Je vous donne à penſer, comme je vay devorer & lire

lire & relire tous vos vers, qui ont le ſel de Martial, & la richeſſe des odes d'Horace. Au reſte les vers eſcrits de voſtre main, au commencement de voſtre livre, m'obligent encore plus que tout le livre, puis qu'ils me donnent le droit de vous eſtimer mon frere, quoy qu'il ſoit bien plus à propos de renverſer & mettre le *maximus* pour vous, que l'on vous donneroit malgré vous, puis que vous y obligez par tant de tiltres. Je croyois y trouver des vers Italiens, Flamens, Grecqs & François, comme l'on m'avoit eſcrit de la Haye, mais j'ay eſté trompé: peut eſtre les avez vous faict mettre en un volume ſeparé. Si voſtre Muſe deſcrivoit un ſiege, un ſecours, & une priſe de ville, je croy que l'on auroit grand plaiſir à la lecture de tels vers. Mais cela eſt, peut eſtre, de trop longue haleine. Ne vous forcez en rien, ce qui eſt plus naturel ſera plus beau.

XX. April. 1644.

M. MERSENNE.

Literatorum Nobiliſſime & Nobilium literatiſſime Eques;

EGo ex itinere, quod per haſce ferias animi gratiâ ſuſceperam, reverſus, poemata tua, quorum editionem jamdiu ſperabam, domum meam, dum aberam, à Brunone delata reperi, ejus eſſe beneficii ratus; quod ubi aliter ſe habere & à te donante profectum intellexi, obſtupui in tanto honore & horrori meo, quo ſemper tua ſcripta legi, teque adeò ipſum veneratus ſum, vix imperare potui fiduciam tibi per literas gratias agendi, & interpellandi tantum virum tot & tam arduis negociis diſtrictum. Sed veritus ne hic pudor meus aliorſum

aliorſum acciperetur, malui moleſtus eſſe, quàm non teſtari, quàm afficiar eo munere. Etenim mirè ſemper me cepit tua nec publicæ venæ, nec communis monetæ Poëſis, & illa pro diverſitate materiæ majeſtas, ſuavitas, ſales, lepor, congruens ſtylus, nihil tritum, nihil uſu vulgatum plebejo, nihil ſuperfluuum, nihil otioſum; illa verborum pondera, neque enim unquam numerandos verſus exiſtimavi: tum ſingula in ſingulis characteribus miracula in ſtuporem me rapiunt, & ſiquid alicubi obſcurum cuiquam poſſit videri, id uti ſemper verum carminis ſplendorem duxi, ita reperi aut ab ignorantia, aut ab oſcitatione lectoris eſſe & vitio hominum fieri, ut cum admirari nolint ea, quæ non intelligunt, ſtolidè aut malignè carpant. Cum ejuſmodi hominibus unquam congreſſus pertinaciùs quàm aliquis mei loci atque ordinis ſenex Homerum aut Virgilium tuetur, ego principi Poëtarum Conſtantino patrocinium, quo minimè eget, ſine populi ſuffragio commodo, adeò ſanctum mihi non vetus omne, ſed novum tuum poëma. Sed quorſum hæc? volui paucis, ne in publica commoda peccando culpam duplicem, tibi conſtare de judicio & obſervantia erga te mea, & quàm mihi gratum hoc tuum donum acciderit; tum voti ſummam hanc eſſe, ſi digneris inter tuos Poëſioſque tuæ cultores me admittere, & ſiquid generoſæ indolis & ad imitationem tantorum operum natæ oboriatur, amatores ei conciliare non indecoro, ſi pateris, lenocinio; quandoquidem ſola hæc mihi & admirandi & prædicandi gloria relicta eſt. Vale illuſtre Equitum decus, Hagæ quarto Calendas Septemb. Anno CIƆ IƆC XLIV.

Illuſtris amplitudinis tuæ reverentiſſimus

J. DE VRIES.

Vir

Vir Summe,

Vt Muſæ, ita humanitatis Miraculum,

AD priores illas literas tuas, & bina Epigrammata, an reſponderim, ut ingenuè dicam, neſcio. Voluntatem ſcribendi ut ipſa hæc inſinuet dubitatio, ab humaniſſimo humanitatis tuæ genio impetrabo. Quæ etiam ſæpe impedimento ſint, nefas ſit exprimere. Sed cum calamus ceſſat, non deſino animum ad te mittere, quo quemadmodum vivo, tuus ſum, & ſemper ero: hac ſaltem fortunâ beatus, quod etiam abſenti mihi colere divinum ingenium tuum liceat. Accepi verò nuper tria Momentorum tuorum exemplaria: & quemadmodum ad me miſſum ſummo affectu & veneratione exoſculatus ſum: ita ſuum Wendelinus noſter, & ſuum Tuldenus. Quid alter ad me ſcribat, alter ad te, hìc videbis. Ego verò percurri ſtatim librum, imò libros, & tot theſauros inveni & nomen meum, ſæpiùs, ſæpiùs, totidemque velut gemmis illuſtratum. Illa una, titulo operis aureâ manu tuâ expreſſa, tanti mihi eſt; ut neſciam, quid ingenioſius, quid venuſtius, quid benignius ars aut natura poſſit. Parce centuriis, parce armis; ipſo Arcem pretio capis. Arcem verò, quæ tota Palladis, nihil omnino Martis habet. Atque egomet ipſe tanto munere captus ſum, tanquàm ſatis Amore non vinciar. O ſuavem nexum! quia ſic geminum. O ſuaves verſus! quos è manibus non depono. Quia ubique mentis acrimonia mixta eſt, non poſſum hanc niſi Muſarum γλυκυπικρίαν appellare. Sic nunc vale, & uberiores à me literas expecta. Hiſce enim non tam ſcribere volui, quàm non ſilere: ac reverà non jam unà diſtractus curâ ſcribo, Lovanii, in Arce, ipſo Autumni Æquinoctio. cIↃ IↃc xliv.

***** Er. Puteanus.

RESCRIPTA

G. WENDELINUS ad PUTEANUM.

Ampliſſime Vir, Eruditionis lumen, meus Amor, meum delicium.

DElicium, inquam, etiam illius, qui totus eſt quantus quantus, eruditorum Nobiliſſimus, Humaniſſimus, Conſtantiſſimus. Noctem hanc impendi totam carptim, raptim, percurrendis tot luculis, imò enimverò fulgetris, ad quæ etiam dies caligat. Vno verbo: OBSTUPUI; *necdum deſtuporatus, nunquam adeò deſtuporandus: ita iſto afflatu ſideratus ſum, quo nolim me levari. Neque ſi apud te ſim plura dixerim.*

Nobiliſſime & Ampliſſime Domine;

SI judicio poſteritatis multùm Ennio ille catus Ælius Sextus, Horatio autem Caſcellius Aulus debent; præclari jureconſulti, ſed illorum clariores carminibus, quamvis obiter iis inſerti: quantùm Hugenio debeo, qui honorifico nimis elogio me ſui poëmatis arbitrum facit? Namque Muſæ tuæ parturienti me velut obſtetricem acceſſis, nequid *Monſtri, vel Abortus* oriatur. Ego verò, vir & vates nobiliſſime, monſtrum cenſeo, te inter negotia tam ardua, tam tetrica, tam lepidos amœnoſque verſus gignere. abortus, ſed maturis partubus elegantiores, puto illa Epigrammata, quæ aliud agenti exciderunt. Scripſerit argutulos illos verſus in aulâ Auſonius: tu pares in caſtris, inter claſſica & ſtrepitus armorum, effudiſti. Cum docti facundiæ tuæ acumina admirabuntur, plus tribuent ſapientes præſtantiæ animi; per quam licuit inter fragores propinqui Martis deliciari cum Camænis: candorem verò amabunt omnes, quo tot Amicos, Eruditos autē quoſcumque, tanquam

tanquam amiciſſimos celebraſti. Prorſus eâdem operâ & Muſis & gratiis litaſti. Spero, Editio ſecunda (hanc enim diſtractis cupidè exemplaribus exhauſtam auguror) tot ſiderum choro & meum inſeret nomen: cum ſcriptum ad me epigramma non cedat editis. Cujus me judicii falli, per amorem mei, ſuſpicarer; niſi idem de verſibus judicarem, quos exemplaribus inſcripſiſti ad ſummates eruditi Ordinis, Puteanum & Wendelinum. Quibus cum in reliquis concedo, in Amore Cultuque tui non ceſſero. Epiſtolæ tuæ non reſpondeo, niſi imparem me benignitati tuæ & ſermone & rebus eſſe. Vale.

Virtutis & doctrinæ tuæ perpetuus cultor

D. TULDENUS.

J. FORESTUS.

***

HAc causâ dictâ, altera nec minoris momenti & ejuſdem delicti, videlicet ingratitudinis, mihi apud te dicenda eſt. Iam diu ſummi beneficii, miſſo mihi inſigni Poëmatum tuorum opere, tibi reus ſum; quod nec epiſtolâ quidem agnovi. Verùm non inertiâ, ſed nimio legendi ſtudio in eo peccavi. Malueram ſolidas gratias ſolido munere percepto tibi agere. Tunc mihi gratiæ erant agendæ pro honore quem mihi in offerendo ſcripto habueras, nunc & pro voluptate & utilitate quam ex lectione ejus cepi agendæ ſunt, & uſuraram loco tibi erunt. Quod quæſo ut ita pro humanitate tua interpreteris & me, ſi non erroris, ſaltem mali animi, ſine quo crimen committitur, purum habeas, meque ut ſoles, ames. IIX. Cal. Octob. CIↃ. IↃC. XLIV.

ISAACUS GRUTERUS.

INterim abſentem Hugenium meliore ſui parte ſpectandum mihi exhibet novorum Poëmatum liber, Brunonis tui commodato (forſan audaciùs petito, cum rogata vacuum dimiſiſſent bibliopolia) ſuppleturus bibliothecę necdum tranſlatę defectum. Deſultorius, inquam, per aliquot ſeptimanas, itineri & neceſſariæ moræ impenſas, lector, Hagæ incidi in Momenta deſultoria, edecumatum authoris genium in caſtrenſibus turbis velut ſecuro Helicone feliciſſimum teſtantia. Adeòque me afflavit ſpiritus tam acutè, tam tersè quoſlibet, neque vexato cerebro natos conceptus expedientis, ut ad reliqua, ſuam poſt expectatura Levanam, vix patienter anhelet. Sed hęc dicendæ ſalutis devia ſunt; habitura ab humanitate tua quidquid juſtæ excuſationis dignè conferre ſcriptor nequit. Vale vir nobiliſſime & amantem amare perge. Hagæ ex ædibus clariſſimi Graswinckelii, qui novum ut veterem vetus hoſpes amicum ſtringit limpidiſſimæ benevolentiæ ulnis, & officioſiſſimè te ſalvere jubet. XIII. Cal. Octob. CIↃ IↃC XLIV.

Monſieur.

IE ne ſçaurois excuſer mon retard, à vous preſenter mes humbles remercimens, du tresnoble preſent, de vos rares Poëſies, & des vers, qu'il vous a pleu y adjouter, de voſtre tres-digne main, en ma faveur, & beaucoup plus, que je ne merite, du camp de Maldeghem, du 22 de Iuillet de l'an paſſé, ſi non; en vous aſſeurant, que je n'ay reçeu le pacquet, qu'à l'entrée de ce mois, ayant ſejourné par les chemins pour affaires de celuy, à qui on l'avoit remis à Amſterdam. Ie l'ay donc bien receu, Dieu merci, & vous en ſuis

ſuis tres-obligé l'ayant veu avec tel contentement, que je ne m'en pouvois ſaöuler, y remarquant avec le cher gage de voſtre bienvueillance, la continuation des rares dons, qu'il a pleu & plaiſt à Dieu, de verſer de plus en plus, tant ſur voſtre perſonne, que ſur celles de vos excellentes & fleuriſſantes plantes, qui arrivent tantoſt à une maturité, dont je me resiouïs avec vous, du fonds de mon cœur, & vous en ſouhaite, & à eux, tout comble de contentement & benediction. I'y ay pris un tresgrand plaiſir, à m'y rememorer beaucoup d'anciens amis & excellens perſonnages: Comme auſſy, d'y voir, comme un vif pourtrait, des raretés de voſtre tresplaiſante Haye, en laquelle il me ſemble de me mieux pourmener, par le denombrement que faictes de toutes ces belles pieces par le menu, que lors que j'avois le bien d'y eſtre.

ELEGIA,

JOHANNIS LUDOVICI CALANDRINI,

In

MOMENTA DESULTORIA,

Doctiſſimum Poëmatum Opus,

Non momentaneum, ſed perenne, (ſic voveo) Nobiliſſimi & Clariſſimi Viri, Domini CONSTANTINI HUGENII Equitis, Toparchæ Zulichemii, &c. Principi Auriaco à Conſiliis & Secretis, ſibi ab Authore, cum amantiſſimis verſibus, Genevam dono miſſa.

EXul Muſa redi: quam nos, jam luſtra per octo,
 Sæpius invitos, deſeruiſſe piget.
Muſa redi: facilisque exaudi vota precantis,
 Dum novus è Batavis, veſter Apollo jubet:
Ille cui niveâ cinxiſtis tempora lauro,
 HUGENIUS, veſtri gloria ſumma Chori,
Millenis pedibus limata poëmata mittit,
 Et renovat priſcæ pignus amicitiæ;
Carmine mellito quam ſignificaverat, annos
 Cum ſex atque decem vix bene natus erat.
Triginta & binos iterum repetita per annos
 Nunc eadem, quantum pondus amoris habet?
Quas tibi pro tanto referemus munere grates,
 O præſtabilium flóſque decúſque virûm?
Tunc liquidi placuit ripam narrare Lemanni,
 A tenerisque annis edere digna viro.
Nunc celebras altâ ſublimes laude triumphos,
 Bellicaque illuſtras PRINCIPIS acta tui.
Sylva Ducis, Moſæ Trajectum, Breda recurrunt
 Heini & navalis parta corona manu.
Nunc Meteora lubet pedibus detrudere cœlo,
 Abdita Naturæ: cedat Ariſtoteles.

Sol,

Sol, ſtellæ, cum nocte dies, venti atque planetæ,
Nix, glacies adſunt: pallida luna pluit.
Nunc facili alloquio gratos inviſis amicos,
Et libet hìc verſu liberiore frui.
Primus es, ô *HEINSI* clariſſime, Ductor & olim
Noſter, & auſpiciis debeo multa tuis.
BARLÆE Hugenianæ animæ pars altera, nomen
Clarum, docta tuum verſa pagella ſonat.
SCHVRMANNA, ingenii mirandis dotibus, ævi
Lux noſtri, virgo prodigioſa, ſubit.
Occurrunt faciles *SALMASIVS*, atque *RIVETVS*,
HOOFDIVS è Muda, *VOSSIVS* Amſtelia.
Partes inde ſuas ſibi Patria vindicat Haga;
Principis hæc ſedes, imperiique locus:
Fæcundis adeo hanc ornaſti verſibus, ejus
Fama ſit ut nullo non celebranda die:
Compita, ſtagna, forum, ſylvaſque viaſque recenſes,
Foſſaſque ac portus, Templaque ſacra Deo.
Aulaque ſuccedit, tum qui ſeptemplice telo
Concordi Patriam protegit ungue Leo.
Curia quæ ſuprema Patrum, variique Senatus
Quantæ ſint curæ, quàm gravis ordo, canis.
Magnatum & veniunt ſpectanda palatia verſu,
Inque his præcellens, *HVGENIANA DOMVS*.
Ordine quam tanto Domini ſymmetria ſtruxit,
Pars ut in humano corpore quæque ſita eſt.
Pulchra domus, celſo laqueari, & fornice conſtans
Architectonicos exhibet arte tubos.
Pulchrior interior, nitiduſque domeſticus ordo,
Quæ veram faciunt vivida membra domum.
HVGENIVS Pater & caput eſt: virtute coruſcans
Omnigenâ: (rari lucida imago Patris.)
Illum ars, natura, & fortuna coëgit in unum,
Quæcunque optari maxima mente queant.
Summa illi pietas, immenſa ſcientia rerum,
Et cum divitiis, ſuſpiciendus honor,

Omnia credibili ſplendent majora: ratamque,
Dicere ſi coner, vix habitura fidem.
Agnovit Princeps: meritò tibi credidit Aulæ
Arcana, Illuſtris Conſiliumque Domus.
Conjugium ex voto, culmen Deus addidit omnis
Lætitiæ: brevis at, proh dolor! illa fuit.
Parca tori ſociam florente ætate revulſit:
Ut ſit Stella ſoli, cœlica ſtella polo.
Sed valeant luctus: dum quina in prole relucet,
Dumque Patrem Nati, pulchra Quadriga, beant.
Patris ad exemplum, & ſupra ſi credere fas eſt,
CONSTANTINE, Patris nomen & omen habes.
Tu cui, ſicut Avo, deſignat nomina CHRISTUS,
Cum magno referes nomine pectus Avi.
Deliciæ Patris, & lectiſſima biga juventæ:
Splendida nunc ſæcli gloria, fama, ſtupor:
Vivite felices, binis cum fratribus, ambo,
Et cumulet donis vos Deus uſque ſuis.
Quoque Parens & Avus nos eſt dignatus amore,
Vos quoque complecti meque meoſque precor.
Nec moveat: crepidam Sutor licet exeat ultra:
Namque animos addit Patris Avique favor.
Novimus: & nimis infirmas agnoſcimus alas,
Vobiſcum ut montis ſcandere ſumma queant.
Sic viſum fatis, in terra repimus ima,
Annos ſexdenos cura puſilla coquit.
Nec tamen, ille ardens olim, deferbuit ardor,
Nec minor eſt Muſę tempore factus Amor.
Reſtat amor ſterili ingenio: nec contigit unquam
Fons bene fęcundus, largaque vena mihi.
Quantulacunque fuit, nullo exercente, fatiſcit,
Et longo torpet deſidioſa ſitu.
In magnis voluiſſe ſat eſt; quę acquirere nobis
Non datur, in natis ſpes reperire bona eſt.
Primum fata tenent: binos Gręcis Latiiſque
Imbutos ſtudiis, cura aliena premit.

Spes

Spes & adhuc: ſupereſt natorum triga minorum,
Quêis Muſę ut faveant, ſunt tria vota mihi.
Sed jam tempus equûm: faciles ignoſcite cuncti
Si minùs illimis Muſa Lemanna fluit.
NB. Si refluum valuit Rhodanum retinere Genevę
Æolus, ô mirum, ſi vada ſicca dedit,
Quidni Mercurius Muſarum flumina ſiccet?
Nomina ſed (ſatis eſt) chara valete diu.

NB. Annò 1645. *Die Dominicâ, Ianuarii* 19. *horis inter octavam decimamque, Genevæ tam terribilis ventorum extitit impetus, ut celerem Rhodani fluxum retroageret, uſque in Lemannum lacum, undæque, muri inſtar coacervatæ, curſum ſuum ſiſterent, adeò ut vado ſub binis pontibus locisque vicinis facto, novitate rei numeroſa commota plebs, deambulaverit quaſi in ſicco, & piſciculos, etiamque majuſculos, manu collegerit quamplurimos.*

J. L. C.

OR, *quoy que je me ſente incapable, de vous rendre aucun digne remerciement, pour un tel ſurcroiſt de vos ſignalées faveurs, ſi eſt ce, que je ſerois par trop ingrat, ſi je ne m'efforçois d'en temoigner au moins le deſir, par quelque petit eſchantillon. C'eſt ce qui m'a donné courage, à rechercher, s'il y avoit encore quelque petit reſte de reſerve, d'un peu d'air des foibles Muſes de noſtre jeuneſſe, qui alors s'haſardoit à produire quelque vers ſterile & mal agencé, & ayant tiré, ce que j'ay peu, d'une ſource fort tarie, je prens la hardieſſe de vous preſenter, & à Meſſieurs vos fils, un peu d'Elegie, mal baſtie, cy jointe; en laquelle je ſçai bien qu'il n'y a rien qui merite, d'amuſer vos yeux & jugemens tres parfaits, neantmoins, je vous prie qu'en excuſant les defauts d'un marchand ſexagenaire, peu verſé en tel ſujet, il vous plaiſe d'agréer la bonne volonté de celui, qui cede volontiers en telle matiere à ces grands eſprits, qui vous en honorent*

dignement, & n'y pretend aucun rang. Mais, qui ne leur cede ny cedera en affection & reſpect, qu'il vous porte, & au ſervice, qu'il vous a voué, & aux voſtres, à tousjours.

Ie vous prie donc la recevoir, telle qu'elle eſt, & m'excuſer meſmes, que je n'ay peu de moins, que de me licencier à y faire mention, des tresagreables vers, dont il vous a pleu (ſans aucun mien merite) de m'honorer des voſtre jeune aage: & pource que Meſſieurs, vos fils, pourroyent eſtre curieux, d'en voir la piece, j'en ay ajouſté une copie; les meſchans Dunkerkois nous ayant faict perdre le digne originel, lors de la priſe de mon fils, lequel, faiſant encor ſa demeure en Amſterdam vous aſſeurera de plus fort de noſtre affection, & deſir, à voſtre ſervice & des voſtres, comme je m'y offre, ſelon mon debvoir, de tout mon foible pouvoir. Et en vous baiſant treshumblement les mains, & à Meſſieurs vos fils, je vous aſſeure que je ſuis, & ſeray à tousjours

Monſieur

Voſtre tresobligé & treshumble Serviteur

J. L. CALANDRINI.

De Geneve ce 15. *Mart.* 1645.

CYllenes ſummo de vertice quò perſpectas
  Phębigenam affari lentus Atlantiade?
Diſpicio, fonteſne Tagi petam, an Oſtia Rheni;
  Dum mea tam dubio Bilbilis orbe latet.
Ut niſi monſtrarit patriam manifeſta loquela:
  In Batavis natum crediderim Hugenium.

Et miraris, Vir Nobiliſſime, cunctantiùs me venire ad Te, cujus lepores nec aſſequatur Mercurius? Tu præpetibus iſtis pennis tam ſublime volitans, & vides omnia infra Te, & deſpicis Telluris pondera, meamque inter illa Teſtudinem dudum exſanguem, & niſi facerent tua illa Momenta

menta Subſultoria , *planè mortuam ; & ungulatim ſcalpuriunt ad vivum: vivum ut me credam perfecerunt, & exſequias ire Bilbilitano illi, pridem languidulo, jam etiam compoſito ac collocato, commodum eſt. Ollus effertur: Melior vacuâ jam regnat in Aulâ.*

Feliciter, mi Rex, Benè te; Benè nos, Benè noſtrum ſæculum.

Dum vacabo, Pulle Phœbi (nam vacare quid vetet?)
Dum ſimul juvat vacare (quando quod jubes juvat;)
Non verebor lector eſſe, lector inſulſiſſimus,
Aureorum, Gemmeorum Carminum pellacium.
Malo ſpiritu tenaci, malo longis hauſtibus
Hauriam, quod Tu propinas: quàm ſemel carptim legam
Quidquid inter ambulandum de Diones hortulis
Suave ſpirans & venuſtum diſplicere non poteſt.
Non dabo Diem vel Horam, vel quadrantem horarium,
Sæculo debetur omne ſęculum quod inſtruit.
Ne vel hìc morer loquendo, ſcin quid unum poſtulem?
Læta quàm ſunt, longa ſint MOMENTA SUBSULTORIA.

GOTTIFREDUS WENDELINUS.

Ad Nobiliſſimum & Ampliſſimum Virum

CONSTANTINUM HUGENIUM

Principi Auriaco à Conſiliis & Secretis.

INclyte Muſarum cultor, pulcherrima nobis
Qui procul à Batava carmina mittis humo:

Deci-

Deciperis: captant obſcuri vatis amorem:
  Sedulitas fructum non habitura tua eſt:
Vilis prȩda tibi pretioſo quȩritur hamo,
  Caſtalias perdis non bene cautus opes.
Munera facundis inſignia mitte Poëtis,
  Unde poteſt dignas Muſa referre vices.
Nos ſteriles nugas docti pro munere libri
  Reddimus, & parcâ ruſtica dona manu.

IIX. *Martii* cIↄ Iↄc LV.

IO. SANGENESIVS.

SUMMA PRIVILEGII.

C*Autum eſt diplomate Illuſtrium ac Præpotentum D. D. Ordinum Hollandiæ & WeſtFriſiæ, ne quiſquam inſcio aut invito* CONSTANTINO HUGENIO, *Toparchâ Zulichemii, Opera, quæ ipſe intra proximum ſexennium editurus eſt, imprimi curet, alibive in totum ſive ex parte impreſſa in haſce Ipſorum Ditiones importet aut vendat. Qui ſecus faxit, ipſis exemplaribus, & centum quinquaginta inſuper florenis mulctetur; ut latiùs in dicto Diplomate, dato Hagæ-Com.* X. *Aprilis* cIↄ Iↄc LIII. & *ſignato*

J. CATS.

UT

inferiùs

HERB. VAN BEAUMONT.

CON-

CONSTANTINI HVGENII

FARRAGO.

cIↃ IↃ c XXV.

Iter PRINCIPIS AVRIACI, *à* XII. *Cal. ad* VII. *Id. Novemb.*

SAcra dies Marti vultus æſtiva ſerenos
Extulit, ut patriâ impranſi deceſſimus Hagâ.
Sic Martem decuit; cui non ſua pocula plebes
Delphica, ſed lachrymas, ſed fœmineos ſingultus
Lymphataſque nurus, & totam ſupplice geſtu
Obtulit incaſſum juſto pro ſontibus urbem. *Militibus tum fortè capite damnatis.*
Proxima candidior Delphis ſtetit obvia magno
Rotterodama Duci; ſtetit, & civilia ſemper
Arma movere nefas armato cive negavit.
Inter mille tubas, inter tot fauſta precantûm
Vota virûm, & toto reflexos æthere plauſus,
Ægra ſuo auratam ſolvit de littore claſſem.
Illam turgiduli ac tanto vectore ſuperbi
Leniter antiquæ fluctus ad mœnia Dortæ
Deducunt, ubi nigra faces & ſparſa per urbem
Lumina nox Phœbo docuit præſtare diurno,
Et facere ad ſeros quædam non viſa triumphos.
Poſtera in adverſos ſtringentem carbaſa ventos
Vidit Eös pudibunda, ut, dum fugit ipſa videri,
Penè Jovi pluvio totus ſuccumberet æther:
Sed nocti confuſa dies, confuſa diei
Veſpera mille jocis, quorum fuit alea princeps,

Et damnoſa libri folia, & cum ſorte fritilli
Multa ſiniſtrorſum vagus in diſcrimina diſcus,
Tædia longa viæ fecit non longa videri:
Donec adoptati tardis progreſſibus Euri
Præcipites pepulere rates, quaſi gnara futuri
Numina & inſtantis propedum præſaga procellæ.
Jam Gulielmopoli à tergo, jam Goeſia dextris,
Jam vada prævectis longè Circæa ſiniſtris,
Vera truces caput inter aquas, turritaque prodit
Mœnia, mox fidas pedibus ſubſternit arenas,
Securoque procul tumidi de littore ponti
Exhibet horrores, dum ſulphure tota nitroque
Lucet, & emotas emotis ignibus undas
Temperat: Hinc multo convivas proluit auro,
Seſquipedeſque ſcyphos, veterum ſervata per annos
Dona Ducum, Batavos inter deſpumat amicos,
Et Middelburgi calidos ad mœnia mittit.
O te, magna Patrum domus, aut ignoſce ſilendo
Si cupiam laudaſſe, aut fer, digniſſima, de te
Indignas non digna loqui præconia Muſas,
Sive caput Valachrûm, ſive urbs antiqua Metelli
Diceris, aut mediæ melius telluris ocellus:
Plurima qui de te ſcivi potuiſſe referri,
Nunc quoque plura puto quam ſint infirma ferendis
Numina non duræ Batavorum in vota Camœnæ.
Ergò focis, ergò totam civilibus armis
Illuſtrem, tormenta, tubas, lætoſque tumultus,
Regaleſque dapes & munera Principe digna
Sedulus omitto; ſuperas encomia, dum te
Grandior exſuperas quàm quæ tibi credere poſſis.
Nos propior Fliſſinga vocat: Cui cymba frequentem
Cum Duce devexit comitem. me turba pedeſtris
Et magè jucundi rapuit congreſſus amici,
In peditum præeuntis iter: quo ſtrata ruinis
Marmora, magni habitatoris, dum vita maneret,
Delicias, nunc relliquias, Souburga Philippi
Caſtra,

Marnixii S. Aldegondii.

Caſtra, ſui cineres, avido pede preſſimus: at me
Magna viri virtus & quà vixiſſe feruntur
Mortua ſaxa ſitu, memorem percuſſit, & illa,
Illa ſui dudum compos præſentia cœli
Viſa vagos animare lares, ut vivere poſt ſe
Creditur & priſcâ Genius tellure morari.
Fliſſingam pariter ſubeuntibus omnis in armis
Adſtitit ad portam lætus pedes, omnis eâdem
Lætior auguſtæ civis tulit oſcula dextræ.
Mox feſtas de more dapes & publica luxu
Pocula civili Patrum libamus in aula,
Quâ nil Mattiaci, nil fortè Batavia majus
Condidit; una pares præſtas, Antverpia, turres.
Poſtera lux rubuit; facilem trajecimus Hontam
Sub Rectore ſuo, quem ruſtica littore Flandro
Turba ſed armatis ſequitur deriſa maniplis.
Sic Groedam, ſic ſollicitæ non ultima Sluſæ
Mœnia Catzandam pranſi emetimur & ipſam
Veſpere non ſero feſſi conſcendimus arcem.
Ardenburga diem totum luſtrata ſequentem
Occupat: hinc Sluſæ retrò de littore in ortum
Avehimur currente rotâ per penè quot urbes
Flandria major alis, totidem de ceſpite vivo
Oppida & aggeſtas in propugnacula glebas.
Iſendica diem medium, Bierylitia ſerum
Vidit & exceptis arriſit quæque Batavis.
Mane novo parvam, magno de nomine molem *Maurits Fort.*
Ingentem, magni magnus cognominis Hæres
Introit: hinc quam ſit Romæ fas dicere Naſam. *Neuſe.*
Proxima nocturnæ lecta eſt Axella quieti,
Prima triumphorum Pueri, cui tota triumphus *P. Mauritii adoleſcentis.*
Vita fuit, totos explet victoria faſtos.
Hanc quoq;, cum Phœbo nondum ceſſiſſet Amorum
Alba parens, primo ripam fugientibus ortu,
Goeſa ſiniſtra voluptati fuit, Hulſta timori
Dextera, dum cæcas neſcit nauclerus arenas,

Ignotique vadi major formido propinquis
Incutit horrendum Batavis, ſed inermibus, hoſtem.
Mox Deus & faciles favere volantibus Auſtri:
Vt nunquam certaſſe magis cum lampade Cœli
Viſa ſit in ſummum creſcenti gurgite Scaldim
Rapta ratis. Locus eſt quo non vicinior alter
Lillo. Imminet ingenti Antverpæ, ſtat pervigiL illo
Miles & auguſtam votis capit invidus Arcem:
Hactenus Auriacam portarunt lintea claſſem,
Ulterius cum Fata volent latura triumphos,
Fata minus radio turres Antverpa ſiniſtro
Deſpectura tuas. Reſtabat littore eodem
Area magna Ducum, furias fruſtrata faceſque
Una ter Heſperias, & quam damnare ruinæ
Ter voluiſſe Dei, ter non voluiſſe fatentur,
Berga pudor, totieſque pudor, fugientis Iberi.
Hæc adita eſt, hic prora ſtetit, hæc tota per orbem
Viſitur, & bene defenſas oſtentat arenas,
Et campos ubi rubra fuit, cum totus Ibero,
Ratior Hollando manaret ſanguine ceſpes.
Sed longè prædicta lues & ſparſa per urbem
Contages minuêre moras: hinc Thola minori
Sede, pari affectu cœnam non Principe, non ſe
Obtulit indignam: turbatum nocte ſoporem
Lenivit curata cutis tam veſpere lauto.
Manè diem doluit nimiùm ſibi nacta ſerenum
Tarda freto languente ratis, quaſi pondus amicum
Ægriùs aveherent undæ ſibi & Æolus undis.
Willem- Veſpere præcipiti Patrium ſic littus & urbem
ſtadt. Introiit, ſic mane novo properantior Heros
Per nebulas atrumque diem deceſſit eâdem,
Amor. Ut tua non aliàs, domitorum Regule Regum,
Celſior humanâ ſteterit virtute poteſtas.
Dorta nec inſpecta eſt: eadem de Roterodamo
Cura fuit: Delphos quadrupes, mirantibus Euris,
Advehit, ut remoræ proram vis nulla ſtitiſſet.

Haga

Haga domus Venerum, votorum terminus Haga
Ameliis reducem Fredericum tradidit ulnis.
Cedite civiles epulæ, tormenta, triumphi,
Nulla voluptatum thalami par nata voluptas.
Amelii amplexus, iterata per oſcula mille
Mille vices, iterum amplexus, iterum oſcula mille
Eſte quod amplexus tales decet, eſte quod optat
Belga, nec Auriacos ultra differte nepotes.

---

cIↄ Iↄ cxxvi.

CVNÆ AVRIACÆ.

Sub Natalem Principis GVLIELMI.

DII Batavûm, Dii Belgarum, Dii quotquot ubique
Vivitis, & littus non lævo lumine noſtrum
Aſpicitis, præſtate Deos, & ſingula quique
Numina in has pleno profundite ſidere Cunas.
Spes jacet hìc Batavûm, & quiddam quod pręſtat Jülo
Dardanidæ; fuerit certè magnæ arboris ille
Truncus, hic, hic majoris erit poſt ſæcula ramus.
Perpetuam libertatem, jus vindice ferro
Tutandum, infandique odium immortale Tyranni
Hoc legimus vultu; quem quondam ſole propinquo
Ferre negabit aduſtus Iber; plus fulminis illo
Projicitur, quam cum medio ſublimior axe
Torres, Phœbe, diem, & ſummo diſcrimine findis.
En caput, en ferro factos per tempora cinnos,
En frontem æternæ ſubituram frondis honorem,
En criſtis galeâque & ſanguine ſubter Ibero
Velandam, ſi prima datis tria luſtra Sorores.
En patrium cum fronte decus, ſub fronte virili
Maternos oculos, & jam nunc ſæva minantes
Hoſtibus & promittentes non ſæva puellis.
Ecce, cui roſeo cedatis fraga labellum,

Os patrium, os maternum, os oſcula figere natum,
Imperio natum ſimul & ſimul arma ciere,
Arma, viros, aciemque & ferro impingere ferrum;
Os natum, populo in magno ſi fortè coorta eſt
Seditio, mulcere animos, & ponere fluctus.
En humeros ferre arma pares, en brachia grandes
Admiſſura toros, & longas Principis olim
Porrectura manus, quas non niſi crimen & hoſtis
Horreat, in juſtos æquas æquè atque benignas.
Cætera quid memorem? bene ſic, natura, probéque
Curaſti; feciſſe marem laus omnis & una eſt.
Mox faciat mas iſte mares, quos maſcula longùm
Ditet & æterno connectat germine proles.
Dii Batavûm, Dii Belgarum, Dii quotquot ubique
Vivitis, ardenti faciles concurrite voto.

Æger Caſpari Barlæo, *Doctori Medico, Vati & amico ſummo, Ut levare morbum pergat iterato carmine.*

UMbra mei, vix ullus eram; veſtigia magni
Nominis urgebat pes tertius; omnis ab omni
Ceſſerat, impexum fugiens per tempora crinem,
Ore rubor: ſtabant oculi, poterantque videri
Sidera de fixis, emortua ſidera cœlo
Pallenti: ſtabant, nec ſi vel pagina (cujus
Da ſummos, Barlæe, viros, da quem libet, unó
Te reliquo:) nec ſi contra monumenta ſtetiſſent
Cum ſeclis victura, loco ceſſura putaſſes.
Spiritus (hunc movi ſolum) ſpirabat ut olim
Vidimus æſtivis quiddam ſudare cavernis;
Halitus hic dici poſſit, ſi poſſit; Ab illo
Aëre quis vocis fragor? heu! quem regna ſilentum
Nocturnique Dei, votæque ſoporibus umbræ
Suſtineant, non, Luna, tuos obtundat amores.
Verbo, talis eram, qualem, Barlæe, vel hoſtem
Obvius aut gemitu aut lachrymâ digneris obortâ.
Cum ſubitò de te prægnantem Carmine chartam
Intuito

Intuito & multo ſolantes omine ceras
Præbentique avidam blandis afflatibus aurem
Hei mihi quam vires traxerunt oſſa novellas,
Quam cœpi meus eſſe, iterumque iterumque renaſci,
Et morbo procul eſſe meo, componere greſſum,
Porrectumque efferre caput! ſtupuiſtis amici:
Atque aliquis nata eſt, ait, hæc de Vate Galeno
Pagina, & incluſit quo nunc quoque digna fovetur
Extorquenda ſinu. Mihi ſenſim hygieia vigorque
Priſtinus obrepunt. pergin' prævertere, pergin'
Feſtinæ laudem ſolus meruiſſe medelæ?
Eſto quod es, Barlæe, mihi; confunde Poëtam
Et Medicum, duplicemque Deum tam ſæpe propina,
Ut recreer, ſanerque ſimul: ſalvere priori
Carmine præcipiti juſſus medicamine, credam
Perpetuum cogi nullus languere ſecundo.

EIDEM,

Cum altero carmine ſalutem ægrotanti falſò ominatus eſſet.

HEu, Barlæe, parum invalido valuiſtis amico
Hippocratea cohors, procul eſtis ab omine vates:
Me gravior recidiva tenet, me tertia torret
Quæque dies, mediâ Medicorum nauſea torquet.
Jam prohibe verſus, jam totum Helicona, domoſque
Pieridum præclude, ſatis ſic urimur unâ
Febre, nec aſciti face fas ardere furoris.
Tu quoque verte ſtylum. quo ſi cum laude mederi
Et fructu, Barlæe, voles, omitte nefandos
Numina vana Deos, & cæci ſomnia ſæcli;
Surſum oculos, animumque leva, fer ſeria ſurſum
Vota pius, venerare Deum, qui ſidera nutu
Torquet, & hoc uno formavit ſidera nutu.
Ille meum veſtrâ prece delinitus, Amici,
Ille meum veſtro flexus deliniet ignem.
Audi ſumme Deus, nec, ſi quæ gratia reſtat,
Longius heu! merito plenam differto ſalutem.

Repulsâ Febri, ut credebam, ſumpto de humanis oſsibus ramento.

QVis mihi ventriculum tepidè novus inſidet hoſpes?
Quis durâ ſe parte ſui mihi miſcet, & intùs
Pulvereo per non ſua viſcera depluit imbre?
Aureus imber eras, Divûm Pater, oſſeus hic eſt;
Te penes inventi ſit honor, quæ gratia reſtat,
Vendicat hanc, qui ſanatum ſibi vendicat autor
Pulveris infuſi Hugenium, quem dira, minantem
Oſſe, lues parvoque abigentem pulvere fugit.
O pulviſcule, de quo tu mihi corpore cumque
Raderis, & caſſis inſtauras artubus artus,
Re geſtâ revocatus abi; cum laude peractum eſt
Quod poteras; ſolidare tibi: quà relliquus unam
Efficies ſocio compactus pulvere maſſam,
Æternam voveo videas compacte quietem.
Quiſquis eras, voveo: voveo, & ſi truncus Iberam
Clauſerit iſte animam; Batavorum funeris iram
Abſolvit ſepelitque dies; odiſſe cadaver,
Hiſpani eſt; Batavi, Hiſpanum feciſſe cadaver.
Quin ego, ſi præſtant Batavis Hiſpana, quotannis
Auriacus voveo ferat hæc medicamina victor,
Auctaque perpetuis creſcat Medicina triumphis.

cIↄ Iↄ c x x v i i.

In Secundas Nuptias
P. Hoofdii, *Satrapæ Mudenſis*, *&* Leonoræ Hellemans.

DEſierat ſupereſſe ſibi vernacula Pindi
Gloria, naturæ ſumma petentis opus
Hoofdius, in Batavis ignoti myſta cothurni,
Qui novus auguſtum prodidit autor epos.
Deſierat, facileſque Deos experta precanti
Egregiâ dudum prole beata domus
Orba requirebat tanti qui nominis hæres
Redderet ingenio tantus & ore Patrem.

Ipſe,

Ipſe, quod injungi potuit, Fortuna, peractum eſt,
Quâ jubeas hominem ſorte fuiſſe, fui,
Te quoque paſſus, ait: Feciſti læta Maritum,
Lætior Erpenia de Genitrice Patrem:
Reſtat utrimque nihil; privaſti dura Maritum
Conjuge, privaſti perfida prole Patrem.
Vna diem clauſura dies extrema dierum eſt,
Hactenus officio defuit illa meo;
Hanc quoque, ſi factum Cœlo, Patriæque tibique
Sic ſatis eſt, Batavum quo decet ore, feram:
Parce viris, occide ſenem; prævertimus annos
Ingenio, ſenium prima juventa fuit.
Riſit Amor, referamque faces face, dixit, eâdem,
Facte ſenex Cœlo jam juveneſce mihi;
Reddo vicem, natura; viri caneſcere frondem
Paſſa, fer æſtivos cana redire dies.
Cum dicto Leonora novæ ſocianda juventæ
Adſtitit, in dextras vincula jecit Amor.
Iecerat hæc in corda prius, nec ſolvitor unquam,
Addiderat, quæ nec ſolvere Fata velim.
Addimus hoc omnes, &, vive beata ſecundùm
Copula, & in priſcas ito perita vices.
Sive prior placuit, poterit prior iſte videri
Nexus, & hoc vitâ eſt poſſe priore frui:
Sive piget viduas inter duo gaudia noctes
Tædiaque algentis commemoraſſe thori,
(Fruſtrà commemores quæ, ſi præſentia fingas,
Nec niſi ficta velis, nec memorata leves)
Eſt ubi diſpungat lapſos male Cynthia Soles,
Iſte tui quo ſis neſcia lectus habet;
Hìc agè quod Patriæ eſt; hæredem poſcimus omnes:
Hoofdiolum Vati da, bene nupta, tuo,
Qui ſublime tener quiddam balbutiat infans,
Et patrium indocto vagiat ore melos.
Sic Hoofdi, ſic facta parens Leonora, ſecundam
Vive, nec inveniat tertia vita locum.

cIↃ Iↄ cXXIIX.

In Iohannis Iſácii Pontani *Hiſtoriam Danicam.*

AMſtela poſtremo dudum famoſior Indo
Quam ſibi, & Arctóo non minor orbe ſtupor,
Mole ſuâ Batavis nulli illuſtratus obibat;
Omnis ad immenſum ſubſtitit autor opus;
Quàque ſciunt Patriam populi, neſcivimus urbem
Incolæ, & hic Orbi, non ſibi, civis erat.
Donec in abſtruſas ævi, Pontane, latebras
Auſus es æternæ noctis adire ſpecum,
Parvaque in excelſum vectæ primordia gentis
Canaque longævo ſolvere fata ſitu,
Ignotisque focis peregrinum addicere civem,
Vt patrios poſſet, jam ſibi, noſſe lares.
Tum ductos in vaſta foris pomœria muros,
Verſaque in aërias infima prata domos,
Orbem urbi incluſum, deductum in fœdera Gangem
Ambuſtæque procul nomen amicitiæ,
Iaponem indigenam, Populum (quid plura?) dediſti
Perpetuâ nulli proſperitate parem.
Tanta ſequi ſolas decuit monumenta coronas,
Nec minor huic potuit proximus ire labor.
Iamque inſtas, Pontane, tibi, jam grandior autor
Aggrederis longè ſceptra petita loqui:
Canutos veteres, & nomina nata triumphis
Haraldos, &, quæ dira Britannus habet,
Suenones, & quo titulo virtutis Erici *qu:* Eer-nijck.
Regali decies nati obiêre domo.
Felici calamo ſeram dare fata quietem
Poſteritas à te pendula tota rogat:
Iamq; parum eſt urbem aut Reges; jam poſceris orbẽ
Quà patet, & cœlo mox adhibendus eris.
Euge animi tam vaſte vigor quàm limitis expers,
Singula te, par eſt, inferiora putes.

Foſſi-

Forſitan hæc etiam condet, ſua, Regna, vetuſtas,
Imperiique olim finis & ortus erit,
Indigenisque novis (prohibe clementia divûm)
Barbarus in tantas ibit arator opes.
Forſitan &, qui ſole facis compendia mundi,
Amſtela, ut obdurent ſæcula, nullus eris;
Et potis eſt moriare, nihil compagine rerum
Afflictâ. (hoc etiam dii prohibete nefas)
Mox poſſit periiſſe ſuus cum Conſule Rhetor,
Scriptaque collapſa cum regione ruant.
Eripe te, Pontane, neci, totusque ruinam
Effuge, quam pars eſt tunc ſubitura tui.
Omnia complexus vives quantùm omnia ſcriptor,
Quem pigeat, mundo non moriente, mori.

De Barlæi *Poëmatis in Venetorum Laſaretto, ob byſſina ligamenta, ad expiationem quadrageſimalem detentis;*

IOCVS.

QVis pudor eſt Batavâ de libertate triumphum
Ducere funeſtæ clauſtra nefanda domus!
Iudice me, Venetûm claudant Laſaretta Senatum,
Purpuraque in cippos intret iniqua ſuos,
Purpura, nil meritas adigens in vincula Muſas,
Vincula, ſi terræ non adeunda Diis,
Nec foliis adeunda tuis, digniſſime divûm
Præco, ſub infanda compede facte nocens.
Ite Patres, ſacræ ſpirant è vatibus auræ,
Ite, ſacro-ſanum præcinit iſte melos,
Carmina, tam nocuum nullà redolentia virus,
Quam medicâ Phœbi Patris arata manu.
Ite Patres, faſſisque luem juga veſtra ſubite;
Sanctior admiſſâ Pallade facta domus
Hellebori impletura vicem eſt, & ſanior hoſpes
Hoſpitibus medicam conferet intus opem.
Nonnullis poterit Pindus Laſaretta videri,
Nonnullis poterit Gyrgathus ingeniis.

Tanti erit imprudens de libertate Batavâ
Conſilium, tanti nos habuiſſe reos.

Ad BARLAEUM.

HEinſius excelſâ cœli regione vagatus
Neſcit humum, Cyrrhamque procul, mea culmina, torvè
Deſpicit, & Batavas negat agnoviſſe Camœnas.
Voſſius, ille omnem tibi quem debemus amicum,
Se didicit debere ſibi; nec vile coactæ
Nomen amicitiæ calamo coluiſſe laborat.
Burghius Arctoos adiit, Barlæe, triones,
Conductamque manum pretio tam ſedulus uni
Occupat, ut nequeas non excuſare ſilentem.
Vmbra viri, quem vix verſu memorare venuſto
Broſterhuſius. Nominis extenſi terror ſinit, aut in amicam
Incidit, aut veteres ingratè ſpernit amicos.
Conticuere omnes; & jam loca vaſta ſilentûm
Hoſpes adit, Batavas hoſpes viſurus Athenas.
Tu quoque mute ſiles; & adhuc properantia retrò
Flumina, & obnixum ſtupeamus in ardua Rhenum?
Rhene retrò propera, potuit Barlæus amori
Lentulus intepuiſſe, & amico vivus obire.
Forte quod inſignes alibi veneratus amicos
Et potis Euganeos Leidâ pertingere colles
Obliquus mea tecta beas, & carmina nuper
Vna, ſemel ſcriptor, binis lectoribus offers,
Objicis, & culpam facili molimine purgas.

* * *
* *

Claſſe Hiſpanicâ ductu P. Heinii *occupatâ.*

REMEDIUM UTRIUSQUE FORTUNAE.

HEſperiæ ſpolium, quo non opulentior hoſpes
Appulit ad portus, Terra Batava, tuos,
Heinius, afflictis inviſum nomen Iberis,
Creditur invictâ diripuiſſe manu.
Iamque liquet, nec vana fides autore laborat.
Nec veniet claudo, qui neget iſta, pede.
Si tamen eſt inter calicem quod fata minantur,
Tantaleæque valent fallere labra vices,
En quantum, Batavi, calicem hunc & labra lacunæ
Dividit, en quantum gaudia noſtra freti.
Vicimus.hoc nihil eſt:reſtant mare,monſtra,procellæ;
Cæli temperies quod ſuperemus habet.
Quàm propè dilectæ fumavit Seſtos Abydo,
Quàm puer has multùm ſoſpes aravit aquas,
Quàm ſemel interiit! quàm nil, niſi fata faverent,
Profuit expertis incubuiſſe toris!
Doctior ignotâ jacuit Palinurus arenâ:
Nate deâ, quà te non feriere Dei?
Quò vetus exemplum? quoties vicina reverſas
Theſſala, non Tempe, perdere viſa rates, *Texelâ*
Et procul extremâ victor diſcriminis Arcto
Naufragus, in portu ſentiit eſſe necem!
Larga ſui vindicta Deûm eſt; ne neſciat orbis
Nullo non aliquid numinis eſſe loco.
Parciùs exultet, quiſquis rate fretus onuſtâ
Spirat ab infido vel ſua lucra mari.
Quiſquis eam caſus tulerit, moderata voluptas
Immodici pœnam rara doloris habet.
Cætera ſi ſpernas, Heini, fuge littus iniquum,
Hoſticus auriferis quo Tagus exit aquis,
Quoque novenarum ſedes auguſta ſororum,
Infeſtum, quamvis culta Coïmbra, caput:

Scire

Scire negant illìc qui ſit clementia, quid fas,
Vt Batavis non ſint numina dura, deas.
Omnia tuta time: ſubeat, ſi claſſe coactâ
Occupet hoſtiles ultor Iberus aquas,
Quà novus eripias ereptum vellus Iaſon,
Vt, quod nulla dedit damna, nec ulla ferat.
Nam quid agas plenus coram latrone viator?
Effugias, quò te ſoſpite ſint & opes?
Et nolis, invicte viris, imbellis Iberi
Fœmineas iterum ſuſtinuiſſe manus!
Non tua te virtus, non, quam tutare, Batavûm
Gloria non memorem ſiverit eſſe tui.
Hauriet has prius Auſter opes, pretioſaque terræ
Viſcera vel rapiet flamma, vel unda bibet,
Et vapor incenſi fugiet, te flante, metalli,
Quam tua ſit parvo fama triente minor.
Invideant aurum ſuperi, victoria noſtri
Major erit; cedent damna ſuperba lucro:
Audaces Batavos narrabunt ſæcula: pluris
Victor eris, quàm quæ claſſe Talenta vehis.
Nec dolet immenſi facilis jactura peculj;
Totus ad Hiſpanum pertinet iſte dolor;
Bis pereunt illi, quas, cum periiſſe neceſſe eſt,
Et voluit Batavus perdere, vicit opes.
Jam nihili es, Fortuna: Veni quâ fronte ſiniſtra es:
Partim non jacies in tua dona manus:
Ure, ſeca; veniet quo non acceptior hoſpes
Appulit ad portus, Terra Batava, tuos.

cIↄ Iↄ c XXIX.

In Hortum Fratris optimi, nuper ſodi & ſepiri cœptum.

HOrtule, ſin parci malè circumſcribimus, Horte,
Fratris amor tam digne mei, quàm dignior illo
Nullus amore meo; quamvis cunabula nondum
Deſeris, atque aliquâ ſaltem primordia mundi
Parte refers, chaos antiquum, confuſaque rerum
Semina & hæc nondum digeſtam in corpora molem,
Neſcio quâ, non cultus ager, dulcedine mutâ,
Pellicis, & juvenum tacitè properantia ſiſtis
Lumina, & Haganis non faſtidire Puellis.
Sive quod ad juvenum, quos non ſibi nutriit Haga,
Vota facis, veſtroſque aliquis viſurus ocellos,
Magna minorque Deæ, cognati ſideris ANNÆ,
Hugenios pertexet agros, &, vivite, dicet,
Vivite, qui timido cauſſam præſtatis amanti.
Sive quod hùc impunè gradum latura puella
Innocuos domini ſalſè perſtringet amores,
Securumque gelu, nec erit quod provida raptum
Hinc metuat pulchris, hinc ſperet mater ineptis,
Hanc ſervare minus, magis hanc extrudere mercem.
   Hac illis ratione places: Mihi ſola videndi
Cauſſa tui in pretio eſt: te ſi patietur adiri,
Se patietur herus; nec ſi comitatior umbrâ
Ingrediar, gravis hoſpes ero, nec STELLA repulſam,
Nec proles utriusque feret, nec Matris avitæ
Greſſibus aut geminæ claudetur porta ſorori.

* * * * *

In

In eundem.

HOrte, cultoris domini laborum
Culte digeſtor, redeatne rerum,
Sole declivi, ſatur à perenni
Feſſus aratro:
Sive pallenti fugiente Fratrem
Cynthiâ cœlo, libeat futuris
Denuò pectus benè præparatum
Solvere curis:
Sive anhelanti Cane ſævientis,
Sive directum ferientis Aſtri
Suadeat ſeſe rabies opacâ
Fronde retundi.
Horte, quæ laudum ſeries tuarum
Occupet vatem prior; unde quid ſis,
Vnde quis poſt hæc fueris, quis olim,
Dicere tentem?
Vidimus, cum, nec facie nec ortu
Nobilis, cum, nec ſegetis nec herbæ
Dives, ingrati meritò ſubires
Crimen agelli:
Fortè Piſonum Fabiæque pauper
Gentis aſſertor, modicâ ſuperbum,
Caule ſuccisâ, ſterilis ferebas
Parte legumen:
Fortè te promo facili, penuque,
Fœta lactucis, fatuâve betâ,
Riſerit majus nihil appetenti
Olla colono.
Nulla vicinæ inferior paludis
Gloriæ dos eſt: quotacumque digno
Terra virgulto caret, aut ſalubri
Paſcua flore?

* * * * * *

Auria-

Auriacus è caſtris ad Sylvam-Ducis ad Epiſt. Barlæi *Auriacæ nomine ſcriptam.*

VNius Henricum reperis in crimine culpæ :
  Quem ſine te decuit non valuiſſe, valet.
Cætera ſi matres inter cauſere nurusque,
  Cauſſa, gynæceo judice, noſtra cadat.
Nunc ſexu potiore regi non æqua recuſes,
  Arbitrio ſubſint miles & arma virûm.
En ego Perdiccas & quos de morte Crateros
  Eruis in litem provoco ſponte meam.
Nec gravis inſtanti fueris, Ptolomæe, Batavo,
  Nec, ſi judicio ſtas, Meleager eris.
Dicite, bellaces animæ, quâ lege ſaluti
  Conſultum Patriæ vultis, & eſſe meæ?
Tertia fallacem complevit Cynthia frontem,
  Tertia tota mihi, tertia nulla fuit,
Dum canis infeſta feris monſtroque perenni
  Sylva ſtat, & perſtat, milite cincta meo.
Vna parum valli ſeries fuit, altera primam
  Ambiit, extremam flumina bina lavant.
Nec Batavos modò foſſa ferens poſt Sceptra ligones
  Hoſtica multiplici tubere turget humus.
Hinc humiles inflamus aquas, hinc prodiga retrò
  Flumina, & in fontes cogitur unda ſuos:
Naturæ faciem confudimus, humida ſiccis;
  Excidit ingenio pulverulenta palus.

* * * * *

CIↃ IↃC XXX.

LAURA [1] LATRONI

Thomæ Martinellio Monacho Dominicano, qui effoſſo Petrarchæ cadaveri ferebatur brachium dexterum abripuiſſe.

[1] *l. prætor. §. adverſus eos. ff. de Sep. viol.*

SEu furor invidiæ eſt, ſeu ſpes inſana nocendi,
Quâ ſacra Petrarchæ diripis oſſa mei;
Scilicet ut ſparſi nuſquam veſtigia, nuſquam
Relliqua diſcerpti perſtet imago viri;
Impie quàm nihili es! quàm quo contendis aberras
Calle miſer, quàm ſe deſtruit iſte labor!
Illatum decuit memores tot crimen in annos,
Et prædatrices in tria ſæcla manus;
Ereptum terris æterni vatis amorem,
Ereptum Lauræ nomen utrique Polo;
Te tibi; quem par eſt memorem venerabilis umbræ
Credere ad infandum diriguiſſe nefas,
Utque animæ ingentis ſceleri occurſavit imago,
Sic aliquâ duro diſplicuiſſe ſcelus;
Eradenda fuit, quam nec Iovis ira, nec ulli
Eradent ullâ poſteritate dies,
Gloria, quâ ſtellas, jam non novus incola cœli,
Attigit æternâ fronde decorus apex,
Tum quoque cum fragili nondum reſolutus amictu
Soſpes & hac terris parte ſuperſtes erat,
Et poterat Petrarcha mori. Quò mortua demens
Exanimi longùm corpore membra rapis?
Tene immortali, quoties tria verba locuto,
Tantillâ ſperes clade nocere viro?
Ten' cœlos turbare gravem terreſtribus umbris,
Vt ſuperûm jubeas ora quod oſſa pati?
Tota Cani fuerit facilis jactura ſepulchri;
Diogenem lædat parva rapina meum?

Impie

Impie, jam nihili es: ſedes terrena beatas
Non tangit minimo cœlite cura minor.
Quod magis invideas, minor eſt jam cœlite Laurâ,
Nec patimur damni quod peperiſſe velis.
Illa meis olim, fateor, confuſa lacertis
Brachia in amplexus incaluere pares.
Illa meas ardens hederas, mea vincula dixi,
Nec ſemel erratum eſt utrius utra forent;
Illa meæ, fateor, coïtura in fœdera dextræ,
Dextera, ni Fato diſplicuiſſet, erat;
Dextera non ficti totiès non parca furoris,
Incenſi toties prodiga teſtis heri:
Sed brevis hæc ſecum diſcuſſit inania vitæ
Fabula; par fumo, qualis amabar, eram;
Qualis amor, flammæ; quam non delebilis ardor
Educat, æterni ſanctus amoris amor.
Hîc ego nec proprii temeratâ lege ſepulchri,
Nec moveor vatis quò ruat urna mei.
Putres relliquiæ, ſeu jam cinis eſtis, amantum,
Non moror effoſſæ quâ pereatis humo.
Oſſa toris quondam, quorum non degener uſus,
Brachia turgidulis ſæpè revincta meis,
Non egeo veſtri, melioribus ambior ulnis;
Ambior aſſidui luce beata viri;
Petrarchâ potiore fruor, mortalis utrique
Sarcina, ſi redeat, ſit reditura gravis.
Divulſura duos Clotho ſociavit amantes;
Vi denata pari vita renata fide eſt.
I nunc, &, modicæ ſpolio bellator arenæ
Nobilis, egregiæ præmia cædis habe.
Quos rapis, in cineres ibunt ætate lacerti,
Decipietque manus arida præda tuas;
Decipiet, ſparſæque vago per inane rotatu
Omnis relliquias ora vel aura feret.
Hæc Zephyri mites, hæc te clementior Auſter
Pulveri honorato ſolvere juſta parant.

Quem voluit livor non eſſe, futurus ubique eſt;
Participes populos jam facit urna ſui.
Una capax OvidI tellus fuit, una Maronis,
Petrarcham toto condier orbe decet.

---

cIↄ Iↄ c xxxI.

In DANIELIS HEINSII *Equ.*

Ad Sylvam Ducis, alibique in Belgio aut à Belgis rerum geſtarum Anno M DC XXIX. *Hiſtoriam.*

FAtalis anni ſæpe concuſſas vices,
Obverſa Fatis Fata, nutantes deos;
Dubiâque ſortem lance librantes diù;
Tandem Batavos, triplicisque adoreæ
Frondem implicantes FREDERICO tàm ſuo
Quàm non Ibero durior laurus ſtetit;
Auri natantis, Occidentis viſcerum,
Vectæ Corinthi, velleris Peruvii
Argo Batavæ ſponte ſubmiſſas rates;
Oppreſſa civis non ſepulti mœnia
Somno merove; teſte Phœbo, pallidâ
Sorore, cumque Siderum priùs choro
Fugatum Iberum; vi ſuperbos poplites
Flexos Batavâ, ſupplices ſævas manus,
Vitæque lucem, perditâ Veſaliâ,
Lucro putantum, mox pudore, mox metu
Ferri irruentis æſtimantium nefas;
Collapſa retrò ſigna, victrici fugam
Aquilæ imperatam, ponte vix uno ſatis
Conſtante tot prementium veſtigiis
Trementiumque: detumentem Schetzium
Sub FREDERICO preſſa retrò flumina,
Colles ſubactos, æquor ingeſtum ſolo,
Vallum procellis; Bergii ſegnes dolos,

Præviſa

Prævisa tela, colliquatam grandinem,
Serique tutò fulminis ſpretas faces:
Et mox vetuſta cæduæ cacumina
Succiſa SYLVÆ, vindicatum patriæ
Decus, ſuperbam rebus adſtructam fidem,
Teſtatur ætas, quam videmus, & negat
Vidiſſe præſens, aſſeritque, & ambigit,
Suſpenſa toto tota de miraculo.
Iam fluxa cœli puncta, denaſcentium
Momenta rerum, penè dum naſcentium,
Quâ vi moremur? excidit quod eſt, fuit
Quo nunc fruamur: abeſt magìs quod nunc adeſt:
Viciſſe parvi eſt, ſi, quod eſt victoriæ,
Conſtat fuiſſe, nec triumphus ſe capit.
Sic ſenſit ingens Heinſius, ſic entheus
Dictavit ardor geſtienti dexteræ:
Et, aſſeramus, dixit, æternum ſuis
Ducem Batavis: FREDERICUM poſteri
Coævum adorent: occupet mens & manus
Ævi ruentis improbè alatas faces.
Si Sylva vinci, ſi potuit Veſalia,
Si Veſper omnis, Veſperi poſſint rotæ,
Auriga ſæcli poſſit, invicti dies
Et Fata poſſint, obruant nullæ vices
Veſaliæ parentis aut Sylvæ vicem.
Victura verbis charta ſuffecit fidem.
Æternus annum Scriptor includens ſibi,
Fecit perennem: faſcinata ſæculi
Momenta credas: neſciunt Stellæ fugam;
Torpent gelatæ: quæ fuere, ſunt tamen,
Et ſtant futuræ: ſegnis obſtupentium
Amnis dierum repit: intentæ ſibi
Noctes morantur, omnis, aut retroſpicit,
Aut ceſſat hora, ſpectat, aut ſpectaculo
Proſtat ſequenti. Nil agis, præſentium
Egene ſemper & flagellator Deus;

Non omne ſævo ſæculum indulget tibi.
Quæ, quâ rotator Fata quadrigâ vehis,
Detraxit annum juſtior tuâ manus
Valentiorque, ſive quid plectro Deum
Certare, ſeu petorito aurigam juvat.
En de triumphis hinc tuis & hinc tuo,
Hìc ductat Heinſius ſuum, hìc dictat ſuos.
Fuiſſe Troas, Ilium, Teucros duces,
Nil Cecropis reſtare, nil Sidoniæ
Reliquum furentis; de tot aggeſtis ſolo
Saxis ſaloque, ſi vel hoc reduces velint,
Speluncam amantes non reperturos ſuam;
Non eſſe Romam, non Quirinales deos,
Cadaver Urbis æviternæ, umbram coli:
Tot rudera inter penè jam ſeptem ſibi
Latere colles: exules fruſtrà domi
Aras, & urnas, & penates quærier;
Hæc tu trophæa vindica sîs, hoc tuis
Ferox peremptor imputa damni rotis.
Naſſovium eſt, durare; bis Naſſovium,
Quod Heinſio debetur, indomabili
Annis triumpho, perpetis victoriæ
Lauro recenti ſemper, & ſemper novâ,
Et gloriæ ſuperſtitem, & ſæclo, & ſibi,
Perenni adeſſe poſteris præſentiâ.
Cum ſe fuiſſe, quicquid eſt, aut jam fuit,
Aut in futuri nocte concubia latet,
Poterit fateri, ſive nolit, obſitum
Annis ſituque, ſic fatebitur tamen,
Hoc, ſoſpitantis Heinſii præſens ope,
Hoc vis Matancis facta, pax Sicambriæ,
Hoc Sylva dicet, hoc Veſaliæ dies,
Hoc FREDERICUS VICTOR, hoc Batavi; ſumus.

cIↄ Iↄc XXXIII.

Ad R. Honerdum *in ſuprema Curia Senatorem, de* Virgilio *&* Lucano *inter pocula collatis, animi autem gratiâ hoc illi à me & aliis prælato.*

FÆcundos calices, qui me fecere diſertum,
Cum gravis ad lances cauſa tuenda fuit,
Cum tres Lucanum ſocii fecere Poetam,
Quartus in hiſtoria juſſit habere locum,
Fæcundos, Honerde, probo: facundia vino
Cocta, parùm, nî me fallo, coacta fuit.
At cauſâ certante tamen certavimus, & jus,
Scilicet, & fas in partibus omne ſtetit.
Nam quis ego de re dubiâ contendere tecum
Sobrius, aut Baccho quis præeunte velim?
Sobrius hoc tandem & nullis ardentior uvis
Aſſero, Lucani ſacra Camœna mihi eſt.
Sacra; nec offendo, quem vis invitus adorem,
Perſpicuum lævi carmine Virgilium.
Huic ſua majeſtas conſtet, non conſtet, ametur,
Non placeat, ſapiat denique, non ſapiat;
Non veto, non turbo, non diſputo: ſed Lucano
Sic quoque ſuſtineas mitior eſſe meo.
Hoc te cauſa Deûm victrix, hoc victa Catonis,
Hoc Magni manes, hoc pia Polla rogat,
Polla rogat, vati vates ſociata marito,
Sarta ſient veteris vincula conjugii,
Hiſtoricisque, offenſa refert, ſi nata fuiſſem,
Nullo non Romæ digna marita fui.
Sed Romæ quas non potui contemnere tædas
Vnica Lucano Polla ſuperba proco?
Contempſi, quis it inficias? & ſumma petivi;
Heroës animos nil mediocre movet.
Conſulis uxor eram, niſi Cæſaris ira fuiſſet,
Et vivo virtus facta Nerone nocens.

Sed ſummi viduam laudavit Roma Poëtæ.
  Crevit ab invidia Cæſaris ille favor:
Et ſtetit ambiguum, fuerit Pharſalia bello
  Clarior, an tali perpetuata manu.
Hoc liquet, ad ſeros ſcriptam ſupereſſe nepotes,
  Pugnatam primâ diſplicuiſſe die.
Scriptæ delicium ſtuduit non perdere prudens
  Roma, triumphatæ non meminiſſe nefas.
Iam ſcriptæ pars Polla fui quotacumque: quis obſtas
  Livor, & in manes exſpuis acre meos?
Tres ſociâ Libros limâ purgavimus, autor
  Vnicus, autoris cenſor uterque fuit.
Cætera nec curas experta eſt cura ſecundas,
  Nec niſi feſtino dente polita nitet.
Et durat tamen; & certè nullius Homeri
  Simia, de nullo ditior Enniade,
Stat pede nixa ſuo, &, nativis fulgida pennis,
  Non timet ultrices indè vel indè feras.
Quâ nos cumque manu volvas, Pharſalia noſtra eſt,
  Quodque placet, Lector, debet amata ſibi.
Lector, ama, quod amaſſe probant odia ipſa tyrannos,
  Ivit in invidiam cum furiatus amor,
Et primum, placuiſſe, nefas, ſuperaſſe coævos,
  Altera, portentum tertia culpa fuit.
Quid moror? hæc ſumma eſt: nihil invidiſſe Maroni
  Sæcla, Venuſinæ nîl nocuiſſe Lyræ,
Quæ, tot Apollinei cum ferrent ætheris aſtra,
  Lucani ſolem non valuere mei.
Scilicet (hoc fas atque nefas audite) cupreſſum
  Quod ferit, arbuſto parcere fulmen amat.
Talibus invaſum propugnans Polla maritum
  Neſcio an in ſomnis adſtitit, an vigili:
Adſtitit; hoc de vate volo mihi credere vatem,
  Exiguam tenuis poſco poëta fidem:
Et facies, Honerde, furens quid fœmina poſſet
  Vivaci candens edidit indicio;

Quin

Quin rugis aliquid viſa eſt caperata minari,
Quales turbandi credimus eſſe maris.
Tu quibus inſultes agnoſcito ſobrius umbris,
Et vel defunctæ vivus ab ungue time.
Sin pugil illuſtrem decertabundus arenam
Poſcis, & armatâ cominus ire manu:
Adſto equidem,& quò vos umbratilis alea belli
Auferet, & quò ſors diriget arma moror.
Vteris arbitrio non ſpectatoris iniqui;
Interſum ſtudio partis utrimque pari.
Ecce furens vacuo dudum Argentaria circo
Bella per Æmathios tota recenſet agros,
Iamque impugnatæ crudeſcit imagine pugnæ,
Et quo non placuit vincere Marte parat.
Carmina cenſuræ primos experta maniplos
Hìc acies, hìc vis prima nocentis erunt.
Tu cæsìm punctìmque feri: certaminis horror
Ingruit, Hiſtorici quale Maronis amas,
Cùm per caſtra trucem volitans Laurentia Turnum
Luſit,& Æneas quod foret, umbra fuit.
Hoc moneo, ſi fortè breves accenderit iras
Incaſſùm plagas quæ feret aura tuas,
Cum tenuem, decepte pugil, ſine viribus umbram
Pro Polla totiès non feriſſe gemes;
Bis fieri fruſtrà nolis, aut æmula primis
Vltima in umbonem perdere tela meum.
Spectator ſine telo, humeros imbellis inermes
Affero; pugnantes perdere ſuadet honos,
Pacatos pudor ipſe vetat: non æquus Achillem
Dedecet, Honerdo convenit æquus agon.
Tum, quid agas? fugiam: fugiam velociùs umbrâ
Quæ patris Æneæ ſcandere viſa ratem.
Quò fugiam verò? quò, ſi [1] non ſimplice gyro,
Si, cincto [2] duplici monte, latere licet?

[1] *Cromenio,* [2] *Bellimontio & Reigersberghio, Senatorib.*

 Vin-

VINCENTIO FABRICIO,
Medicinæ Candidato, Poetæ.

AB EXERCITV.

QVi me inter arma, Nordovix, novenarum
Myſtes Dearum, non novelle, non priſce,
Sed ſic utrumque, ut utrum ſies, parùm conſtet;
Puer diſerte, non puer, vir imberbis,
Qui me inter arma, non inermibus chartis,
Sed de pharetra maximi Deûm telo,
Telo Merillæ fulminum, gravi telo,
Ignotus ignotum feris, & inviſum,
Mox invidendum, laureate Fabrici,
Sed inter ulnas educantium, ad cunas,
Et ante cunas laureate Fabrici;
En dexteram, fidemque, ſi quid hoc tanti eſt,
En pectus imum, & intimum, en amicorum
Eſto meorum; per fidem, per hanc dextram,
Per Heinſium, commune nomen utrique,
Commune numen, creſcet ille creſcenti
Coævus ævo, fixus, acer, æternus,
Par ardor illi, quem fovetis utrimque
Fabricius Merillæ, & illa Fabrici.
En arte Coâ prorſus & Galenorum
Cæco apparatu, quo magìs meus fias,
Nihil neceſſe eſt. Vixerit ſenex Cous,
Fac totus in te vixerit (quod ut cano
Fiat, mereris jam puer) quid expectem,
Niſi ut propinquis æger à manu tanta
Reddar, quod orto Parca neverit, vivam,
Et ſim diù, qui nil quidem intereſt an ſim?
At qui ſepulto ceſpitum gravi mole,
Gravioribus negotiorum, & armorum
Ni Patriæ, nec Principi, ſibi extincto,
Surdo, ſilenti, neſcio Camœnarum,
Permeſſidos, Pindi, tui, ſui, trunco,

Vitam

Vitam remittis, & procul jubes vivam,
Loquar jubes & audiam, jubes cantem,
Permeſſidem credam facis, facis Pindum
Colles cruentos, & ſororibus divis
Quaſi intereſſe, qui ſororibus diris
Quàcunque vertor, aut revertor, interſum,
Cujus Galeni, cujus è Deûm turba
Potentiorum, τῶν μὲν ἰατρευόντων,
Manumque, opemque, magne tiro, non vincis?
Me cœcus error, me profunda caligo
Involvit, aut mortale non facis factum,
Qui me inter arma, Nordovix, novenarum
Myſtes Dearum, neminem, nihil, nutu
Novum creaſti, nempe recreaviſti.

---

cIↃ IↃC XXXIV.

In I. Smithii *Eccleſiaſtæ Neomagenſis penum antiquariam inſtructiſſimam.*

DEfuncti cinis Imperii, grandæva ſuppellex,
  Parva peregrino relliqua Roma ſolo;
Fruſta Deûm, putres Genii, fumoſe Penatũ
  Horror & ararum ſic quoq; ſancte lapis;
Crinibus in nodum tortis, fera ſigna, Sicambri,
  Quæ deriſerunt qui timuere Patres;
Fibula decepti toties jam fabula vulgi;
  Annule quem fracto gemma nitore decet;
Arma virûm, phaleræ, magè nunc deflebilis urnæ
  Teſta frequens, laceræ lampades, oſſa, ſtyli;
Veſtigata diù pedis uncia, trita fritillo
  Teſſera, pertuſo debilis ære lebes;
Gutte, triens, phialæ, Setini cara lagenæ
  Vitra, Saguntino pocula ficta luto;
Ridiculi periamma Dei, bene nupta ſigillo
  Clavis, inaſſueti cymbala fiſſa ſoni;

Numme

Numme ſitu præſtans, vili venerande metallo,
Quem ſenium, rarâ ſorte, virere facit;
Cara ſtrues carie, regina pecunia certè,
Quæ Regum titulos reddis & hos pecudum.
Vobis, theſauri, fumos & inania rerum,
Et maris & terræ viſcera poſthabeo.
Nec ſatior viſis tamen; en quicumque voracem
Creditis aſpectu paſcier, eſurio.
Nec moveor tactis; nihili eſt rubiginis horror,
Sollicitâ nihili teſta voluta manu.
Ardet ab amplexu totius avara metalli
Mens magìs antiquæ noctis inire ſpecum,
In ſæcli penetrare ſinus, in viſcera veri
Ire juvat, te, te, Roma, priore frui.
Quis Genii genius, quæ dìs reverentia, quæ dos
Propria, quæ lapidi victima, thura, merum;
Cur aurita ſiet rufi perſona Batavi,
Quâ quondam, quâ nunc parte Sicamber aret;
Quâ lacerarit acu, qualem, cui fibula veſtem
Vinxerit, unde ſagum ſtrinxerit, unde togam;
Annulus in dextra quando, quâ fulſerit, in quâ
Fulmine non nocui ſanguinis arma virûm;
Quà phaleras geſtàrit equus; quas flebilis urna
Relliquias trunco carmine muta notet;
Lampas ad humanos quæ non deſcenderit uſus,
Cui magìs in cultu, cui minùs apta Deûm;
Vixerit æternæ tantùm ſe paſta lucernæ
Flammula, an inviſæ larva ſit illa rei;
Oſſeus argenteô num ceſſerit, hic aurato
Ipſo vertendus ſub Cicerone ſtylus;
Rettuleritne parùm cui ſe præberet arandam
Nacta cedro dignam cera beata manum;
Vnde ſat inventi conſtet pedis uncia, de quo
Non dubiam faciat marmore ſumpta fidem;
Quâ ſe parte cubi damnoſa canicula, quâ ſe
Felici dexter ſenio prodiderit;

Areti-

Aretina quid anteſtent quibus inter amicos
 Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus;
Qui calices, qui non vili de pulvere nati,
 Quod Surrentinæ leve toreuma rotæ;
Vnde ſit, exanguem Lemures timuiſſe Priapum,
 Quem, puto, nec vivum tota Suburra timet;
Quæ promi fuerit, quæ duræ denſa novercæ,
 Quæ non moroſi pandula clavis heri;
Æra Celenæos lugentia matris amores
 Quanta Corinthiaci præda ſonora juvet;
Quis nummo pretium Conſul, quotus arroget annus,
 Quid ſibi ſerratus, biga, quadriga velit;
Quis ſolidum, quâ parte, crepet, cui lamina fucum
 Fecerit, aut ferrum in viſcera condiderit;
Quì referat rerum dominos, quì fronte Quiritem
 Præferat heſterno ſordidus ille ſitu,
Quo ſpiret non falſus Otho, quot curta Tribunos
 Puncta, quotum Imperium cæca litura probet,
Cur magis hunc illo firmet conſulta ſenatus
 Gratia, an argenti pluris, an æris honos:
An pretium utrivis duplicarit miles inauri,
 An proba miſſilium pondera, forma, valor.
Singula noſſe juvat, juvat omnia: & omnia jam, jam
 Singula perſpiciens, omnia percipio.
Erudit incautum priſci facundia SmithI,
 Ambiguoque piam præſtat ubique facem,
Inviſi Romæ SmithI, quem Roma ſuperſtes
 Si videat, civem non neget eſſe ſuum.
Nunc age, qui rerum tot ad hæc portenta ſtupebas,
 Omnibus hoc unum rarius hoſpes habe:
Largitur Dominus quod non habet, integra mecum
 Aufero quæ lacera hìc aut mutilata vides:
Exeo non ſatur, & ſatur exeo; Roma nequivit
 Auro, quam pepulit Smithius ore famem.

cIↄ Iↄc xxxv.

In Incendium quo pars Aulæ Hagienſis conflagravit, die Natali Principis Auriaci xxix *Ian.* cIↄ Iↄ c xxxv.

AVRIACI cunas nullo ſplendore notari
Non tulit auguſtâ ſorte ſuperba dies;
Et vetuit fortuna nefas, lux addita luci
Fulſit, & ad feſtas horruit Haga faces.
Quis pretioſa ſacræ deploras pabula Veſtæ?
Uſſimus, ut myrrham, thus & aroma, trabes,
Concuſſas ætate trabes, vicina ruinæ
Tigna, diu fœdo tabida tecta ſitu:
Denique quod perdi potuit conſumpſimus, ut quod
Pœniteat perdi reſtituatur opus.
En rurſum, fortuna, faves: illuſtria divi
Omnia natales omina parturiunt.
Caſca novis penſare, bonis mala, putria pulchris,
Χάλκεα χρυσείοις, aureum & Auriacum eſt.

Εὖ πεπλόηκα, ὅτι νεναυάγηκα.

Ejuſdem incendii TYPVS.

ELapſa tectis tota vis feræ dudum
Captiva flammæ, culminique vicino
Minata ſtragem, pabulo nives ipſas
Omnemque Brumam ſumpſit, ut leves lanæ
Floccos alendæ cælitùs datos jures:
Crepuere muri, fornices, tholi, tigna,
Proceres, tigilli, tranſtra, perticæ, poſtes;
Suggrunda ceſſit, multus aream latè
Conſtravit imbrex, non ſuo pavimento:
Oblita munus alterum, alterum cochlis
Implevit, ad ſcapum peruſta; deſcenſum:
Gemuere bis recocta calx, later, teſtæ;
Flevere vitra, lachrimaſque nativis
Fudere guttis; non ſuëta fornaci
„ Cæmenta mugiere; Prô ſacræ rupes,
„ Paterna ſaxa, frigidique ſeceſſus,

Prô

,, Prô ſemper Aulæ care ſplendor incertæ!
Rubuere lapſi cardines, timor vectes
Solvit ſolutos; peſſulo fidem porta,
Portæ negavit peſſulus; ſeræ & clauſtris
Claves negarunt, clavibus ſeræ & clauſtra:
Caryatides ſuſpirio, vale, muto
Telamonibus dixere, patriæ cladis
Faciem, jugique triſte ſchema trans ipſas
Viſæ invicem dolere marmorum cruſtas:
Atlantibus loco focoque ſummotis
Nemo Hercules ſucceſſit; uſta compages
Cænaculum omne corruens focum fecit:
Confluxit auro, ſi latere ſic poſſet,
Fugitiva plumbi vena; fortius ferrum
Trepidavit & ſudavit; æris, argenti
Par pallor, & fuga, & latebra: qui cœlum
Tulit Philippus, malleumque & incudem,
Vel torculi, compendio gravi, prælum,
Igni Batavo ceſſit, &, redemptores
Sui Philippos certus hîc recuſari,
Obvolvit inviſum caput, liquabundi
Quidquid metalli repperit, ſibi induxit,
Et tutius duxit liquarier in turba,
Quàm non perire: Quid Philippus? ipſius
Terror Philippi, terror unicus, terror
Iuſtus, perennis, univerſus, immotus,
Terrore juſto, incendio (quod averte
Favor Deorum) Patriæ, orbis incenſi
Tantùm movendus, Patriæ Pater, cœli
Proles, ſtupor mundi, ſtupere momento,
Pallere viſus & pavere; ſed quali
Te, nate divâ, te pavere pallentem
Decuit ſtupore, te penatibus, te, Dîs
Trojæ ruentis & parente ſublato,
His tantùm, Iülo & Conjugi: Hanc & hanc fornax,
Corinthiâ confuſior, ſuo gemmam

Vove

Vovebat æri: vidimus, videmusque,
Videbimusque, donec hunc dies noſtri
Diem videbunt, donec his cruor venis
Inæſtuabit, tùm tremore præcluſis,
Nec dùm recluſis; vidimus (comæ rurſùm
Horrore ſurgunt) ambientibus raptum
Flammis Iülum, & ambigentibus preſſam
Fumis Crëuſam; vidimus. Tace verò,
Aduſta fauces Muſa, nil ſupra ſummum
Nefas nefandi eſt; ſcilicet, peribamus.
Cum derepentè vis amica, vis major
Ardentis Hagæ confluentium pleno
Succurrit æſtu: candidas nives inter,
Candore toſto, candidus pedem civis
Tulit manumque; torribus bis ambuſtis,
Prunâ & pruinâ, itum in gelu eſt, itum in flammas,
Itum in ruinas, peſte, vel manu factas,
Peſti opprimendæ; quàque vel gelu fixus
Defecit humor, vel ſuperba profuſas
Hinc Veſta lymphas devoravit, hinc ſprevit,
Hinc advocatis ivit aucta Vulturnis,
Succeſſit in penuriam, gelu, flammis
Invictus & vento, latex, virûm ſudor.
Vt inuſitatâ dii deos manu ſervant!
Quem frigus auxit, vicit ardor ardorem.

Ad BARLAEUM *cum hoc Scazonte.*

OMitte ſi quid ore vel manu prodis,
Tulli Batave, Maro Batave, victuris
Perenne cedris: ampliùs caleſcendum eſt
Quàm quo caleſcis, vel Poeta vel Rhetor,
Foco perenni: patriæ focos, aras
Patriæ, calentes igne non ſuo, Veſtâ
Vili, profanâ lucidas, repræſento.
Epos moleſtum, triſte carmen, inceſſu

Claudum

Claudum pedeſtri, verba cruda, ſuſpirant
Plagæ recentes: Veritatis ornatum
Præſtabit uſtulata Veritas; fucum
Fumi, cinis, fuligo : quære fragrantes
Vbicumque flores ; hic labantium exſuccas
Necto corollas, quodque jam ſcies lector,
Titione Pimplam, pallidasque Pirenes
Turbo ſcatebras, ne quid exeat puri,
Sed, fæce potus infimâ, luto ſcribam.
Sic Fata nempe, ſic jubetis infenſi
Bataviæ, incenſi Dii : ecce parendum,
Barlæe, Cœlo; incendii color carbo eſt:
Dignum lapillo candido diem, dignos
Stacte, roſisque, aromatisque natales
Carbone fœdô, non libens, tamen fœdo.
Abſolve ſcenam cenſor, adde quas Fatum
Nolit lituras ; pone, pone funeſto
Carbone nigrum Theta, Theta funeſtum
Chartis nefandis, Carmini ruinoſo:
Placet perire, quem nec eſſe, nec ſcribi
Decuit, nigrum diem, nigerrimâ nocte.

De ſecundi Incendii cauſis, nondùm ſatis perſpectis.

MIrantur quibus orta ſient incendia cauſis,
Auriacos iterùm quæ ſubiere toros.
Nullus ego : quis enim laceras cum patre Gradivo
Vulcani dudùm neſcit amicitias?
Inſanire fabrum dubites, caſtiſſima quamvis
Hìc cubet & Marti juncta marita Venus?

De iiſdem.

Græculus incendI librans examine cauſas,
Nugæ, ait; in cauſis proxima, καῦζις erat.

De Principe GULIELMO *in nivem prolapſo, dum ex eodem incendio eriperetur.*

NOn cecidit puer Auriacus, quod neſcia veri
Fama, vel, ut ſolita eſt, ſponte ſiniſtra tulit.
Indiviſibili vis eſt nòtiſſima centro,
Quâ, quod ait vulgus labier, attrahitur.
Hic fuit, & melior magnes, quo conſtat Iülum
In patrio raptum procubuiſſe ſolo.
Oſcula ſervato properans dare, traxit euntem
Candida in amplexus terra Batava ſuos,
Muneraque, ut flores nequiit, contraria flammis,
Ambuſto medicas obtulit uda nives.

---

cIↃ IↃC XXXVI.

Ad G. Staackmannum *&* G. Barlæum *Mare liberum verſibus aſtruentes, contra* Seldenum.

STaackmanne, lux, Barlæe, dux Poëtarum,
Par Pegaſeium; vindices rei vaſtæ,
Iuſtæ patroni, commeatuum & ponti,
Ponti & Batavûm: fundite Hippocreneîos
Largi liquores inter orbe diviſos
Noſtro Britannos, inter invidum terræ
Gibbum atque Terram: pellimur mari priſco,
Novo natandum eſt; ſummovemur Arctois
Partim procellis: fundite, in quibus toti
Dominemur, undas. veſter hic, viri, veſter,
De fonte quem Britanniæ tridens nondùm
Præſepſit ulli, fluctus exuli pontô
Succurrat Orbi; navigabitur paſſis
Vtriuſque velis, innatabitur muſto,
Permeſſidis muſto innatabitur, lacti,

Qua-

Qualis Dearum eſt. fundite uberes venæ
Quâ ſit ſolo, cœlo, ſaloque mercede
Carere lucrum. me vòlente quocumque
Pulſi ſalo legamur ad ſales veſtros.
His ecce piſcor; libero mari liber,
Latio Batavus: hoc ſilentio, mecum
Hoc melle paſcor. quidquid, ô boni, quidquid
Vltrà rogatis, abnuo: Diis Terræ,
Diîs æquorum, & ſi Diîs placet, Diis auræ,
Pugnare veſtrum eſt: veſter, ô cataphracti,
Inſtare Seldenis labor: mihi vocem,
Mentem, manumque derepentè vix lecti
Furor libelli perculit: ſtupeſcenti
Hæc ſola veri fervor extudit verba,
Hos ira queſtus: hocce purpuram & ſævos
Potuiſſe faſces; hucce torva nugarum
Mandata ſervum compuliſſe Seldenum!
Prò gentium fas, prò ruam fidem, Groti!
Prò. vis volenti plura defuit linguæ;
Stetit palato fixa, dentium ſepto
Vallata cæcum murmur in ſalivoſa
Convolvit alveo; nempe ceu Mari clauſo.
Staackmanne, lux, Barlæe, dux Poëtarum,
Parnaſſium par, copula unicæ nexu
Virtutis unico, inſolubilis nexu,
O ſalſi utrimque vindices rei ſalſæ,
Qui clauſit inferioribus fretum Belgis,
Miramini os ſi clauſit infimo Belgæ?

cIↃ IↃC XXXVII.

Ἐπικήδειον in mortem STELLAE *Vxoris dilectiſsimæ.*

IN venere viam longo ſuſpiria niſu,
Invenere ſinu verba revulſa viam.
Deficiũt lachrymę, ſicci ſumꝰ imbre perẽni,
Aret aquæ rivus, cætera ventus erunt.
Ventus erunt imo gemitus pulmone petiti,
Ventus erit planctus longa procella mei,
Ventus erunt ſine principio, ſine fine querelæ:
Tempeſtate meâ vectus in aſtra ferar,
Aſtra, quibus comitem ſeſe clariſſima cœli
Stellarum, ſoli proxima STELLA, dedit.
Non erit in mundi ſpatiis quæ proximus Æther
Circuit, ut nunc eſt, intemerata quies.
Turbarum dabitur queîs non aſſuevit Olympus,
Turbine, quo nolint, Aſtra movere paro.
Concutiat Terram terreno ſaucius igne,
Concutiat, Terræ proxima regna, Fretum.
Celſiùs ardenti fas eſt non repere: Cœlum
Raptus & invidiâ, & luctu, & amore peto.
Miſſum me facito Tellus, ignoſcite Cœli,
Invidiâ STELLÆ & luctu, & amore meæ.
Audite Stellæ, audite grandævæ faces,
Audite ſæcli lampades, lychni Deûm
Audite, non eſt Stella par STELLÆ meæ.
Circuli, perenne carmen, omnis ævi Muſice,
Panda moles annulorum, concinentes orbitæ,
Sive Solem bajulatis, ſeu minora Siderum,
State fornices canori; vanus eſt rotæ labor,
Vana luminarium ter mille convolutio,
Præſtat Una mille Stellis, quam penes ſe pallidæ,
Vel pudore, ſubrubentes, vel ſtupore ſaxeæ,
Cunctæ inutiles fatentur aut minorum gentium.
Fulgete verò, lucida Siderum,

Fulge-

Fulgete ; non eſt invidiæ ſatis
Immenſa veſtri congeries meæ,
Non eſtis omnes fulmine ſingulo,
Non eſtis omni fulmine ſingulæ.
Fortior oppoſitis inſurget STELLA maniplis,
Clariùs ardebit collatis advena ſignis,
Et faciet vicina fidem, quàm turbine juſto
Hìc animi deſertus agar, deſertus ab illo
Lumine quo Cæli caret omni lumine lumen.
Cœlo receptum Sidus, immenſo ſinu
Æternitatis intuentis te Dei
Beata civis ; inquilina gloriæ,
Securitatis ſempiternæ, gaudii,
Pacis, bonorum, quæ nec auris audiit
Humana, nec vis luminum, nec ingenI
Terrena cepit; ſive contemplor tuæ
Felicitatis neſciam noctis diem ;
Crudele votum, quo ſupernè, ſi queas,
In has paludes retrahare, in hanc Stygem,
Crudele duco : nec voco te, Lux mea;
Adire malim ; Sive me, & noctis meæ
Vmbras perennes, nec diei conſcias
Poſt te tenebras penſitantem concutit
Diſtrictus in me Numinis vindex furor
Non immerentem, cum truci divortio
Erepta ſæclo, ſponte non tuâ, mihi
Me ſuſtuliſti, mel meum, turtur mea;
Non inſto Fatis, non paro, non molior,
Quibus remiſſa deſeras Polum preces.
Ignoſce, fixum Sidus, omnium decus
Pudorque Siderum, places toto magìs
Diviſa Cœlo, rapta rellicto places,
Orbo beata : nec chelyn, ſi ſit meæ
Fabella ſortis, moverim, Orpheiam chelyn,
Quo lapſa Cœlo illuceas terræ nova
Mihique Stella, forſan ocyùs novo

Non vorrei rivederla in queſto inferno. Petrar.

 Plan-

Plangenda luctu, forſitan tardo, tamen
Plangenda rurſum, forſitan nullo, meis
Superſtes, ut convenerat, fatis, tamen
Sic poſſidenda, ut invidente cœlitum
Amore, Cryſtallus manu tremulâ levi
Frangenda lapſu. tam brevi confinio
Iactura diſtant & metus, tam ſunt idem:
Periiſſe certè finis eſt metûs, mali eſt:
Periiſſe conducit, juvat non eſſe quò
Lapſi labemus; tutior quàm ſtantis eſt
Status jacentis; poſt ruinam neſciunt
Caſum ruinæ: pulvis eſſe, nil poteſt
Dejectius omni celſior metu miſer.
Et ecce pulvis omnium viliſſimus
Miſerrimusque ſancta, glorioſa, te,
Te, diva, ad-oro. ne loquentes lachrymas,
Flentes loquelas oris olim cogniti,
Et, addo, chari, &, glorior, ſolùm tui,
Ne ſperne proſtrati pares atro nigras
Luto querelas; (pulvis & lachrymæ lutum eſt.)
Hàc itur ad te proximo ſurſum gradu.
Cum venerit, venturus optanti luto,
Qui de luto me pulverem faciet dies,
Perimet peremptum, conteret luctâ levi
Non obloquentem, non peribo neſcius
Tiro perire, deſeram quod eſt cinis
Libens volensque, deſinam quà deſii,
Pridem diùque: flatus, hem, flatus, vapor
Diſſolvet hunc aut pulverem, aut lutum, aut nihil.
At ille, quo, ſi quid fui, ſolo fui,
Expers ruinæ æternitati cum tuô
Reddendus hoſpes, illud ætherium mei,
Quod eſſe gnarus, quid ſit ipſe neſcio,
Imaginem ſcio creatoris Dei
Deo offerendam, ſed redemptori Deo,
De carceris mœrore, lamentis, ſitu,

Carie,

Carie, ſolutis penè nunc repagulis
Exibit ales, evolabit ocyùs
Flatu retento, bulla ſi crepans perit.
Et ſcandet ultrò quà viam Via, Veritas
Et Vita fecit, qua præiſti, tu pia,
Tu gnara vitæ, veritatis & viæ.
Nec obviàm prodire, quo poteris gradu,
Marita ſponſo differes rurſum tuo,
Nec de-eris amplexui, nec oſculo,
Quali coire Pax & Æquitas ſolent.
Coibitur quali ſolent argenteæ
Calore guttæ, ſordium obnitentium
Vinclis remotis, invidique pulveris
Cedente maſſâ, confluent, quæ dividi
Ægrè tulerunt, una-mens-mentes-duæ.
Mox, ſi peracti relliqua eſt vel umbra, vel
Imago vitæ, ſi quid eſt curæ ſuper
Mortalis ævi, edifferam quantis miſer
Poſt te tenebris hæſitaverim pater;
Quàm ſole nigro traxerim duros dies,
Orbasque noctes: pignorum ſexûs tui
Meique ſexûs, quinque noſtri partium,
Quàm ſedulò matremque geſſerim & patrem,
Narrabo longis curioſæ ambagibus,
Sermone longo: quàm viros, quo tramite
Virtutis & ſcientiæ locaverim
Dulcis quadrigæ amabiliſſimas rotas;
Tetraſtyli columnulas meo-tui,
Iam nunc columnas, explicantem ſi feras,
Orientis aſtri, STELLULÆ, cui tuam
Si tradidiſſe ut lampadem viſa es facem
Faci ſubortæ, Stellulæ primos dies
Provectulosque, forſan & primæ facis
Crudos amores, forſan & puerperæ
Ramique ramum, avique mel nepotulum
Recenſitanti non gravem Patri atque Avo

 Præbe-

238 19

Præbebis aurem, & quàm perenni poſteris
Defuncta dures poſterûm propagine
Neſcire noles. Forſan. Ohe, ſomnii
Satis ſuperque eſt: non vacabis ſcilicet
Ineptienti; tota deſpicatui
Natura vivæ, tota erit mortalitas:
Narrabo ſurdæ fabulam & ludibria
Tot vanitatum; nec profanari feres
Cæleſtis auræ ſordibus ſacrum meis.
Gravi, decente, blandulo ſilentium
Nutu imperabis; ſed ſilentium loquax,
Cœleſte murmur, congruos loco, pares
Deo ſuſurros: Sermo cogitantium
Futurus ille eſt; ſermo ſanctus, intimi
Deoque voti ſpiritus commercium.
Quod ſi profari fas ſit & motis labra
Ciere linguis, geſtiet fonti ſuo
Mens diva mergi, tendet unde originem
Apoc.4. Benè nata traxit: Irin ingentis throni,
Quaterque ſena tot Senum ſedilia,
Albasque veſtes & coronas aureas
Adire feſtinabimus prono genu,
Cervice pronâ; Sancte, Sancte, Sancte ter,
Ter centies, ter millies cantu novo
Novoque ſemper accinemus impetu
Apoc. 5. Agno-Leoni, cujus æternus manu
Meruit recludier unicè dignâ Liber.
Serena lux, amœne concentus, dies
Divina, quam diù, diù ceſſas meam
Fugare noctem, quam diù non emicas
Nec invocanti? prò Dei atque hominum fidem,
Rom. 7. Quis membra mortis exuet miſero mihi?
24. Quis tam miſertus addet huic alas luto,
Queìs monte ſacro, ſarcinæ potens meæ,
Siſtar beatus, quo quietis ultimæ
Potiar tuique, STELLA, quò nequeam Deo

Carere

Carere nec te? Prò novi Cœli, nova

2. Cor. 5. 8. Πότε ἥξω καὶ ὀφθήσομαι τῷ προσώπῳ τοῦ θεοῦ. Pſal. 42. 3.

Tellus, & almæ pura Iuſtitiæ domus.
Quà, quando vos adire, quà dabitur frui?
Sic ſæva primi flagra perpeſſus mali,
Crudo dolore major & luctus novi
Recente plagâ, Thyrſis avios vago
Colles mearu & aridos magni Maris
Muros pererrans, aridos, niſi quòd mari
Flendo rigârat ſæpe calcaros ſuo,
Sic ſe domabat, ſic ſibi fortes manus
Nunc inferebat, nunc recrudeſcentium
Horrore torminum dabat victas manus,
Vices propinqui, ſiccus aut humens, Freti
Utrimque adumbrans: ſic ſuper Cœlos ſibi
Ereptus, ægrè viſus eſt Cœlis rapi

Poco mãcò che non rimaſi in Cielo. Petr.

Terriſque reddi: Cum rotatûs ultimi
Labore feſſum gurgiti involvens caput
Fax prona Cœli mille ſuccedentium
Produxit agmen: mille mœſto Thyrſidi
Nullæ fuerunt. Ceſſit, & prono quoque
Vultu, Valete, dixit, agmen aureum,
Ignes ſtupendi, languidæ mihi faces;
Valete, non eſt Stella par STELLÆ meæ.

Ad Nicolaum Heinſium D. F. *cum verſiculis tranſmiſſis.*

HEinſi, maxima maximi Parentis
Spes, laus, delicium, intimique amores:
Heinſi, non puer, erudita proles,
Imberbi ſenio, Patris ſtupendi;
Quæ te colluvies ineptiarum
Lectorem petit, ire trita cœpit
Per veſtigia, queîs ſolet mearum
Vltrò colluvies ineptiarum.
At ſpecta, Iuvenis diſerte, ſpecta;

Hæc in tempora natus es, quibus te
Obfirmarier arduis, paternis
Exemplis decet: Ille ſic & alſit
Et ſudavit, & impotentis ævi
Nugacis, ſtolidi, inſcii, impudentis,
Obtundentis, ineptientis ævi
Totam ſuſtinuit dicacitatem.
Iam ſuccenturiare, jam ſubito
Ad faſtidia longa nauſeanti.
Non omnis noceo; Deos Deasque,
Quarum præſidio Poëta, quarum
Rhetor præſidio parente dignus
Audis, Heinſiade parente, teſtor
Hæredem ingenii, ut moleſtiarum,
Toti te ſimilem patri videre
Totum te cupio videre patrem.

Ad I. Vander BURGH,

Aperto aggere Merkæ fluvii, poſt expugnatam Bredam.

PRima coronavit Bredanos Flamma triumphos,
 Cum fera ſtramineas induit haſta faces.
Proximus eliſis crepitavit ab Ignibus æther;
 Dixeris æſtivâ nube tonare Iovem.
Functa eſt officio Tellus, cum ſulphur & unà
 Carbonem & petræ contulit una ſalem.
Reſtabant Undæ, reſtabant ſigna fluentis
 Lætitiæ per, queîscunque natatur, aquas.
Tandem Naturæ ſigno dato, & obice rupto,
 Vaſta manumiſſi Fluminis ora patent.
Applaudit cataracta Duci, tolluntur in altum,
 Præcipites lapſu quo graviore ruant.
Et poſtliminio reduces Bredana lebete
 Excipit & Nymphis nubit amica Ceres.
Euge, pater venerum, ſiccos aqua ducit in urbem;
 Si me, ſi Bredam quæris, habes comitem.

Carmi-

Carmina ſcribuntur vel aquæ potoribus, ipſa
Hordea, ſed lupulis vincta, Poëſis amat.
Quin, ſi multa fidem Bredæ cortina meretur,
Hoc eſt Pegaſei fontis ἄριστον ὕδωρ.
I bone, quo tua te ſitis evocat, I bone Burghi,
Tota natat feſto feſta liquore dies.
Euge, vola: qui pontus erat, jam manè, frequenti
Teſte, tot in teſtis veſpere potus erit.

---

cIɔ Iɔ c XXXIX.

In

DANIELIS HEINSII *Equ.*

Exercitationes ad libros Novi Fœderis.

QVàm primùm genitore Deo, cruce, morte nefandâ,
Placato, patriâ FILIUS arce ſtetit;
Plurimus erepti volvens oracula ſcriptor
Teſtis & interpres geſtiit eſſe Dei:
Quàque fuit vernantis agri ditiſſima meſſis,
Meſſorum planè prodiit æqua manus.
Omnis in hoc ævi pietas ſudavit, & omnis
Tot membranarum pondere terra gemit.
Heinſiadæ tamen, Heinſiadæ (nihil addimus ultra,
Quo nihil effari eſt celſius, Heinſiadæ)
Neglectas placuit per tot veſtigia ſpicas
Exequi, & hanc ſummam meſſi adhibere manum.
Summa manus quaſi prima fuit. venit amphora factus
Vrceus, atque ingens pagina ſera liber.
Nempe, quod ætates oculatas fugit & omnem
Lyncea, ab Heinſiadæ lumine lumen habet.
Vltimus infanti QUANTUM NESCIVERIT orbi
Indicium, ſenio præcipitante, facit.

Quan-

Quantus qui, nocti factâ vi, veſpere nigro
Redderet auroram, debuit eſſe Liber!
Chriſte, Creatori Domino cognate Creator,
Æterno lux, Æterne, coæva Patri,
Manna merum, Panis cœli, qui pane ſtupendo
Ora tot explêſti pendula ab ore tuo;
Ecce Creatoris rurſum myſteria dextræ
Sentio, & hìc præſens numen adoro tuum:
Auribus hìc oculisque novæ miracula frugis
Objicis, & magno rurſum alimenta gregi.
Scilicet è tenui, duce Te, ſuccrevit ariſtâ
Paſcere par mundi ſæcula ſancta ſeges.
Te duce ſarta ſiet: ſpretâ, multiplicis Hydræ
Morſibus, invidiâ, Te duce tecta ſiet;
Te duce qui rugiet, vanâ & ſine dentibus irâ,
Neſciat hoc ungues in DANIELE Leo.

In
MARCI ZUERII BOXHORNII
Hiſtoriam Bredæ expugnatæ.

HActenùs edomitæ muti miracula Bredæ
Scivimus, & captam vix capit ulla fides.
Hactenus attoniti ſtupor, admiratio Belgæ eſt;
Quæque palam vidit, penè tacendo negat.
BoxhornI princeps ingrata ſilentia ſolvit
Par operi, priſcis æquiparanda, manus;
Quòque ſat Auriaci pateat vaga laurea Martis,
Victoris populi Martia verba movet.
Cœptaque terribili memorat confecta trimeſtri,
Qualibus Eugeniæ ſpes brevis annus erat;
Hìc ubi ſurgentis fruſtrà ſpectator arenæ
Horruit ad primæ mœnia molis Iber.
En quid agis Lector? ſcriptæ moliris an actæ
Prodere, an utrivis congrua verba rei?
Tolle manum. ſcriptæ laus eſt non unius ævi,
Totius acta labor poſteritatis erit.

In

In ANDREAE RIVETI *Vindicias Mariæ Matris Domini.*

QVâ torvus irâ ſaxeæ ſacer Legis
De monte lator ſaxeas furens fregit
Manu tabellas, nempe numinis bruti
Pungente probro; torvus, acer, inſulſæ,
Injurioſæ, effrænis, impiæ, inſanæ
Commenta laudis, queîs abacta vitandis,
Si ſis ſuperſtes, Gratioſa, cum Sponſo,
Cum Prole diâ inhoſpitalis Ægypti
Quæras latebras, execratur offenſæ
Divinitatis Archimyſta Rivetus.
Agnoſce fœdi fœta mater erroris,
Agnoſce, Roma, veritatis oblatæ
Munus, diſerti candidum inſtar autoris.
Non diſſidemus ſi ſapis: piam, ſanctam,
Caſtam, pudicam, virginem, Dei matrem,
Quid porrò? feliciſſimam creaturam
Docti fatemur, credimuſque perſuaſi
MARIAM eandem. Crede quod jubet credi
Quem credis, idem matris, & Pater & proles,
Deus redemptor. quo furore candorem
Laudando lædis, quo modeſtiam palpo?
Adverte demens, &, monente Riveto,
Toties monente pertinacem & ingratam,
Tandem docere: ſtant ſacerrimi ſacro
Finis modusque, Veritas, Via & Vita
Quos ipſa ſanxit: deficis vel excedis?
Tollis vel addis? omne Jota blaſphemum eſt.

In I. Beverovicii *de excellentia Sexûs fœminini libros.*

POſt vitæ momenta, coactamque agmine multo
Mobilis an fixi limitis hiſtoriam:
Poſt debellati rem geſtam Calculi, & omni
Calculo honorati ſenſa diſerta ſtyli;
Poſt Latio aſſertum Hippocratē Medicamq; potenter
Elotam priſco flumine barbariem:
Poſt meritam Celſi laudem titulosque Batavi,
Tinctaque Romano melle fel, ac aloën:
Celſiùs audaci graditur pede maximus urbis
Antiquæ civis, rector & Archiater.
Cujus ut anguſto nomen vix clauditur orbe,
Commiſſura metri non capit arcta mei.
Bella viris indicta movet, ductorque tremendo
Agmine, quod faceret Pentheſilea, facit.
Fœmineas longè noſtris excellere lauros
Totâ ſtipatus dictat Amazoniâ.
En Batavi,fera turba,mei, quibus expedit armis
Fidere, quæ miſeros ſumere ſcuta mares?
Riſerunt Batavi, & cuidam de plebe Poëtæ
Succurrit ſocios ſic animare viros:
O paſſi graviora, minas contemnite vani
Fulminis; occumbet ſub duce cauſſa ſuo.
Deſtruitur præcone, procul,procul eruta ſexûs
Gloria: pro nobis dimicat illa manus.
Quod facit infectum reddit, præpoſterus artem
Exſerit & caſſâ Beverovicus ope.
Intumeat, quàcunque ſibi meritiſſima plaudat
Fœmina, ſit quâ ſe conditione beet:
Cui victas dant cuncta manus, facundia noſtra eſt,
Noſtra perennandi gloria, noſtra Venus.
Indicium, malè ſuſceptæ clariſſime cauſſæ
Proditor, exemplo, Beverovice, facis;
Exemplo, cui ſera fidem ne fortè negaret
Poſteritas, æri par facis & chalybi.

Illa

Illa ſtupens operis magni cum lemmate parvo
Æternum formæ compoſitura decus,
Illa favens cauſſæ victrici, ô maſcule, dicet,
Heroum vigor, ô nil niſi flamma mares!
Quis contendat huic, calami muliebris opella,
Quantumvis doctâ garrulitate liber?
Quid? mulier? quot ſe marium facundia ſolo
Cum Beverovicii conferat eloquio,
Cui caput eſt operis, tot jam per ſæcula ſalvi,
Per tot victuri ſæcula, coſta viri?

Ad eundem, cum Epigrammate Belgico, Cap. 3. lib. 2. de Excell. ſexus fœminei adſcribendo. Dordracum prætervectus.

HOc tibi mantiſſæ, Muſarum digne ſacerdos,
De medio natum gurgite noſtra dicat;
Pulverulenta dicat, qualis ſudavit & alſit,
Qualis ab æſtivo fuſca labore redit:
Stridorem, ſi rauca ſtrepit, didiciſſe rudentes
Inter, & aurigas inter, & arma puta.
Si titubat malè compoſito pede, talis aquæ vis,
Dum caneret, venti, dum veheretur, erat.
Denique ſi lapſa eſt, lapſa eſt labentibus undis,
Et fluvii faciem rapta ruentis habet.
Quod magis ignoſcas, peccat properãdo: quid, inquis,
Quo feſtinandi tuta colore ruit?
Te Beverovici cultamque ſororibus octo,
Battaviæ Cirrham, ſenſit adeſſe domum;
Hos animo votisque diu, velisque petitos
Exilii metam credidit eſſe lares.
Pro venia rerum ratio eſt: vicina quieti
Ocyùs in terram præcipitata ruunt.
Excipe præcipitem, ſi non gravis hoſpes amico eſt;
Exceptam Pindi de grege ſcribe tui.
Sin piget exceptæ, proſcriptam fronte ſeverâ
Reſtat honorato plectere ſervitio.

A pedibus dic Schurmannæ manibusque ſtupendis,
Si placet ancillæ non leve munus, erit.
Illa quid? excedet levibus velocior Euris,
Nec ſinet ingratas rumpere Fata moras.
Nempe nec exilio poſſit magìs ulla beato,
Nec poſtliminio nobiliore frui.
I bona, quò ſortis tua te vocat aura ſecundæ,
Invidiæ, fateor, non ſine dente meæ.

In

Iohannis Smithii, *ſummi Antiquarii, Diſſertationem pro Neomago Oppido Batavorum.*

Hunc quoq;, ſi fas eſt, ſi quam non vana meretur
Deucalioneæ ſtirpis origo fidem,
Hunc quoq;, tot gemmas inter nummosq; loquaces,
Eruta felici ſidere gleba virum
Naturâ ludente dedit, κειμήλιον orbis
Antiqui, lucem deliciumque novi.
Unica Romanos inter ſub judice lis eſt
Et Batavos, utris debeat ille genus.
Románe naſcentis pueri cunabula primùm,
An Batavo Solem viderit iſte ſolo.
Res Batavas, res annorum ſub nube ſepultas,
Tantam de tantâ prodere nocte diem,
Gentilem Batavum adverſos habuiſſe Quirites
Arguit, & noſtro ſub meruiſſe Duce.
Romanas acies in controverſa Batavûm
Oppida, nec dubiis tradere caſtra locis,
Tradere Cæſareo, qualique Hortenſius olim,
Quali non poterat Tullius eloquio,
Romanas acies inter vixiſſe Quiritem
Dictat & in noſtrum ſigna tuliſſe Ducem.
Dum pugnant avidæ, dum cunas Roma, parentes
Imputat ambiguâ terra Batava fide,

Tu,

Tu, quod agis, Smithi, pulchri certaminis anſam
Multiplicem mox & mox iterumque dato.
Nec verò ſine Patrè ſatum ſine Matre videri
Stemmatis ingenui dedecus eſſe puta.
Rudera cognatos numeras illuſtria, multo
Conſule, non raro Cæſare fratre venis.
Reſpue, quo clares, tituli gentilis honorem;
Nobilior Terræ filius eſſe potes.

CIƆ IƆCXL.

Ad amicos Amſtelodamenſes mox adeundos.

BArlæe, Voſſi, Vondeli, omniumq; Hoofdi
Caput & chorage; & omnium Vicoforti
Hoſpes diſerte; ſi vacatis indocto
Quantùm ſodali non ſemel vacaviſtis;
Si fert juventæ votus inquies tritæ
Fervor cathedræ, Rhetoriſque Barlæi
Auditor unum commodat diem raro
Frequens amico: Voſſii labor, curæ,
Sudor ſtupendi publicoque decreta
Dicendi Origo grandiusque molimen
Sacrata Lucubratio rei Sacræ
Interpolari ſi ferunt levi, læto,
Brevi Lyæo: VondelI ſuper ſæclum
Auguſta magnum tela Cæſarem ſæclò
Datura pauſam ſi capit nec optandam,
Nec pœnitendam; ſiquod Hoofdium fas eſt
Momentum amicis imputare, quod Belgis
Decedat, exigentibus diù Belgis
Calamitatum Patriæ, ſed aſſertæ,
Tabulas perennes, æneas, mares, omni
Superfuturas ſæculo, omnibus chartis:
Si Vicqueforto non vacare magnatum

Victricibus curis vacat frequentesque
Ab Orbe quà eruditus eſt, manum ceræ
Implere ceſſant, otioque, nec ſcriptor,
Patet inſolenti: Inæſtimabilis quincunx
Selectiorum Belgicæ virûm, magnæ
Amſtelredami nobiliſſimi Cives;
Si ferre non gravamini quod inviti
Nondum tuliſtis, ecce qui bonas lætè
Perdamus horas, otioſus Haganæ
Deſertor Aulæ, & ſerio procul vultu,
Vos, abdicato. Si favetis, & rugâ
Non ſummovetis obvios peregrinos
Inhoſpitali, Teſſelæque congreſſum
Rivalibus non invidere rivalis
Barlæus audet: Ecce vos rotis, velis,
Curru, carinis, aut equeſtribus vecti
Sellis adimus. Effer omnium, ſodes,
Barlæe, verbis quæ ſit omnium concors
Sententia, ſi σκάζοντα quid Poëtaſtrum
Dignare, Princeps Rhetorum & Poëtarum.
Ridete, valete, & nos amate

CONSTANTER.

CIƆ IƆC XLI.

Ad quatuor Filios, Ingrediente Anno

Licet, exacti finem contingimus anni:
Qui dabit inſtantem proximus ortus erit.
Mos monet & ratio ſacris votiva Calendis
Progeniem ſalvo dicere verba Patri.
Scandere amat Pietas, & Amor reverentia dici:
Vt vix officii cura ſit illa mei.
Quid tamen? inverſo placitum eſt nunc ordine niti:
Annus ab hac ipſa ſit novitate novus.

Deſcen-

Deſcendat Pietas, reverentia cedat Amori:
Fas eſt officii cauſſa ſit illa mei.
Vos ego, pars animi, vos, voti ſumma Paterni,
Vos ô delicium, pulchra quadriga, meum,
Vos ego quot vixi non infeliciter annos
Bis duplici voveo proſperitate frui.
Cujus enim pueri jam nunc veſtigia ponè
Linquitis, hac etiam vincere ſorte decet.
Creditis? hoc voveo; faciant vos Aſtra benignis
Nutibus in ſano corpore mente bonâ
Tam mihi diſſimiles, ut quos mirabitur omnis
Poſteritas, omnis neſciat eſſe meos.

Ad Academiam OXONIENSEM, *cum Epithalamia Nobiliſſimorum Iuvenum in Nuptias Principum* GULIELMI AURIACI *&* MARIAE BRITANNICAE *transmiſiſſet.*

E Caſtris ad Gennepam.

OXonii colles, quos inter Apollinis olim
Feſtivâ juvenes movimus arma manu,
Arma nec exciti, nec tentatricibus armis,
Nec Batavam veſtrà ſollicitante lyram;
Accipite hos hodiè cum floribus ἀντιασπασμοὺς,
Quos ſuperi veſtris implicuere Roſis.
Ni foret immenſi vis invidioſa Profundi,
Ni foret obſtantis vaſta vorago Freti,
Quâ malè dividimur, quâ proſpectare dirempti
Non ferimur ſiccas, littora veſtra, nives,
Non ferimur quæ junxit Hymen ſociare Batavis
Pectora gentili candidiora nive;
Iret in amplexus plebs non ingloria Vatum,
Iret in officium carminis os & amor.
Nunc aliquis de fæce virûm qui caſtra ſequuntur
Martia, Phœbææ transfuga militiæ,
Occupo Belgarum partes implere loquentûm:
Turba ſalutantûm eſt una, nec una, manus:

Feſſa manus, manus Auriaci confecta labore
  Imperii, ſoli non ſibi nata manus,
Sic quoque non nulli περιτελεῖς affando Poëtas
  Eminùs Auriaco prompta miniſterio.
Teſtor enim, teſtor, Iuvenes ad maxima nati,
  Grandia facundis carmina texta modis,
Carmina quà patet ingenti vernacula mundo,
  Omnibus aptatum gentibus omne melos,
Auriaco placuiſſe Patri, placuiſſe Marito
  Nobile contractæ pignus amicitiæ.
Nec ſatis ille Patrem, nec ſe ſatis iſte Maritum
  Credidit aut animi vota peracta ſui,
Oxonii fontes, niſi veſtro ritè ſacrata
  Tam bona tam ſacro murmure ſacra forent.
Eſt aliquid, populi voces & vota tuliſſe,
  Eſt aliquid, nulli diſplicuiſſe bono;
Gaudia turbatis vultu retuliſſe Britannis,
  Diſcuſſiſſe Jovis nubila Sole brevi:
Eſt aliquid, Procerum plauſus, vel nobilis Aulæ
  Moribus ingenuis conciliatus amor;
Terrenis placuiſſe Deis, placuiſſe Deabus,
  Mille puellarum baſia, mille virûm
Blanditias, mille amplexus, longo ordine χαῖρε
  Perpetuum plenis elicuiſſe viis:
Prima maritorum primo libaſſe cubili
  Gaudia, &, unius ni levis interulæ
Tutrici prætexta manu cautela fuiſſet,
  Plena maritalis gaudia parta thori:
Plus eſt, Oxonii colles, plaudente Senatu
  Heſperidum fauſto nunc Helicone frui,
Propenſiſque Deûm quibus eſt ſapientia curæ
  Numinibus, Fati culmen adîſſe ſui.
Fluxa fides populi, fluxa eſt verſatilis Aulæ
  Gratia, & incertæ fulgur utrumque ſpei.
Quod Patriæ non fortuitò delecta Juventus
  Conſiliis libræ ponderat axe ſuæ,

Colla-

Collatisque rei priſcæ præſtantibus ad rem
    Exemplis, animis & ratione probat,
Hoc juvat, hoc ſolidis altè radicibus actis
    Credimus æterni Fœderis auſpicium.
Scilicet his animis, Princeps utriusque Iuventæ
    Hac Batavæ miſtâ fidet utrimque manu,
Quasque triumphator VIRES ACQUIRET EUNDO
    Fulciet Auriacæ juncta Britanna cohors:
Cum ſimulatus Hymen, ſpretique injuria Regis
    Vltio cognatæ poſteritatis erunt:
Hoſtica germanæ turbabunt æquora claſſes;
    Vulturis hujus erit præda, vel hujus Iber.
Ibimus & Bœtin Tameſis Rhenique Moſæque
    Subdere cogemus colla ſuperba jugo,
Et malè poſſeſſis Domino concedere juſſum
    Rapta Palatino reddere regna Duci:
Denique & à paucis pacem, quam pernegat Orbi
    Efferus, inflexo poſcere ſæpe genu.
Oxonii colles, tanto nos omine rerum
    Fata ligant, tantis jungimur auſpiciis.
Jungimur? an vanâ lactamur imagine ficti
    Fœderis, & magnæ futilis umbra rei eſt?
Futilis umbra rei eſt, niſi qui modò fœdera junxit
    Ipſa individuus pectora jungat amor,
Iungat Hymen, ſpe major Hymen, re magnus, & omni
    Parte rei, & nullâ claudus ab interulâ.
En erit illa dies qua complexanda Batavis
    Deſcendet Patriâ puppe Britanna Venus?
Quà Zephyri ſtrident, Cœli convexa boabunt,
    Et Maris & Terræ turba, MARIA *venit*!
Oxonii cives, ſi ſunt rata Fœdera, ſi, quem
    Ore probaviſtis, mente probatur Hymen;
Si placet unius mœror frendentis Iberi,
    Si Batavo-Britonum gaudia juncta placent,
Exaudite preces Generi, Socerique, Socrûsque:
    Optatam cunctis accelerate diem.

Principis Gulielmi *in vexillo Symb. ſub Sole oriente, à me inſcriptũ.*

Flectite non durum Sponſæ Socerique Socrûsque
Fœcundis linguæ flexibus ingenium.
Omnia ſperamus, (quid non ſperemus amantes
Patronis Batavi collibus Oxoniis?)
Omnia ſperamus, modò tot, ſacra nomina, Vates
POTTERUS totidem Rhetoras eſſe velit.

Academiæ Vice-Cancellarius.

cIↃ IↃC XLII.

Ad

IOHANNEM I.F. DEDELIUM,

Theſes de fideicommiſſis & S.Cto. Trebell. defendentem.

ICare Dædalii fidei commiſſe Parentis,
Implumi puerum modò qui conamine terram
Radere, ſed dumeta citum, ſimilemq; volanti
Tædia vexatæ docuit ſuperare juventæ;
Icare cognatis, non ut fallacibus olim
Ille, nec ignotum rapiende per æthera pennis;
Jam fidei commiſſe tuæ majoribus auſis
Erigere. eſt ubi te priſci conſulta TrebellI
Vindicias aſſertorem, Romanaque poſcunt
Jurgia, non canæ fidei commiſſa, Patronum.
Eripe telluri totum te, carpe per auras
Ætherium virtutis iter, quà celſior omni
Sidere inauratos oſtentat Gloria lauros
Proxima Diis: indefeſſi monumenta volatûs
Hinc Pater Æneas, hinc Patruus abſtulit Hector.
Fallor, an & vano jamnunc molimine raptum
Excito, & hoc fruſtra generoſo pectus honeſto
Incoctum Cœli moneo convexa ſubire?
Dum loquor, alato nubem penetraſſe ſtupemus
Remigio. Icare, ubi es? quâ te regione requiram?
Hæreo. deficiunt oculi, laſſataque longo
Intuitu germana acies cum voce fatiſcit.

Nec

Nec teſtis, nec præco ſequor. Succurre Batavûm
Progenies generoſa Patrum, veſtigia ſi quæ
Tanta ſequi pennis, non pigro lumine, geſtis.
Accipite hanc aliquis curſu quam lampada trado.
Quæro nec inventu, tantâ ſtipante coronâ,
Difficilem, cujus *Fidei* ſuper Aſtra canoræ
Dedelio dignas fas ſit committere laudes.
Jamque adeò quòcumque pedes aut lumina verto,
Apparent varii ſtantes in gurgite vaſto,
Quos ego Mæonios inter feror anſer olores.
Nec totus concedo tamen: natet inter olores
Qui τὸ, Bonis avibus, calamo meliore volanti
Accinat, affectu nemo potiore loquetur.

Ad Filios

CONSTANTINUM & CHRISTIANUM,

Horatii lectionem auſpicantes.

BIga doctorum, (volui, virorum,
Dicere, aut certè, Iuvenum) quid ætas
Cumque dicentem moneat, virorum,
Non puerorum:
Biga curæ delicium paternæ;
Biga currentis decor & volentis;
Biga perculſi ſtupor, & ſtupentis
Gloria ſæcli;
Quando confectis OvidI fluentis
Mollibus metris, gravibusque magni
VirgilI metris, neque nominandì
Numina poſt hæc
Silii metris, graviore Flacci
Pectus heroûm ſatiare metro
Deſtinas, nec te labor implicatæ
Perculit Odæ:
Ecce currenti neque turbulentum
Suggero calcar, neque quo ruentes

Incitem, ſed quo recreet paterni
Plauſus amoris.
Euge, quo magnos animo puſilli
Cæſares, quo tam benè mentientem
Curtium aggreſſi, & Patavinum ubique
Vulgus olentem
Livium, longos, ſuperi, & moleſtos
Mole Scriptores! properate curtum,
Debilem, & durum minus & ferocem
Vincere Flaccum.
Nec pedum fortes novus inſolentûm
Terreat ſaltus; numeroſa tandem
Dictio quâvis veniet ſuëtæ
Gratior auri.
Quanta tironi cytharæ videtur,
Quanta, quæ nunc nullius eſt negotI,
Barbitus doctis, fuit imperitis
Carnificina!
Abſit ut paſſos graviora nautas
Terreant rugæ minus æſtuoſi
Gurgitis: fractis Adriâ Lucrina
Ludus in unda eſt.
Vultis exemplo moneam? notate
Quantulus, quem terribilem putaſtis,
Sapphico ludam pede de miſella
Plebe Poëta.
Eia, præſtantes animo viri, jam
Jam poëtaſtrum ſuperate Patrem;
Barbito pridem cytharâque victus
Lampada trado.

In

In Adventum

REGINAE *Magnæ Britanniæ, inaſſueto per Menſem Martium aſperrimo gelu.*

AStra ſolœciſmum faciunt; rediere Kalendæ
 Ancipitis, Cœlo & Sole ſtupente, Dei.
Dum nocti patet æqua dies, ignota Batavis
 Vere novo faſces aſpera Bruma gerit.
Quid? Regina, gravi jam dudum ſaucia curâ,
 Non te verſa times hùc quoque Fata ſequi?
Pone metum, nîl prodigii eſt; non omine lævo
 Torpet inaudito Civis & Aula gelu.
Cauſſa tui ſtupor eſt, amor eſt, & gaudia; quorum
 Ignorant finem ſingula, cuncta modum.
Concutit oſſa ſtupor, Majeſtatisque verendæ
 Relligio? inſueta eſt publicus horror hyems.
Urimur immenſo læti venientis amore?
 Corporis interno ſumma calore rigent.
Gaudia conferto radiant in pectoris æſtu?
 Semineci meritò frigore membra tremunt.
Sic vernum, Regina, gelu, ſic frigus aduſtum
 Non durâ tecum de regione vehis.
Fallor, an æſtivis iterum tepet ignibus æther,
 Et faciem in terra, Phœbe, procantis habes?
Ecce vices concuſſa ſuas Natura reſumit:
 Solvitur unda, micant ſidera, ridet humus:
Cornua laxato revocant ſe pandula nervo;
 Non patitur longas res violenta moras.
Audi, Diva Parens, non hæc ſine numine Vates
 Effero fortunæ congrua verba tuæ;
Quo Britones Carolumque tuos in turbine ſpectas,
 Vltima commoti creditur ira Maris.
Rectorem nautasque, ducem ſociosque feroces
 Turbida, ſed ſudo proxima, vexat hyems.
Quod Natura, facit Populus: de culmine ſummo
 Illa redit, ſtandi neſcia, & ille ruit.

Villa, Hoſwijck.

VITAVLIVM

Inauguratum.

Prid. Idib. Februar.

COnviva mas & fœmina, affines viri,
Frater, Sorores, atque amici cæteri,
Audite legem quâ daturi prædio
Perenne nomen advocamini meo.
VITAULIUM dici volo, Vitaulii
Edico Legiſlator ut Vitaulio
Sit nomen inter poſteros; Vitaulium
Si quis vocare vitet, ô Vitaulium,
Quas ille, quas Vitaulio, in Vitaulio
Pœnas daturus! nempe, bis, ter & quater,
Et quinquies, & ſexies ſextario
Poto, repoto (ſemper epoto tamen)
Declinet in Vitauliano ſobrius
Vel Atrio vel Area, uno ſtans pede,
Vitaulium, Vitaulii, Vitaulio,
Vitaulium, ô Vitaulium, Vitaulio.
Et ſi quidem vacillet, à Vitaulii
Structore ſexies Vitauliariter
Vitauliatum cum Vitauliantibus
Invitus invitetur in VITAULIUM.

Ἐν ἀφεδρῶνι.

AGnoſco Purgatorium nolens volens,
Agnoſco pœnis Inferûm, totâ Styge,
Acherunte toto ſævius. vultis probem?
Præſtò cacata chartula eſt, quæ, quod diù
Cacata Romæ charta non fecit, facit.
Ades, Galene doctor, & ſenex Coë,
Utroque præſide putidam tueor theſin.
O triſtis inteſtina coli tormina,
O barbarum Rha, & Senna flatulentior,

Et

Et horror ipſe, Soccotrina, & Pſyllium,
Et Sarcocolla, & Peplium, & Terebynthina,
Et Agarice, & Colocynthis, & Fumaria, &
Euphorbium & Hermodactyli, & tu turbidum
Turbith, Sagapenum, Carthamum, tu Abſynthium,
Et Caſſia & Scammonia, & tergens Cremor,
Aſarum que, Manna & Ceterach, & cæteræ
Erinnyum, Proſerpinæ, Ditis dapes,
Ana unciis, ana ſcrupulis, ana granulis,
Quæ tam ferocem viſcerum diſcordiam
Ægro cientes me medendo occiditis,
Purgando me ſpurcatis intus & foris;
Vos eſſe Purgatorium nolens volens,
Vos nauſeando, vos cacando, vos κακὸν
Purgando Purgatorium dico, voco.
De cætero ſecurus omni, pernego,
Si non ſit iſtud, omne Purgatorium.

Ad BARLAEUM
Παραίτησις.
E Caſtris.

IGnoſce duro carmini, nec aureis,
Sed æneis & ferreis argutiis.
Plus Martis eſt quàm MercurI, quâ prodeunt,
Barlæe, quas prodi vides ineptias,
De civitate, quâ caſæ ſunt atria,
Ovile lectus, horreum triclinia;
Tibicen udis manè, ſerò flatibus
Et nocte vexat, arma tundunt & ſclopi
Scribentis aurem, quodque mireris magis,
Muti & ſepulti non gemunt vituli, boant;
Fornix, popina, (quam propinam dixeris)
Leno lupæque, Bacchus & paucis Ceres
Coëmpta nummis, ungulæ, hinnitus, rotæ,
Auriga, agaſo, calo, lixa, mulio,

Rixæ,

Rixæ, duellum, ſors, fritillus, alea,
Styx univerſa, tota Ditis regia,
Franco loquace loquacior miles Brito,
Et Haſſus & inſolentior Guebrianicus,
Caſtrenſis aſſiduus labor, negotium
Perenne, Vatem lancinant miſeris modis.
Jam quem, quies & otium quanti ſiet,
Barlæe, Vati, non fugit, dic, obſecro,
Qui poſſit eſſe tam feris natalibus
Epigramma Martiale Martialicum?

Ad BARLAEUM *mirantem unde mihi ſatis ad Poëſin otii.*

NOn benè miraris confecta negotia tantùm
  Futilibus ſpatii linquere Carminibus.
Ipſe ferax animi tumor anxius, ipſa gerendæ
  Carmina proturbat plurima turba rei.
Aſpice, quæ laxo langueret lenta meatu,
  Quàm de compreſſis emicet unda locis.
Temporis & rerum Verſus anguſtia vibrat,
  Qui ſpatio naſci liberiore negent.
Mirari poſſes, poſt te, Barlæe, vacivum,
  Pondere ſi multo preſſus aſellus eam;
Paſſibus Heroëm ſi te ſectatus iniquis
  Grande melos tentem prodere, grande malum.
Non iſtud tam vana rotat vertigo cerebrum;
  Quo pede me tutò metiar ipſe ſcio.
Quæ de perpetuo manant te flumine, venis
  Gaudeo guttatim poſſe ſalire meis.
Vis finem faciam? quod in horas evomo, quod nec
  Evomo, de ſalſo quod quaſi dente ſpuo,
Quod quaſi tuſſiculam, ructum, aut ſuſpiria dicas,
  Temporis & lex & fæx Epigramma mei eſt.

Ad
LYCORIM *cantantem.*

FOrmoſior Lycoris immortalibus
Pindi Deabus ſi movet pulcherrimas
Rogata fauces ; candidi colles duo ,
Illuſtrium par grande luminarium ,
Et labra, gemmæ, queîs nec Indiæ ferunt
Quid conferendum, & illæ eburneæ manus,
Quique articulo me mortis articuli premunt,
Amore cuncta fœta, facta gratiis ,
Sic intuentis occupant miraculo
Aciem perenni, ut aurium infelicium
Vaneſcat uſus, & canatur fabula
Jam penè ſurdo, oculiſque ſolis audiam.
Mox intuentem tanta vis cœleſtium
Quatit tonorum , tanta divinæ ferit
Linguæ tyrannis, ut repentè diſtrahar
Novo ſtupore ab occupationibus
Oculi furentis, fervidisque aſpectibus
Et aure ſolâ cogar intuerier.
Tandem nec aure, nec oculis conſto ſatis ,
Utrisque captus, ut capi ſemper Dei,
Infirmitas humana non ſemper ferat.
Quæ, Juppiter, iſte cantus incantatio eſt !
Tace , Lycori ; cœcitate me tuum
Et ſurditate plectis, & truncum facis.
At pulchra porrò , & ſæva cantatrix mihi, &
Canora fruſtra es : non vides me [1] *μακκοᾶν* ;
Quin pſalle, Diva, ſi taces, inſanio.

[1] *Deſipere, non auſcultare. quaſi μὴ ἀκούειν, ἢ μάταια κοεῖν. id eſt, νοεῖν.*

In

In

ERYCII PUTEANI

Cæſarum Auſtriacorum Elogia.

ECce quod invideas, qui nunc auguſta Viennæ
Tradita per tantos ſceptra tueris Avos.
Non uno cum Sole micas, ſtipatus Avûm vi
Non uno ſocio Cæſare ſceptra tenes.
Quot legis hìc rerum dominos, conſortia Regni
Crede ſuper terras Aſtra rediſſe tui.
Crede nouâ ſic luce frui, ut contermina Mundo
Fatales iterum non ſubitura vices.
Tanti eſt Auſtriacis, Puteano vindice, lethi
Cœlitùs expertem ſic repetiſſe diem.
O minimè mortalis, ô in ludibria cœcæ
Sortis, ô in Cœlos imperioſa manus!
Quos natura Duces, quos inclementia Fati
Extinctos voluit, non ſinit una mori.
Ecce tamen quibus incumbas ſolatia, Cæſar;
Si volet iſta quidem, quod volet, iſta manus,
Tu quoque, Cæſareos inter victure Nepotes,
Poſt tua cum Proavis fata ſuperſtes eris.
Jam Superi, in veſtra vobis ſtatione placete:
Sic quoque non ſuperos credimus eſſe Deos.

---

cIɔ Iɔ c XLIII.

Super Cœnam Domini

PRECATIO.

AVelle me mihi, Deus, me ſæculo,
Me vanitati, me luto, me ſanguini
Subbullienti, me ſuperbo crimini
Culpæque noxiisque fermentis Adæ.
Affige toti mentis obtutum tibi,
Affige toto ſaucium myſterio,

Jeſu

Jeſu Redemtor; Hoc enim est Corpus tuum;
Quod applicantem conſtat indignè ſibi
Et morte dignum & mortis in culpa tuæ.
At, ô ſuperſtes Chriſte, & à myſterio
Avelle mentem. mica vilis tritici eſt,
Quâ debili te ſiſtis, abſentem facis
Præſens ad-orem, glorioſo ſupplicem,
Paſſi recorder. Quin, Homo-Deus, tuo
Illate Cœlo, Manna vivum de mala
Manu impiorum Patrio raptum ſinu,
Hac mente me, nunc mente me captum, cape,
Ubi ſempiternis temporumque expertibus
Cœleſtibusque & glorioſis artubus
Adhuc refulges: Hoc enim est Corpus tuum.
Donec peracto quantulùm aut quantùm meis
Prædeſtinaſti nôn ſepultis artubus,
Mox & ſepultis, in ſuprema cœlitùs
Expergefactum ſuſcitabis buccina,
Et glorioſum corpori adſciſces tuo
Quod hìc peribit: Hoc enim est Corpus tuum,
Hoc te ſatum Parente debetur tibi.
  Æterna Proles, Ipſe de Deo Deus,
Fave precanti, & omnium cauſam ſuam
Cauſam putanti, & omnium cauſam tuam,
Quotquot rebellis arma ſæculi ferunt
In ſe ruentis, in tuum, Paſtor bone,
Gregem furentis, in tuam ſepem truces
Mittentis apros, in tuam caulam lupos
Inſanientes, in tuas Solymas Lupam.
Donec ſuperbos ferreâ peſſùm datos
Virgâ domabis, perpetisque gloriæ
Tribues coronam militantibus tibi,
Oculisque terſis æviterni compotes
Facies triumphi, ſanguinis pretium tui.
Veni, fidelis, ne morare; ſubveni
Tuis Redemptor; Hoc enim est Corpus tuum.

In BARLAEUM *Deſertorem, falſò me raptûs accuſantem, in itinere Amſtelodamenſi.*

BAſia ducturo Viduam ſperata Poëtæ
Alter, at ex ima plebe, Poëta tulit.
Scilicet, ut Viduæ ſucceſſit priſca priori,
Neglectâ potior priſca priore fuit.
Teſſala ductorem ſubitò diſtraxit amantem;
Excidit hoc iterum nobilis Anna viro.
Bis viduam miſeratus amans Rivalis honeſti
Et pulchri, viduam clauſit utrâque manum,
Et, certè contempta places, miſerere miſerti,
Dixit, habes cui ſis non malè juncta comes.
Illam læva fides ſpretæque injuria formæ
Fecit amicitiæ fœdus amare novæ.
Conſtantemque adeò pro fluxo nacta Poëtam
Baſiolis dignum credidit eſſe ſuis.
Nec, [1] ſi ſumma rei, nec ſi benè tradita Belgis
Exigerent ternas [2] Pontica jura vices,
Dura renitenti voluit pugnare lacerto:
Multa fides multam poſcere viſa fidem.
Moribus antiquis, mixtâ gravitate lepori,
Blanda, modeſta, ſui larga tenaxque fuit.
Viximus, ut ſolis ſerò ſapientibus, utque
Invidiæ ſoli diſplicuiſſe rear.
I nunc & raptos viduæ nolentis amores
Invitos, Helenamque objice nempe novam:
Crimina, cur, Agamemnonios in Hagana furores
Pergama & in Batavum moveris arma Parin.
Reſpice Cæſareas leges; quæ tollere grato
Nequitia, ingrato tollere juſtitia eſt.

[1] *Een ſommetje.* [2] *Heulen.*

L. Generaliter. Cod. de revoc. donat.

CONSTAN-

CONSTANTINI HVGENII

EPIGRAMMATUM

Lib. I.

cIɔ Iɔ cxxv.

In Manes Auriacos

C. Barlaei.

RIſimus has inter lachrymas; ignoſcite Cives,
Gaudia nec vobis invidioſa loquor.
Riſimus. hos nobis lugendi docta voluptas
Exprimis, hos plauſus ingenioſe dolor,
Quæ mihi Barlæîo præêat ſuſpiria planctu
Præfica, quæ grandes effleat ore modos,
Ut veter arridere, pius de Cive Poëta
Factus, & in grandes mollis utrimque modos?
Non decet alba bonum facies in funere Civem,
Lectorem facies non decet atra tuum.
Hinc dolor, hinc lauti luctus, & gratia flendi
Afficit, ancipitem quo feriare magìs.
Pace tuâ, Barlæe, ſubit gaudere gementi,
Vt ſubit à gemitu gratior urna tuo.
Qui me flere velis, fletu minus ora venuſto
Infice, tam comptè qui jubet, ille vetat.
Vos tamen ut, magni Manes, fleviſſe libenter
Arguar, in fletus invoco porrò meos:
Sed Batavos fletus, patrii lamenta doloris
Conſcia, de tali languida verba ſinu.

Qui malè plorantes ſequitur pudor, eſto Batavûm;
Vix rubor humentes afficit iſte genas:
At benè lugendi ſequitur quæ gloria Vatem,
Hanc, Barlæe, tibi cedimus, una tua eſt.

---

cIↃ IↃ c xxvii.

In

I. Vallensis *Principis Auriaci Medici primarii de Rerum inconſtantia Verſus mihi inſcriptos.*

Perpetuos rerum fluctus vicinaque ſummis
Infima, & hæc imo neſcia ſtare loco,
Siquis adhuc, ignara ſui præcordia geſtans,
Neſcit, & alternas hactenus ire vices:
Helleborum, aut iſtos jubeam potare furentem
Verſiculos, Medicæ munus utrumque manus.
Mox reliquum ſupplebit Iber, faſſurus & ille
Poſſe quid alternos in ſua fata dies,
Atque aliquem elatæ caſum ſuccedere ſorti,
Atque aliquid Grollâ majus adire necem. *Cujus in obſidione tum verſabamur*
Tu tamen hàc ignoſce tenùs, doctiſſime rerum
Arbiter, eſt quod te dedocuiſſe velim.
Tempora temporibus ſuccedant, arma triumphis
Altera, lætitiæ proximus ito dolor;
Omnia fortunæ perimat rigor, omnia tollat
Gratia, ſors iſtam neſciat ulla rotam:
Do tibi me Constanter, & hic, me ſoſpite, ſemper
Unus amor, quo te proſequor, unus erit.

IOSEPHI HALLII *piarum Obſervationum prima, è verſione Gallicâ, Latinè raptim redditâ, in ejuſdem Vallenſis gratiam.*

QVàm primùm cecidit, lachrymarũ exaruit humor;
Naſcitur & perit haud ſegniùs ipſe dolor.
Invenias, qui plorantem ſoletur amicum,
Invenias crudo vulnere qui det opem.
Vaneſcat vis prima mali, deferveat ardor,
Vix riſum illa tui lingua miſerta tenet.
Non tam parva pias perimunt momenta querelas,
Nullius non eſt temporis iſte dolor.
Quin, ſi lapſa Deo reſtant præſentia, cujus
Quem damus huic nequeat temporis eſſe dolor?
Qui trito ſaliunt gemitus de pectore, nullum
Hi Juvenem, nullum dedecuere ſenem.
Felices lachrymæ, quas tempeſtiva juventus
Cum dederit, nunquam ſera ſenecta dabit!

Ad VALLENSEM, *præmiſſos verſiculos nimiùm laudantem.*

SIccine præcoctum calamo pariente Poëma,
Eſſe aliquid promptum credis, amice, melos?
Nec memor es veteri vatum placuiſſe magiſtro,
Rem benè præviſam commoda verba ſequi?
Judice me, laus eſt omni indigniſſima Lauro
Alterius noſtris verba ligare modis.
Alterius vænum partus dare, nobile furtum
Fingere, & hàc plagii diſſimulare notam.
Nempe, ſit hoc laudi cuiquam, quòd inunxerit auro
Quas Medico ſumam te præeunte pilas?

Ad eundem, operæ pretium non videri, Latinæ verſionẽ piarum obſervationum IOS. HALLII *vacare.*

BArbara Roma ſibi eſt; patriâ ſuus exulat illâ
Civis, &, ut linguas perputo, rara domi eſt.
Et Batavi ſudamus adhuc ſudore Latino?
Quò tibi, quò mihi tam vanus, amice, labor?
Quæ Patriæ gravis & patrio dedit ore Britannus,
Eſto, ſibi Gallus, vel ſibi Belga dato;
Egregiam hic laudem feret, hic pietatis honorem,
Grande operæ pretium conſtat huic & huic.
Scilicet eſt Gallas inter quæ interprete Gallo,
Quæ Batavo in Batavis imbibat iſta nurus;
Quæ Latii ſermonis opem vel caſta requirat,
Vel pia, vix ullam terra Latina ferat.
I nunc, ut veterum placeas vernaculus umbris,
Italiæ dudum barbara plectra move.
Roma, ſtrues falſi, non ſi Romana reſurgas,
Jamque tuo diſcas cum Cicerone loqui,
Cum Cicerone loquar, quò te pia verba docerem,
Verba nec Italicè nunc habitura fidem.

In Effigiem meam, paulò ante nuptias pictam.

TAbella, fare, quanta me vis gaudii,
Quanta obſidebat intus exultatio,
Cum penè Stellæ victor aut prorſus meæ
Stellas ſupernè quotquot illucent polo
Calcare viſus & triumpho proximus,
Interpretes felicitatis te meæ
Hoc frontis æquor, hunc alacri lumine
Serenitatis indicem vultum bonum,
Transferre juſſi poſterorum ſæculo.
Dic, ante tempus, dic, ab ævo principe
Nil Orbe divos, nil ſuo beatius
Vidiſſe Cælo; nil videre utrolibet.
Tace, Tabella, dixeris vel ſic nihil.

GULIEL-

GULIELMUS NASSAVIUS N.
ad Grollam deditioni proximam cæſus.

NAſſavium germen, nativa Parentis imago
  Mauritii, ad Charites natus & arma puer,
Ut nihil invenit Patruo quod Grolla negaret,
  Jamque daret victas penè ſubacta manus.
Ilicet, hæc pattio, prima hæc vindicta, ſepulchto
  Defuit, hàc partim debitor ipſe fui:
Nec magìs hanc poſſint rapere opportuna juventam,
  Nec minus invito claudere Fata diem.
Euge, feri me, quisquis eris, felicior hora
  Non ſequitur; propera, dixit, & occubuit.

Ad Amicos Epiſtolium extemporaneum diſſimulato Carmine.

CArmina quæ pridem vobis miſi Amſterodamo, Hagæ reſtitui, niſi diſplicet, impero, Amici; ſcilicet ut tres illa dies, non ampliùs, abſint. Quatuor indulſiſſe velim, niſi cauſa repugnet; quam niſi non neſcitis, Amo; ridetis? amate; nec vitio ſaltem fido verteris amanti Hagæ diſplicuiſſe moras. quas rumpo. Valete.

Ad I. BROSTERHUSIUM, *cum hortum floridum perennem præſcripſiſſet.*

NEc ver perpetuum, nec erudita
Brumæ tempora, nec tepor Decembri
Æſtivo placet inſolentis umbræ.
Lucullos tegat illa, pervicaces
Naturæ dominos, ſui impotentes,
Quos nil Fata ſibi negare paſſos
Tædet fertilitatis incoactæ.
Me nunquam ſimilis dies diei,
Me rerum rota, me viciſſitudo

Arentis capit & virentis horti.
Tum tu me capis, hortule, hortulorum
Quondam de numero feraciorum
Intra prædiolum future noſtrum,
Tu me, Stella, capis; nec occupato
Tam dulci vacat hortulo hortulorum
Curam arceſſere vel feraciorum.
Si rides, miſerere, Broſterhuſi:
Neu me, per Venerem Cupidinum que
Quot non millia pyxidi Sabææ
Includas, reverende Myropola,
Durá deſere ſub neceſſitate.
Quin da, da, bone, da, perenne quo non
Hic hortus vireat, ſed hortulanus.

cIↄ Iↄc xxviii.

De PONTIFICE *Poeta.*

SCribere Pontificem Verſus non miror, Amici,
Mirarer verſum ſcribere Pontificem.

cIↄ Iↄc xxix.

In IACOBI VALLENSIS M. *de Sylva Ducis expugnata Carmen, mihi inſcriptum.*

VIctori Auriaco, cũi virginitatis honorem
Invictæ ceſſit Sylva ſubacta proco,
Perpetuus lethi victor Vallenſis & Orci
Invictâ poſuit docta tropæa manu;
Victurum invidiam, victurum ſæcula Carmen,
Præſidio dignum poſteritatis epos.
Dumque ſui nec parca nimìs nec prodiga virtus
Ambigit auguſtum cui dicet autor opus,
Vicimus. en Batavo, placui de plebe, Galeno;
Magna mei frontem nominis auſa ferunt.

Ite

Ite triumphatæ reduces de ſanguine Sylvæ,
Me ſequitur nullâ cæde cruentus honor.
Iſta meos olim redimet victoria faſtos,
Iſte meus de te, Sylva, triumphus erit.

In effigiem P. HEINII.

TAlis Jaſonidæ Batavi, victoris, imago eſt:
Vincentis faciem cernere nemo velis:
Illos intuitus radium de Sole propinquo
Ferre potens totâ Claſſe redemit Iber.

In Theſaurum librorum à I. GOLIO *ex Oriente in Patriam allatorum, quo tempore Claſſem Hiſp.* P. HEINIUS *occupaverat.*

QVæritur, & vario nuper ſub judice lis eſt,
Utra Batavorum gloria cedat utri.
Heinius occiduo detraxit vellus Ibero,
H Eoï ſpolium Golius Orbis habet.
einius interitum, turbatâ ſorte, minantes,
Golius æternas per freta vexit opes.
Heinius in paucos ducit ſua munera rivos,
Participes omnes Golius ore facit.
Felicem Patriam, quæ ſe prædives utrimque
Neſcit utrâ potius proſperitate beet!

Organo Muſico Hagienſi inſcriptum.

VIctrici Patriæ, Cœlo victore, triumphos
Accentura ſacris relligioſa modis,
Singula quæ per ſe Batavi bona verba loquantur,
Vna tot ambivit vocibus Haga loqui.

cIↄ Iↄ c xxx.

Cum Epiſtolis Hoſtis-Amici ER. PUTEANI *interceptis, & Lovanium miſsis.*

VIctores Batavos, quia libertatis avitæ
Tutores, durum, quàm bona cauſa, genus
Non pudet inviſas vitâ donaſſe tabellas.
Quo ferus afflatu deſiit eſſe Leo?
Ite leves tabulæ; ſalvas præſentia proprI
Numinis & flammas inter & arma facit:
Ite, fatemur enim Puteani nominis auram
Hoſtiles iram dedocuiſſe manus.

QUOD SIBI FACTUM VELIT
SUISQUE
HUMANITATIS
ERGA HOSTEM
PROFESSOR CANDIDISSIMUS
HUMANITATIS
APUD HOSTEM
ET BONÆ MENTIS
PROFESSORI CLARISSIMO
ERYCIO PUTEANO
CONSTANTINUS HUGENIUS
FAÇIT
L.M.Q.
HAG. COM.
POSTR. NON. DECEMB.
cIↄ Iↄc xxx.

Pratoria Principis.

QVì peream concuſſa ratis? Reſpublica mecum
Navigat, & Patriæ ſub Jove ſumma ſalus.

cIↄ Iↄ c

cIↄ Iↄc xxxi.

In

H. GROTII *Inſtitutiones Iuris Hollandici.*

QUæ patriam obſervat Grotius ſervare, reſervat:
Quæ putat in Patria non patria eſſe, putat.
Quid ſcriptore putas, Lector, tam ſana putante,
Quid melius tam non ſana putante putas?
Non puto, quæ putat hic lectu benè digna, putanda,
Quæ putat hic lectu non benè digna, puto.

Ad ARN. VINNIUM I.C. *Iuriſprudentiæ Contractæ Libros edentem.*

OBſtupui de re dictâ cum dicere velles,
Poſſe, vel ut poſſes dicere, velle legi:
Obſtupui magis, ut Legum prudentia mole
Penè ſuâ imprudens obvia facta ſtetit:
Quasque vagis, inquam, ſetis tot ſæcula ſcopas
Laxaviſtis, opus qui redimiret erat.
Ergo forum verris, Vinni, non faſce ſoluto;
Laudo licet ſeræ ſedulitatis opem;
Hàc tua tot veterum phaleris compendia præſtant,
Quà minor eſt pugni robore paſſa manus.

In divitem deformis ædificii autorem.

VItruvI atque Midæ rudis indigeſtaque moles,
Auri ſtultitiam paſſus acervus hic eſt.
Diſpiciant ſuperi, quæ nos fortuna beatos
Tertia, nec dives, reddiderit, nec inops;
Si quo nîl habuit paupertas durius in ſe,
Ridiculos homines nunc faciunt & opes.

Mutilus manu dextrâ globo ferreo ablatâ.

O Si dextra minùs, quanto magè dextra fuiſſet,
Quæ nunc læva minùs, ſors mihi læva fuit!
Certè læva magìs, non tam malè læva fuiſſet,
Quæ ſic dextra nimis non bene dextra fuit.

Ad ADRIANUM VERGOES I.C. *in Concilio Principis Collegam de Domo natali* IOANNIS SECUNDI.

GOeſi, digne meo ſanguis cognate Secundo,
Digne vir egregii poſteritate viri;
Si vacat, & noſti, rogo, quo pulcherrima magnum
Naſcier indigenam viderit Haga loco,
Certus honoratos lauro veſtire penates,
Certus ad auguſtos addere thura lares.
Ut vacet, & nôris, jam non rogo; clarior Haga
Ambiguo, in partem laudis ubique venit.
Vera licet lateat: non eſt ingloria de qua
Forſitan hac dubites vagiit ille domo.

In adverſarium Iudicii aleam detrectantem.

POſcit reſtitui Titius quam Mævius agnam
Poſſidet, &, ſi vis, lege probemus ait.
Mævius, agna mea eſt, clamat, vivamus amici;
Nil mihi cum turbâ judicii, agna mea eſt.
Dicite, Cauſidici, num ſit victoria pluris,
Nec cecidit cauſſâ qui cecidiſſe timet?

Ænigma de ſpeculo.

QVæro mea an par ſit ſuperis an iniqua poteſtas:
Res unas facio non faciendo duas.

Ænigma de Codice compacto.

ADverte Stoa, verſor in tuo ſacro;
Quis liber & non liber & tamen eſt liber?

De Amico gratulante natalem tertii filii.

QVi ter felici, FELICITER, inquit amicus,
Quà ter ſum felix non velit eſſe quater.

Ad apoſtatam prœlio navali elapſum.

NAufrage, ſed Fidei primùm patriæque ſacrorum,
Agnati decoris mox & amicitiæ;
Quò fugis infenſi demens compendia Fati?
Oblatæ poteras mortis obire diem.
Non poteras; inſtat gravius, quo plectere diſcas
Naufragium ſuperos non ſine naufragio.

Nempe una nave, cruentis Fluctibus, & tardâ per denſa cadavera prorâ, Iuv. 10.

Epitaphium VARENNAE, *Nobilis Galli, Muſici elegantiſsimi.*

ORpheiam terris animam raptura Varennæ
Impia cum foderet nobile ſica latus,
Creditur, occluſo voci pulmone, canorum
Vulnus olorinis ingemuiſſe modis.
Mittite, qui veſtro tegat hìc de marmore, Thebæ,
Aurito pueri Muſicus oſſa lapis.

---

cIↃ IↃC XXXII.

In Teleſcopium.

DIs, dicas, liceat tandem mortalibus eſſe,
Si procul & propè, & hìc eſſe & ubiq; queāt.

In

*In Idem, ad amicum I.C.*tum.

QVi de naturâ contractus dicere ſolers
Grandia de moto limite bella moves,
Jam de [1] contractu Naturæ, dic, & an æquum,
De ſtadio paſſum qui facit, ille facit?

[1] *Contractione.*

In Metium Teleſcopii Inventorem.

TOt ſtadiis diſtans Metio non excidat Jo
Quot benè ſervari non potuit radiis.

De Montecuculo *&* Oſſa *in Palatinatu cæſis.*

STratum Oſſæ Montem ſtrato impoſuere Suëci.
Jam nihili eſt vetus hoc, Imponere Pelion Oſſæ.

In Ieſuitæ Poeſin politiſſimam.

LIbellus iſte quem videtis, hoſpites,
Et mundus & fæcundus & facundus &
Profundus & rotundus & jucundus eſt.
Quàm clarus eſt tam charus eſt, quàm vaſtus eſt
Tam caſtus eſt: tam mollis eſt quàm follis eſt.
Sed vanus eſt quàm planus eſt, & eſt mendax,
(Jam claudicas, Jambule, & cupis claudi)
Eſt Jeſuita porrò; quid ſit, & non ſit?

In libros Iconum Illuſtr. Virorum
ANTON. DYCKII.

VIvitur ingenio: ſervat cum vertice dextras
Dyckius, &, ſunto cætera mortis, ait.

In

In meam ibidem effigiem.

HUgenium illuſtres inter mirare? paranda,
His umbris lucem quæ daret, umbra fuit.

In
Ipſius DYCKII *effigiem.*

OS aliquis frontem atque oculos imitarier aude
DyckI, nemo manum non imitabilem.

Ænigma de Terra uliginoſa.

ESt locus in Batavis, ubi nec gratiſſimus hæres
Terram defuncto non velit eſſe gravem.

In AULUM.

SÆpè caput quatis, Aule; benè eſt; hoc amphora poſcit,
Quæ dubitat ſitiens plena ſit an vacua.

In
Albo ISAACI GRUTERI, *ex adverſo*
D. HEINSII.

GRandis amicitiæ felix vicinia, quàm te,
Te ſolâ cupiam perpete poſſe frui!
Claude librum, quæcunque malâ mihi ſorte ſiniſtra es
Dextra; quid Hugenio diſtrahis Heinſiadem?

De Perſecutione Viri doctiſſ.

VExarier livore miramur virum,
Quem perſequi quivis poteſt, nemo ſequi?

Ad Ieſuitas, Trajecto expugnato.

FRatres & ſocios adhuc poteſtis
Prolapſæ Batavos habere Romæ,
Romanæ ſocii Paternitatis,
Si quàm veſte palàm nigrâ venuſti,
Quàm comi gravitate, quàm decorâ,
Tam candore cato, ſed innocenti,
Serpentem referatis & columbam.

Εἰ δέ τις οὐχ ὑπακούει τῷ λόγῳ ἡμῶν, μὴ ὡς ἐχθρὸν ἡγεῖσθε, ἀλλὰ νουθετεῖτε ὡς ἀδελφόν. 2. Theſſ. 3.14.15.

In filium BARLAEO *natum quâ die lectionem publicam Amſtelodami auſpicabatur.*

MAſcula Barlæo proles agnata loquenti
Grande ſapeſcenti prodidit omen Yæ.
Arrigite, Amſtelii, quâ jam diteſcitis, aurem,
Illa homines urbi vox dabit, illa Mares.

In eundem.

UTile Barlæus veteri juncturus honeſto,
In ſpecimen proles maſcula, dixit, ades;
Adfuit, & placuit populo paradigma; ſed illà,
Illa magìs, ſubitos verba datura viros.

In Doctoratum ER. PUTEANI.
1 6 3 2.

IUſſus Atlantiades Puteano tradere ſi quæ
Credat adhuc ſuperûm dona deeſſe Deûm,
Percul ſus præſente viro titubavit, &, eſto
Doctior, ut nequiit dicere, Doctor, ait.

In

In adventum GODEFR. VVENDELINI *ſummi Mathematici in Caſtra Trajectina.*

QVi Wendelino miles occurris meo,
Occurre mitis; arma, vim, noxam, dolos
Averte, ſi Batavus es, ſi noſter es;
Averte charo vertice & chariſſimo
Nuper Batavis. non Iberi (ſpondeo)
Candor ruboris iſte contraxit luem.
Innoxium, paci, Deo, Muſis ſacrum,
Puteani amicum & HugenI, Belgam vides.
Per ſacra Muſarum, Dei, pacis, rogo,
Parce innocenti, parce. quid multis moror?
Ab Archimede tempera ſævas manus,
Qui Wendelino miles occurris meo.

In Effigiem Chroni pennas Amori præſcindentis.

Εὔπτερος alternis poteram reditare Cupido,
Ἄπτερος æternus jam comes, inquit, ero.
Increpuitque ſenex quæ non peccaverat alam
Sollicitas, ſegnes plectere tela manus.

In PUTEANI *Brumam.*

SI ſimilem, Puteane, rei decet eſſe tabellam,
Erraſti, non hæc frigida Bruma tua eſt.

In Effigiem
GERARDI MERCATORIS
Geographi Rupelmondani.

PArva Rupelmondæ pars eſt Mercator, & illa
Pars mundi, & Mundus pars quotacunque viri.
Quis capit hoc, partis partem non totius eſſe,
Vel, ſi ſit, totum parte capi & capere?

In eandem.

IMpiger extremos currit Mercator ad Indos,
Sic laurum ſibi, ſic, lector, tibi repperit aurum.

Tubulus Tabaco impletus.

QVod placeo, fumo eſt: ne dicam gloria mundi?
Quo proponantur jure Falerna mihi?

cIↃ IↃC XXXIII.

In LYRICUM *malè exceptum.*

CHryſidis ante fores extinctâ cum face mœſtum
Occinuit pluvio ſub Jove Gallus epos;
Cum per adoratas durâ mercede feneſtras
Obruit innocuam ſaxea grando Lyram.
Galle, quid exardes? moviſti ſaxa canendo;
Zethi frater es & filius Antiopæ.

Ad Amicum, cum correptæ in epigrammate Syllabæ longæ errorem excuſaret.

CAndidulas ad amicum ab amico pectore voces
Nec pede, nec librâ penſ[illegible], nec numeris.
Pondus in affectu eſt: ſciolos i[illegible]uria verbi
Vexet, & è longâ litera facta brevis.
Tu tamen, ut ſubeas aliquid pro crimine pœnæ,
Jam, rogo, ſuccedat Litera longa brevi.

Ad eundem.

NIhil eſt iniqui: quantitate lapſus es,
Et quantitate poſtulo plecti velis.

Ad

Ad eundem in ſuburbano, cum primam in voce parum *produxiſſet.*

SYlveſtrem tenui muſam meditatus avenâ
Nuper, ut in tenuem correpta eſt longa parentum
Ordine, longa gravi, claris natalibus, ortu
Syllaba, Grammaticæ tandem ſua damna rependis
Scilicet, & tenuis fortunæ, ſtirpis egenæ,
Progeniem, non grande *parum*, largè producis.
Mirer an invideam? invideo, dulciſſime rerum,
Invideo, ut video quantùm tibi compede laxâ
Libertas, quæ ſera, tamen reſpexit inertem,
Ludere quæ velles calamo permiſit agreſti.

In IACOBI GHEINII *effigiem planè ipſi diſsimilem, Ioci.*

TAlis Gheiniadæ facies ſi fortè fuiſſet,
Prorſus Gheiniadæ talis imago foret.

Aliud.

HÆreditatis patriæ probus Pictor
Invidit aſſem Gheinio, creavitque,
Quem recreet ſemiſſe, poſthumum fratrem.

Aliud.

QVos oculos, cujus video ſub imagine frontem?
Deſine, ſpectator, quærere, non memini.

Aliud.

GUtta magis guttæ ſimilis fortaſſe reperta eſt;
Tam ſimilis guttæ non, puto, gutta fuit.

Aliud.

GHeiniadem tabulamq; inter diſcriminis hanc eſt
Fabula quantillum diſtat ab hiſtoria.

Aliud.

TAntùm tabella eſt, ſi tabella quæ bella eſt:
At hæc, tabella bella, bella fabella eſt.

Aliud.

CUjus hic eſt vultus, tabulam ſi jure peculI
Quisque ſuam poſſit dicere, nemo ſui?

In hortum ſuburbanum PH. DOUBLETII.

QUi de Doubletia, proclivi Veſpere, villa,
Naribus, ore, oculo paſtus, & aure redis,
Quæro, ſuburbani magè te nitor, hoſpes, agelli
Cepit, an urbani cum ſale candor Heri?
Ambigis: & quàm par, inquis, lactuca labello eſt,
Quàm bene quàm culto cultus agellus hero!

Ad Iuliam.

QVid fugis os ori, quid figere labra labello?
Julia ad-orari ſi patiare, Dea es.

De amicis perpetuò coambulantibus.

COpula amicorum nunquam diviſa vagatur:
Hanc individuum dixeris eſſe vagum.

Ad Sepulchr. GUSTAVI Regis Sueciæ.

DE Terræ motu poſthàc malè quæritur; illam
Guſtavi cinerum, cum tremit, umbra quatit.

Ad POSTHUMUM, *de Pictore Medicum.*

OLim quem totiès erraſti proſtitit error:
Quem mox errabis, Poſthume, terra teget.

Ad

Ad PAULLUM.

TImet venena Paulus, & nummis tribus,
Tribus, nec hebdomalibus, ſed menſtruis,
Qui ſalviâ ſe ſalvet aſſumit coquum:
Paulum venena non necabunt, ſed fames.

Phyllis *agnita. è proſa Hiſpanica.*

OCcurrit velata ſuo ſua Phyllis amanti;
Agnitaque, ut non te fallere, Thyrſi, rogat,
Nec potui non viſa? Rogas homicidula? ſenſi
Sanguinem, ait, plagis emicuiſſe meis.

In acerbulam puellæ effigiem.

NOn loqueris, formoſa, ſed eſt in nutibus illis,
Eſt quod amans audit, Iulia; non patiar.

In effigiem GUSTAVI Regis Sueciæ.

COelum aliquis cœlo, ſtellas expreſſit & ignem,
Primus hic armati fulminis effigiem.

Problema ab Hiſpanis.

QVæritur, efferri manibus ſi debeat Orbis
Machina, quot corbes impleat omnis humus?
Si corbem facias, reſpondet tota Matheſis,
Dimidium Terræ qui ferat, ajo duos.

Edictum Vnde vi.

EXutus hinc & inde grandibus bonis,
Prætoris exſpes Irus implorat manum.
Hic Vnde vi promittit interdicere.
At alget ille, & eſurit: quid Vnde vi?
Quin unde vivat, Prætor, hoc præſtes rogat.

Diſcrimen navigantis & ſub tonſore ſedentis.

ILle mari vehitur, huic ſtricta novacula ſupra eſt,
Et dubitet quo quis mavelit eſſe loco?
Ille tribus digitis à letho diſtat, hic uno,
Hic hominis dextræ ſubjacet, ille Dei.

Incidamus in manum Iehovæ, nam magnæ ſunt miſerationes ejus, in manum autem hominis ne cadam. 2. *Sam.* 24. 14.

In Aulam.

AVlicus aulæi paries velatur amictu:
Si quis ineſt Aulæ candor, ubique latet.

In

DANIELIS HEINSII,

Pulcherrimum capaciſſimumque Muſæum quod nuper occupaverat.

ANguſtos egreſſa lares æterna ſupellex
Heinſii in auguſtos amplior introiit.
Q d ni? fœta libris ſcriptum quæ includeret Orbem
Penè capax HeinsI debuit eſſe domus.
Quod conata diu neſcire modeſtia, tandem
Scivit, & invito, laxius eſte mei,
Excidit, eſte viri, quorum ſtipatus in orbem
Agmine nemo brevi latiùs orbe fuit.
Quanta futura, putas, hoſpes, ſi quando futura eſt,
Digna tot hoſpitibus, hoſpite digna domus?

Equus dono mihi à Principe datus.

INvide, quid celſæ ſubitò declivia ſortis
Objicis innocuo non ſatis æquus equo?
Hoc ſatis eſt, domitor dominus dominantis Iberi
Quem voluit famulum ferre, fero dominum.

Deſes.

LEctule, quo quaſi valva meo me cardine verſo, *Pro. 26. 14.*
Tantus amor ſomni, tanta cupido tui eſt,
Vt, ſi fortè tubâ, finali manè, ſupremâ
Evocer, & non ſit ſeptima, non movear.

In Tumulo convitiatoris, qui, accuſationem publicam ex officio intentaturus, obmutuit, & mox animi ægritudine obiit.

DIſce Deum, qui me diſcis, deriſe viator
Dum potui; ultorem, me duce, diſce Deum.
Cujus erant maledicta joci ferventibus annis,
Sermo viri, carmen fortè futura ſenis,
Vt malè dicendi ſemel eſt bene facta poteſtas,
Et bene non potui, nec malè, bis perii.

Indignis ſi malè dicitur, maledictum eſt, ſi dignis dicitur, benedictum eſt. Plaut.

In eodem.

QVi cineres iſtos, hoſpes, convitia calcas,
Quæ ſi non jaculor nunc quoque, terra vetat.
Sed me more meo ſic ſic ulciſcor, & illam
Mordeo, quæ, quod non mordeo, terra vetat.

In eodem.

LIngua procax tacet hìc: calathis date ſcommata plenis,
Non meruit violâ nobiliore tegi.

In eodem.

TErra tibi levis eſto, cui levis ipſe fuiſti,
Cui gravis, hæc tantùm ſit tibi terra gravis.
Ambigis ad votum? ſcito me dicere, Mævi,
Quam non vidiſti ſit tibi terra levis.

In eodem.

HAc jacet in terra plenus livore vacerra,
Penè pyro aut pomo, vel nuce major homo.
Qui legis hæc, hoſpes, ſi vis diſcedere ſoſpes,
Ni fugis has oras, rumpe repentè moras.
Succurrat cordi quantum te ſæpe momordi,
Injecique manus in juvenes & anus.
Nondum diſcedis, nondum mihi nec tibi credis?
O bone, quidquid agas, ne incide in haſce plagas.
Quæ bellum in vivis commovit lingua cuivis,
Uni non moveat mortua nec foveat?

In eodem.

Deo Momo Sacrum.

D. M. S.
ET PROCACI VMBRÆ
N. N.
QUI, QUOD BONIS MALISQUE OMNIBUS
PERPETUO SCOMMATE IMPETITIS
TOTIUS VITÆ CRIMEN
VNO MOMENTO EXPIAVIT;
QUÆSITA SILENDI ÆTERNA NECESSITATE
QVOD CRIMINANDI INITIUM SEMEL NON INVENISSET,
SUPERSTES ORBIS TOT CONVITIIS
TANDEM SECURUS POSUIT.

In Tumulum ISAB. CLAR. EUGEN.
Infantis Hiſpaniarum.

PAcis amans, candoris amans, æquique bonique,
Grata, tenax fidei, blanda, modeſta, pia,
Hoc & anus, quod ames, hoſpes, vel credere poſſis,
Quod ſtupeas & ames, hoc & Ibera fui.

In

In eundem.

INfantem vel anum mors hæc, mors illa peremit,
Simplice, cum potuit, funere facta nocens.
Heu! dolor, heu! ſanctæ conſtans infantia vitæ,
Heu! rigor, infantem ſuſtulit hæc, & anum.

In HEINSII *Naniam, vagam & ἐπιμικτὸν, in funere uxoris.*

HAuſtis Heinſiadæ viduo, quas ſi mare magnum
Suppleat, Heinſiadæ deficiant, lachrymis: *Similis depulſo à lacte apud matrem ſuam, Pſ. 131. 2.*
Æternam, ſua ſacra, Lyram tentavit, & in ſe
Humida perpetuis cogere verba modis.
Nempe, ſed incaſſum; non eſt inventa dolori
Gratia par, omnes diſplicuere toni.
Cui ſe cumque metro ſtuduit componere, obhæſit,
Quo ſe cumque ſequi cum pede, compes erat.
Projecitque Lyram, dixitque, Noviſſima verba,
Non faciunt ad vos iſta vel iſta fides.
Hinc variè vagus iſte labor: niſi, pectine nullo,
Projectæ gemitum credimus eſſe Lyræ.

In Gelliam teſtamento deceptam.

GEllia flet ſine fine bonum, ſine labe, maritum,
Qui totas inopi liquerit æger opes.
Mox tabulis decepta mali, cum labe, ſupremis,
Flet magè, quod nequeat Gellia flere bonum.

ERASMI *ſtatua.*

QVod foliis, in ponte, foris, & ſub Iove nudo,
Affixus, mediâ plebe voluto librum,
Æneus officium facio viventis Eraſmi,
Jam non effigies penè, ſed umbra viri.
Talis tranquillo conſtans animoque manuque
Ad populi in trivio verba, nuces, phaleras,

Talis ad hos mundi fumos, ad inania rerum ,
Aure, quod hìc facio, ſurdus utrâque ſtetit.
Quod, quaſi dictator mutus , non audior , & vel
Irrita, vel nulli verba ſonora loquor,
Hac quoque perſonam fruſtrà clamantis Eraſmi
Præfero, ſors eadem vera loquentis erat;
Cum nova ſub veteri incaſſùm novitate vetuſtas
Quæſivit quem non repperit Orbe locum.
Res una in vitio eſt, unâ ſpirantis Eraſmi
Jam non effigies penè nec umbra vocer;
Quod ridere vetor, quod poſſint æra vetare
Ne quo te feriam turba Batava ſale.

Roterodamum, in eandem.

HAnc ex ære tibi, ſuperet quæ ſæcula, maſſam,
Non auro nutrix Roterodama dico;
Ne videar ſummi pretium conferre metalli,
Auree vir, quo nec gemmea digna fiet.

Ad eandem.

QVid legis? Hoc ipſum, quo me, dum vita maneret,
Plus ſcio, plus fateor, non didiciſſe; Nihil.
Quin folium vertis? Romæ hæc favet, illa Luthero,
Vtra ſatisfaciat pagina, adhuc dubito.

Quos fugiam video, quos ſequar vix video. Eraſm. Epiſt. ad Bern. Epiſc. & Card. Tridentin. cIↄ Iↄ xxxi. *nec adhuc ſit ſatis, nec ab Lutheranis, nec ab Anti-Lutheranis, Id. Epiſt. ad Iod. Gaver.* cIↄ Iↄ xxiv.

De eâdem ad Vrbem.

FAlleris hac civem ſtatuâ quæ reddis Eraſmum,
Ænea inappoſitè eſt, debuit eſſe ſalis.

Eadem.

Bononiæ. PAtria ſi repetat peregrè quæ verbera ſenſi,
Non in pelle quidem nunc, ſed in ære luam.

CON-

CONSTANTINI HVGENII

EPIGRAMMATUM

Lib. II.

cIɔ Iɔ cxxxiv.

In R. Honerdi *Nummos Hiſtoricos Conſ. Belgii, perpetuo Epigrammate illuſtratos.*

Res patriæ, fragili dudũ commiſſa metallo,
Vive meâ ſemper, dixit Honerdus, ope:
Non patior mundi miracula, te Libertas
Belgica, dum nequeant ſæcula, poſſe mori.
Dixit, & æternæ mandat monumenta papyro;
Cui ſi componas æra, papyrus erant.
Quæ tanto, quæ non debetur, Patria, Civi
Gratia? obærata es nomine tota novo.
Tota pari ſperes immenſo ſolvier ære?
Tota parem ſtatuâ reddere poſſe vicem?
Aurea, ſi ſtruitur, præ quam tibi ſtruxit Honerdus
Privato prudens ære, papyrus erit.

In eosdem.

Parùm perennis æneâ perennanti
Viſa eſt tabellâ Belgii & Batavorum
Res ad ſtuporem geſta ſæculi & Cœli:
Æternitati proximam dedit formam
Prudens Avorum cura, proximam Patrum.
Hinc circularem Calculi ferunt frontem,

Hinc orbe clauſo, neſciunt ſui finem,
Et,ſi velint perire, penè non poſſint.
At ſic perennem Belgii aut Batavorum
Rem non putavit, qui perennibus poſt ſe
Chartis Honerdus vivet, Orbis, & poſt te.
Perennitatem publicam ſuâ fulcit
Æternitate ; dat ſuperſtites Orbi
Nummos aheno, dat ſuperſtites ævo,
Sibi coævos. Diſce,qui ſtupes, Lector,
Æternitate præviâ Poëtarum
Durare quid plus poſſe quàm quod æternum eſt.

In eosdem.

In Moſe Nomoclaſte, Tragœdia.

CArmine non duro nuper qui fregit Honerdus
 Marmora, ſe ſuperat cum docet æra loqui.

In eosdem, ad HONERDUM.

TOllere poſtremum docet argentaria nummum,
 Sublatumque novo multiplicare gradu.
Grande decus vatum, ſic te præeunte nomiſma
 Diſcimus humanæ ſortis obire vicem.
Singula quo jacuere loco, valuere putanti
 Singula, quo nunc ſunt, ſingula myriades.

Ad eundem, ut Moſem Nomoclaſten, *Tragœdiam, edat.*

POſt invidendæ ter periculum famæ,
Honerde, factum, proſperèque ter factum,
Poſt & Cothurni & Comici ſalis laudem,
Poſt Calculum omnis calculi gravem plauſu,
Poſt omnis omnes aleæ bonos, grandes,
Dextroſque jactus, poſt adoream ſemper,
Ubique partam, ſerio atque feſtivo;
Prodi cothurno ſerius novo, prodi
Poſt tot triumphos maximo, tui victor.
Orcheſtra pridem friget, & pedem poſcit,

Quo quaſſa quondam Cordubæ dicam ſcripſit,
Bœtimque, quod Batava debuit, vicit.
Quid fonte labra proluis caballino
Longùm diùque? qui Poëta prodîſti
Jam non repentè (nam repentè nec dives,
Nec fit Poëta vir bonus) ſed inceſſu
Gravi, moleſto, quique euntis in clivum eſt,
Recto, decenti, quique euntis è clivo eſt,
Virtutis omnem ſemitam perivîſti.
Quid in bicipiti ſomniare Parnaſſo
Juvat hoc diù, hoc interdiù? Viden' planis
Plebs ſparſa campis ut vagemur, ut ſiccæ
Sperata fauces dîa dona ſuſpirent?
Deſcende tandem, Honerde, quid moras nectis?
Deſcende ſacro monte cum Nomoclaſte.

In ejusdem Thamaram, *Tragædiam.*

COnreus Ammoni mereor quod amando meremur:
Si culpa eſt Thamaram deperiiſſe, mea eſt.
Nec fugio pœnam: ſed enim ſe injuria Virgo
Vindicat; huic Frater vim facit, illa mihi.
Illa mihi, illecebrâ nimiùm lenonis Honerdi:
Hoc decus hoc Veneres dante puella capit;
Et capit, & rapit, & rapimur promiſcui amantes,
Prædaque tot Venerum turba marita ſumus.

BARLAEO, *ad ipſius epiſtolam de* ALIQVID, *miſſis aliquot Epigrammatis.*

GRande Aliquid, Barlæe, tuæ vox conſona voci,
Conſona ſublimi, quo quatis aſtra, metro,
Vaſtum Aliquid, Cœli capiens convexa character,
Omnis ubique loci fertile ſchema rei,
Te, te Aliquem, decuit, te grandiloquum, te celſum,
Te producentem nil niſi grande aliquid.

Nos,

Nos, humili terram pede qui vix tundimus, & vix
Repimus, & tantùm, quod ſumus, aure ſumus,
Quærimus exiguam, quâ poſſint noſtra referri,
Voculam.& inventa eſt: Ecce τὶ, non aliquid.

Enſis Hiſpanus amico dono datus.

PVgnanti Batavo quisquis me cincte præibis,
Arcanæ quod ames artis acumen habe:
Durior Hiſpani quàm, quâ ſum, dextera fabri,
Durior Hiſpano ſanguine tinctus ero.

Ad ANNAM MARIAM à Schurman,
Vnionem.
ut minùs lateat.

QVò te Nympha, cui tam cuſtodita, quoùsque
Subtrahis, & multâ laude ſepulta lates?
Celatæ virtutis onus fit inertia, fit nox,
Fit gravis, æternæ noctis imago, ſopor.
Prodi, parca Venus, partuque Batava marino
De tot virtutum naſcere, diva, mari.
Sol in Virgine plus ſatis eſt, in Sole rogamus
Virgo ſit, accendas orta fugesque diem.

SCHURMANNAE *reſcriptum.*

Ad

Occultum Apollinis cujuſdam ad lucem me provocantis Oraculum, reſponſio.

MAgnum Muſa virum ſonat, utque ego ſim quoque vates
Ingenium Conſtans da mihi Phœbe tuum.
Aſt quo jure meum poſcit clareſcere nomen,
Cum pro me cauſſam qui latet Autor agat?

Ad ipſam.

SOl in Virgine, non latui; nec vana tegendi
Nominis obſcuro carmine cura fuit.
Sed radiis admota tuis ſcintilla perivi.
Non videt Eoum quæ tegit Aſtra jubar.
Surge adeò, quantusque ſies oriturus, oborti
Caſum deliquii, non ſatis orte, roga:
Surge, quod optavi, quod votis omnibus opto,
Surge, die noctem pelle dieque diem.

Ad BARLAEUM, *cum ſuperiore Epigrammate.*

ME nova non bigamum tentat, Barlæe, voluptas.
Ignoſcis? rem cum Virgine nunc habeo.
Da veniam, eſt quod ames, non indignere; coïtur
Eminùs, & fœtum reddit uterque parens.

BARLAEI.

NOn equidem invideo, mi Conſtantine. quod iſta
Illuſtri rem cum Virgine nunc habeas.
Ipſe ego, nullius quanquam violator amoris,
Hac ipſa rem cum Virgine quondam habui.
Ecce, tuus te prævenit Barlæus amando,
Et mea tot retrò meſſibus Anna fuit.
Serus amas. ſerò nimium tibi poſcitur Anna.
Prævertit ſtimulos noſtra libido tuos.
Hanc tetigi, hanc pupugi: ſed non ut Phyllida Mopſus,
Iupiter Aſterien, Cynthius Antiopam.
Et tetigi tamen, & pupugi, ſed carmine blando:
Inque vicem blando carmine me pupugit.
Succuba nemo fuit, nemo fuit incubus. inſons
Virginitas, inſons flamma, thorusque fuit.
Ergo ſumus gemini, verum ſine crimine, mœchi.
At mea laus hæc eſt: me coiiſſe priùs.

Ad BARLAEUM.

MOeche prior, niſi quadruplici tot baſia verſu
   Oſtentes, dubiam vix tueare fidem:
Uſque adeò amplexus, intacti ſigna pudoris,
   Experior crudâ in Virgine difficiles.
Denique nîl agimus, niſi adhuc ſuccurris, amantes.
   Quid, Barlæe, ſatin' ſeriùs iſta mones?
Poſcis ab indomito producat corpore SOLEM,
   Quod Chymicus nequit, à Vate caco-chymico?

In Effigiem SCHURMANNAE *αὐτόχειρον, ἄχειρον & ipſius verſibus inſcriptam.*

DE facie gratum eſt: ſed enim, bis quinta Dearum,
   Cur magis illuſtri parte ſtupenda lates?

PIngere ſe incertam nequiit, quæ, mobilis uſque
   Et nova, non ceſſat ſe ſuperare manus.
Nec lateo quâ parte tamen, ſi cœperis eſſe
   Lector, ubi inſpector deſinis eſſe mei.
Mente, manu vultum retuli; plus litera pinxit;
   Scripta refert mentem litera, picta manum.

In eandem.

HActenùs una fuit; furto datur altera Phœnix.
   Publica privatum gratia crimen habet.
Quàm bene non prodit, quæ ſe, fugiendo, fatetur
   Dextera Phœnicem ſurripuiſſe ſibi!

In eandem.

ANna, fatebor enim, poteras plus picta placere,
   Formaque non ſculpti gratior æris erat:
Sed magè ſculpta places. Aiunt vænire puellam,
   Picta cui multo mala colore nitet.

Quæ

Quæ, tantùm virtutis amans, ignorat Amantem,
Cui ſpecie, ſi fas, non placuiſſe, placet,
Quæ paucis non dura viris ſi nupſerit, unis
Ingeniis uno nupſerit ingenio,
Quæ, mens tota, velit ſolâ ſe mente videri,
Membra ſupervacui ponderis inſtar habet.
Pſilothro niteat, cretam ferat oblita? ſcalpi
Debuit, & ſcalpi debuit ungue ſuo.

In Pateram DIONYSIO VOSSIO *deſtinatam, donum poſthumum.*

HOc auro quoties cineri Dionyſia dîo
Solvitis, affuſo ſolvite plena mero.
Si deſint latices, ſupplebunt cætera Muſæ,
Orbis, & orbatus cætera flendo Pater.

Epitaphium Vetulæ, uxoris viri non ſenis.

NOn ego, non ſterilis juvenem grandæva maritũ
Fallo, ſed ingratè nil peperiſſe feror.
Spem tibi, ſpem pèperi moriens, quæ conjugis exſors
Relliquiis inhias multa puella meis.

In STAECKMANNI *Aſinum ad Lyram.*

MIratus quod muta loqui Lyra cogis Aſellum,
Quodque Lyram mutus cogis, aſelle, loqui,
Hunc miror magìs, hunc tacito rumore diſertum,
Qui calamô linguam ſcriptor utrique dedit.

Ad avarum, luſcioſum, exophthalmum.

Efuriunt oculi, qui cæcutire videntur,
Dum, tibi quæ non das, his alimenta negas.
Et mirum eſt ſi te fugio, quem tendine laxo
Pertæſum domini lumen utrumque fugit?

Cautio.

QVi me vexârit, non eſt quod carmina longa
Horreat, in Syrtes incidet & brevia.

In turpium Impp. nummos.

AMbigis unde habeam Regina pecunia nomen;
Qui Regum titulos hìc legis & pecudum?

In nummum IVL. Cæſaris.

POſtera de quovis formetur turba metallo;
Cæſaris effigiem nil niſi ferra ferant.

In effigiem ALEXANDRI M. *equo currente vecti.*

CRedimus hiſtoriæ tandē, & tibi; quà patet Orbis,
Sic feſtinanti non ſatis unus erat.

Ad BARLAEI *Epiſtolam elegantiſſ. ambiguitatis.*

IVppiter, Amphitruo, neuter, vel uterq; Menæchm⁹,
Quem tu cumque jubes eſſe, nec eſſe jubes:
Qui, quod ais, nec ais, vis, non vis, aſſeris, & non
qu. Sex. Aſſeris, ædificat, Sexte, nec ædificat,
Empir. Te rogat, & non te, dicas, nec dicere cures,
Miſerit hæc, an non miſerit Hugenius.
Miſit, ais? non miſit, ais? nego, non nego: tantùm
Hoc nego, quod nunc eſt, poſſe nec eſſe;
Tuum
C. H.

Ad C. MYLIUM, *de receptu exercituum, noſtri ad Bredam, Hiſpani ad Moſæ-trajectum perperam à Poeta quodam fuga dicto.*

UNde bonus, Myli, malè dormitavit Homerus,
Unde, quod hìc geſtum non fuit ille refert?
Trajecti, Bredæ, quod Iber, quod victor Iberi
Fecerunt, fuga ſit? non fuit umbra fugæ.
Faro, conſiliis lentè conceſſit uterque.
Mentior; hunc vatem fugit uterque Ducum.

In

In eundem receptui canentem.

IN populum conjecta fuga eſt: ignoſco Poëtæ
 Cenſor; habet ſpeciem, nec fugientis habet:
Aufugit, & credi fugit aufugiſſe: quid ad me?
 Dum fuga confeſſi ſit fuga facta fugæ.

In Ponticum.

INſaniebat Ponticus poëtaſter,
Aut Verſibus vacabat uſquè ſe dignis.
Confundit has hodiè vices, nec alternis
Nugatur; unà inſanit & facit Verſus.

Ad Candidum.

QVid me quanta rogas vini præſtantia, quid me
 Quanta cibi? Non ſum, Candide, vir ſapiens.

Fæcundi leporis ſapiens ſectabitur armos. Horat.

CIƆ IƆC XXXV.

In tripudium regium Pariſiis à Rege, Regina, Regnique Proceribus ſaltatum.

BARLAEI.

CVr malè regales ſubſannas, Mome, choreas?
 Cur dicis Reges iſta decere minùs?
Exercet Dictynna choros, totque inter & ignes,
 Et ſuperos, ſaltus diligit illa ſuos.
Ipſe per aſtriferi ſpatioſa palatia cœli,
 Sol ſpeciem Regis ſubſilientis habet.
Stat, graditur, vaſtumque celer ſe verſat in orbem,
 Et quamquam grandi fixus in orbe ſalit.
Si fas eſt ſaltare Deos, & legibus ire:
 Fas erit, ad leges currere Semideos.

Nodus in ſcirpo.

ad BARLAEUM, *in ſuperius Epigramma.*

CVrrere Semideos? iterum, Barlæe, negamus:
Non facit ad Francum dictio dura pedem.
Mylius hoc fugit, Hugenius fugit, horret uterque:
Currendi præceps vocula facta fugæ eſt;
Facta fugæ eſt, & facta colo: das LILIA, nendi
Neſcia, currendi neſcia, curriculo?
JUSTUS & invictus currat? ſaliit pede juſto;
Ad leges ſaliit. quas? ais: ad Salicas.

Aliud.

SI ſe currentem ficto pede ſciverit abſens,
Non juſto pede Rex triverit hoſce pedes?
Ambigo. at innocuo venia eſt oranda Poetæ:
Neſcivit longos Regibus eſſe pedes.

Ad Regem deprecatio.

IVſta Deûm ſoboles, ſociis propenſa Batavis,
Crede, nihil ſocii ſub ſale fellis habent.
Qui quàm Juſtitiæ cultor, quàmque ultor iniqui
Audiit ad leges intemeratus eas,
Cœlos, Aſtra, Deos ad leges ire profatus,
Addidit ad leges currere Semideos.

Ad R. HONERDVM *ut ſe in tripudia noſtra pertrahi patiatur.*

ADde pedem pedibus, regalibus adde choreis,
Quantumvis niveo vertice, verne ſenex:
Barlæus jubet, Hugenius rogat: ut quid utrivis,
Si te rem ſalvam poſcat, Amice, neges?

HONER-

HONERDI, *ad Reges tum Sueciæ & Poloniæ Legati.*

MEn' etiam ſaltare placet? canoque jubetis
Ludibrium capiti deproperare pedes?
Parciùs iſta viris. Non eſt mens ebria nobis:
Mollities Faunos hæc Satyroſque decet.
Quàm gravis Arctoas ibo Legatus ad oras?
Quis Batavo poſſit dignior eſſe ſtatus?
Oratore Gothus tali non cedat ab armis,
Et cupiat ſumpto membra movere mero?
Ad crotali leges accinctus acinace ſaltem?
Aſtringant greſſus cymbala vana meos?
Ferte ſacres porcos, veſtrum purgate cerebrum;
Aut noſtro vitium tollite, ſi quod habet.
Creditis? & potiùs choreas, pro lemmate, Regum
Ponitis? hìc etiam, ſed mea plectra negant.
Qui ſaltare poteſt, poſſit laudare choreas:
Sarmatis enerves non ferat Urſa fides.
Si tamen has nobis dabitur componere gentes,
Adſcribi Saliis hac ego lege queam:
Scilicet ut Marti placeat cum ducere reſtim,
Illius ad numeros Alpheſibœus agar.

Ad BARLAEUM,
in communem adverſarium.

IAm Satyri ſumus, & Fauni, & mens ebria nobis,
Et caput Anticyras poſcit utrumque ſuas,
Vtraque mollities. quid ais, Barlæe, ferendum eſt?
Fortibus à viēto, ſtantibus à tremulo?
Vapulet ut meruit; vel cinctus acinace. fama eſt
Quatuor Alcidem non tetuliſſe manus.
Vapulet ut feriat; generoſæ fervor arenæ eſt,
Verbera quâ vox & verba, ferire loqui eſt.
Et, Barlæe, quod in voto eſt, ad noſtra viciſſim
Et ſua Legatus verba ligatus erit.

In effigiem Patris mei in Biblioth. HEINSII *appenſam.*

HUgenii libros inter mirate Parentis
Effigiem, cauſſa eſt quam, puto, Lector, ames:
Credidit eſſe librum, cujus quot ſupputat annos
Tot virtutis ait Heinſius eſſe libros.

In eandem.

AMbigitur niveam Æſtaté, Brumamne virentem
Dixeris, Hugenio dum fuit iſte color.
Quidquid id eſt, quos fortè putas in vertice canos,
Prorumpens toto de ſene candor erant.

In eandem.

HVgenius Pater in tabula, quam vivere jures,
Cur Leidæ taceat, cauſſa nec ambigua eſt:
Qui talis tam facundè, tam ſæpè, tot olim,
Tam bona, tam memori dixerit Heinſiadæ.

Ad HEINSIUM.

QVi mitto Patris mortui umbram mortuam,
Hoc tantùm, amari viva poſtulo,
Tuus
C. H.

Ad amicum, tectum ædibus, quas tum extruebam, æneum imponi conſulentem.

ÆRe domum tegier ſuades: ego non tego: mirum
Si quis obæratam nolit habere domum?

Pilulæ Medicæ.

SI benè conveniunt, nec in unâ *ſede* morantur.

D. M.

DOctori Medico titulum Das Mute character,
Facturo ſacra Diis Manibus, an manibus?

In

In tumulum filioli G. BARLAEI *Epigrammate Patris ex perſona mortui loquentis inſcriptum.*

DIſce quid hic jaceat, quanti ſpes quanta Parentis,
Quanti quàm felix cura magiſterii ;
Quo præeunte puer nondùm puer, incipit infans,
Infans exanimis, verba diſerta loqui.

In tumulum celebris Hiſtoriographi.

QVid vicina tegant, ultrò vicina loquentur
Saxa ; quis hìc jaceat, hoſpes, ubique leges.

In precum formulam Fratri oblatam.

QVi mea me toties, Frater, pia verba petîſti,
Accipe, ſic labiis itur ad aſtra meis.

De Iudæo paracharacta.

DEbet, &, ut grandi ſubitò ſe liberet ære,
Artifici nova dat, flat, ferit æra manu.
Et reus eſt, faciens quod non debebat, Apella,
Et reus eſt, quia quod debet Apella facit.

Quaſi ad PUTEANUM*; ut ſibi Muſisque conſulat. Exercitibus ad Lovanium accedentibus.*

DEdet Pieridum fontes, qui dedere Sylvam
Victori potuit Schetzius Auriaco.
Si dubitat, Puteane; juva tu voce manuque :
Nondum eſt quæ Grudios terreat ira tuos.
Qui Thenas nequiit, ferâ prece flexus, Athenas,
Te tempeſtivo ſupplice, ſtare volet.
Elige quis vivas: Belgæ licet: ut quid Iberum
Non piget? & facit hos ulla STATERA pares?

Eâdem obſidione.

CAſtalides Grudiæ, quarum quæ proxima cœlo
Pars Puteanæâ ſanctior arce ſedet;
Dicite quam vovi Præfecto ferre ſalutem,
Si liceat per quæ non ſatìs arma licet.
Dicite inarmatæ, quantùm potè, Palladis arces
Dedat, ut armatæ corruat ira Deæ.
Dicite, qui ſacras funeſto ſulphure turres
Tundimus, & Belli ſubdimus omne nefas,
Unius Hoſpitii fratres pia jura Batavos
Poſcere, & innocuas jungere poſſe manus.

* * * * *

---

c!ɔ Iɔc XXXVI.

ΥΔΡΟΦΟΒΙΑ

BARLAEI.

Argum.

INvitati Amſtelodamo Mudam ab Hoofdio, loci Satrapa, Wicquefortius, Voſsius, Barlæus, Bartolottius, Bakius & Hugenius, pictâ phaſelo, proſperâ tempeſtate Mudam delati fuerunt. A prandio primis tribus, adverſo Zephyro, & Yâ flumine turbatiore, ſolvere timentibus, poſtremi cum uxoribus navigarunt. XIV. Kal. Sex. cIɔ Iɔc XXXVI.

In BARLAEUM.

MOverat æſtivas inflatior Ya procellas,
Et poterat ſocio ſic ſoror eſſe Maii:
Abſq; quod inflatę decor, in multiplice rugâ,
Quâ male viſa fuit ringere, riſus erat.
Cum ſaturis Mudâ monitis ſex ire capellis,
Magna trias parvæ noluit eſſe comes.

Voſſius

Voſſius in dubio, & quidam, *vix fortiùs,* alter
Credere ſe notis non valuere Notis:
Barlæi ancipites Pirene Pallida mentes
Impulit, exemplo crevit uterque pavor:
Ingemuit contempta ſuis Heroïbus Argo,
Nec tuba vexati tanta rudentis erat:
Veſpera, ſi rubuit, rubuit pudibunda, Batavos,
Pontigenas, Pontum poſſe timere viros.
Quæque adeò ſocii tulimus, quæ tota feremus
Natio, mas, non mas, damna Poëta dedit.
De Græcis, age, de Latiis nego, credo docenti,
Quidquid ſive jubes credere, ſive vetas;
Sed Batavis, ignoſce, poteſtas, Flacce, Poëtis
Quidlibet audendi non ſatis æqua data eſt.

C. BARLAEUS *Zulichemi Domino, ὑδροφοβίαν exprobranti.*

MOverat aſtivas inflatior Ya procellas,
Et ſocio poterat ſævior eſſe Mari,
Abſque quòd inflata furor, in multiplice ruga,
Quà malè viſa fuit ringere, terror erat.
Cum ſaturis Mudâ monitis ſex ire caballis,
Parva trias magna noluit eſſe comes.
Voſſius in dubio, & jam nunc vix-fortior *alter*
Credere ſe ignotis non voluere Notis.
Barlai ancipites Pirene provida mentes
Impulit, aquoreos tunc timuiſſe Deos.
Si gemuit contemta ſuis Heroibus Argo,
Nec tuba vexati tanta rudentis erat;
Veſpera ſi rubuit: rubuit puduitque Batavos
Pontigenas Ponti ſpernere poſſe minas.
Qua nunquam ſocii tulimus, qua tota repellit
Natio, mas ter mas damna Poëta timet.
De Gracis, age, de Latiis, age, credo docenti
Quicquid ſive jubes credere, ſive vetas,
Nam cunctis, ignoſce, poteſtas, Flacce, Poëtis
Tam temerè audendi non ſatis aqua data eſt.

Forti viro C. BARLAEO.

CRediderim timuiſſe viros, tremuiſſe Poëtas
Amſtelios, ſalſum pectora ſalſa Salum?
Crediderim ſiccus, cujus dux Fœmina facti
Sobria, idem potos non potuiſſe viros?
Scilicet. Vnde tamen tam cauta libido timendi
Tam ſubitò madidis vatibus orta fuit?
Neſcio; ſive ſciam, cupio neſcire videri;
Nil mihi cum doctis unguibus eſſe volo.
Hoc liceat: dulces iſthinc mea Muda lagenas
Obtulit, hinc ſalſas Ennoſigæus aquas;
Salſe rei ſalſæ vindex, ignoſce roganti,
Truſerit hic magis, an traxerit iſte liquor?

C. BARLAEUS

C. HUGENIO *Neptuni & Amphitrites alumno.*

CVm tua te veheret velis audacibus Argo,
Cum veherent matres tranſtra ſuperba duas,
Diviſit ſors læva viros. pars horruit undas,
Pars tumidas ſecuit neſcia mortis aquas.
Detinuit timidos Hoofdl tunc Suada Poëtas,
Detinuit vates Heleonora ſuos,
Detinuit Suſanna chelyn, quæ paſſeris artes,
Quæ cecinit doctas, Aulice ſcriptor, aves.
Si timui, tanto prudentia juncta timori eſt:
Si timui, juſſus (crede) timere fui.
Si timui, ſi vela fui non veſtra ſecutus;
Sic placui domino, ſic placui dominæ.

C. BARLAEO, *Fortè viro, Forti convivæ.*

LArga ſuos vacuis affudit Muda liquores,
Largior impletis præbuit Ya ſuos.
Amſtelidæ ſaturi multo inter pocula niſu
Cùm, quibus expediat mergier, ambigerent;

Præva-

Prævaluit cadus, & veteris vis condita Bacchi,
  Diſplicuit Batavis amplior unda meis.
Succeſſit, Seldene, labor contemptus; abhorret
  Libero, amat clauſo Belga natare mari.

C. BARLAEUS

C. HUGENIO, *conviva profugo.*

CVm dubias anceps traheret ſententia mentes,
  Et vellem, nollem Te, Zulecheme, ſequi;
Me ſequitur magni facilis clementia Voſſi,
  Inque meas partes mox Ioachimus abit.
Tres ſumus excordes numero. tres torva timemus
  Flumina. tres ſolito tingimus ora mero.
Tres fugiunt, nec ſueta Ducis vexilla ſequuntur,
  Et ſociam gaudent tres violare fidem.
Res omnes facit iſta reos. peccavimus in Te,
  At Satrapas, quo vos arguat, actor habet.

Ad Teſſalam, de BARLAEO, *Amante ſtrenuo.*

TEſſala Barlæo non nuper viſa Poëtæ,
  Qualis amatori Julia noſtra ſuo,
Teſſala Caninefas, ſeu Friſia dicier ambis,
  Almerii Pharos & fax animata ſoli;
Ibit amatorum, ſi vis non torva videri,
  Per freta, per ſævos æmula turba lacus:
Ibit eò zonam qui, nec ſe perdidit, ibit
  Amſtelidum criſpis compta juventa comis;
Ibitur invitâ Superûm vi; ſi pavet omnis
  Navita, non rarus, ſaxo, natator erit.
Unus ut ignoſcas orat, vir fortis ad arma,
  Arma virûm, calamos, arma virûm, calices.
Nempe tuo vulnus rabioſa canicula Vati
  Fecit Amor; viſâ ſaucius horret aquâ.
Si bibat hanc, metuit ne, quâ tibicine clares,
  Marceat infami languida vena ſitu.

Denique, ſi ventis placeat, ſibi cautior inquit,
  Nec Veneris fractâ puppe, vacare mori.
En quid agas? ſi quà ſpretæ te injuria formæ
  Mordet, habe tecum lumina, conde facem.
Non ſi tota micet, non ſi de littore clames
  Blanda, veni, pretium nuda laboris ero,
Non ſi Vere novo, non ſi benè potus Abydo
  Claſſe novâ poſſit ſolvere, Seſton eat.

BARLAEUS

C. HUGENIO, *Deorum Æoli & Neptuni contemptori.*

NOn me, Muda, tui nuper tenuere liquores,
  Non ea vis Bacchi, non fuit illa gulæ.
Vt decuit, timui Superos, Tethynque Iovemque,
  Nec volui tantis obvius ire Diis.
Hos, Vir dure, pius timui. nam piſcibus æquor,
  Non homini fallax deſtinat unda viam.
Si tua nacta fuit ſperatum audacia portum,
  Fortunâ minus eſt, plus pietate regi.

C. BARLAEO, *Prudenti Philoſopho.*

PEctoris heroi, quo non auguſtius olim
  Intumuit, toto corripiente Deo,
Subſtitit ad primas, nullo diſcrimine, noti
  Fluminis ad primas vis labefacta minas.
Barlæum excuſſit terror ſibi, fortior omni
  Vate, quod hic timuit, fœmina fecit iter.
Credimus? an, quia diſtracto graviore procellâ
  Res cum Rhenano gurgite habenda fuit,
Spreverit Ya tuas? potuit ſpreviſſe videri:
  Sed fuit hæc lautæ proxima cauſa moræ:
Dixerit, ut motas adſpexerit eminùs undas,
  Et nemus ingenti turbine, Muda, tuum,
Quò me cumque vocas, magni Maris arbiter, ô nec
  Crimine, nec, teſtor, carmine læſe meo,

Fas ſit non nocuo ſibi conſuluiſſe Poëtæ,
Fas ſit ad incertam cautiùs ire necem:
Dum turbas irate foris, dum cærula latè
Cana procelloſo ſpuma colore tegit,
Intus ego ſpumas iterumque iterumq; ſalubres
Hauriam & innumeros non numerabo ſcyphos;
Donec ab ingeſto tumeat veſicula Divo,
Nec ſuperet quo ſe ſuggerat Ya locus.
Sic ubi anhelantis lateri lethale carinæ
Vulnus, & extremo fortè furore, dabis,
Naufragus hinc prodar tabulis licet, inde fluenti
Fune, meo certè non gravis utre ferar.
Quàm benè virginibus comes it ſapientia Muſis,
Quanti Naturæ noſcere ſcita fuit,
Quàm benè libravit, quantâ ratione, nec ipſos
Quæ Dii merſerunt mergere poſſe Deos!

C. BARLAEUS,

C. HUGENIO *Navitæ audaci & intrepido.*

VAde per iratas, mi Conſtantine, procellas,
Vade per adverſos, navita magne, Notos.
Hæſimus in ripa. fateor. cur? damna timemus,
Quæ mediis ſenſit dux Palinurus aquis.
Hæſimus in ripa. fateor. cur? æquore merſa
Non didicit modulis dextra natare ſuis.
Hæſimus in ripa. fateor. cur? nolo Poëtis,
Nolo meis toties eſſe vocatus Hylas.
Icarus Icario ſi fecit nomina Ponto:
Fluctus Abydeno ſi fuit urna proco:
Si Tiberim ſeſe jecit Tiberinus in ipſum,
Fœmina ſi Thracum nomina fecit aquis:
Si Sappho mulier ſaltus aggreſſa viriles
Non formidatâ Leucade merſa fuit:
Nil moror. hac pereant famâ, quos pœnitet ævi.
Non vacat, exemplo deteriore, mori.

SUSANNA van BARELE, *Vxor* HUGENII *ad* BARLAEUM.

,, QVæ de virtutum ſerie *fortiſſima* virtus,
,, Claudier heroo non ſatis apta pede,
,, Fornicibus tonat alta cavis; ubi pulpita Doctor
,, Igneus Herculeo, dixeris, ore quatit,
,, Supremis habitaſſe labris convicta docentem
,, Pallida, ſi quatiant ventus & unda, fugit.
,, Eluit unda, efflant Zephyri quod ahenea dicas
,, De bis ferrato prodere verba ſinu.
,, Sic ſtudiis impalleſcunt? hos barba tremendi
,, Fulminis, hos animos ſub gravitate fovet?
,, Ceſſit palla togæ; poterit toga cedere pallæ,
,, Et mea ſemimares ſtringere vitta comas:
,, Quin jam laurigeræ ſcandent ſubſellia matres,
,, Et nova doctorum fœmina doctor erit;
,, Vel facere inſtituant quæ ſe docuere ſuosque,
,, Vel quæ non perimant facta, docere viri.
Tam fera Barlæo Mater Barlæa paventi
Scommata, non ego, ne decipiare, dedit.
Placaſti, confeſſe, Jovem: magis ardua reſtat
Pugna; ſatisfieri nunc ſibi Juno petit.

C. BARLAEUS *ad ipſam.*

Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

PLus audes, Barlæa, viris. plus auſa fuiſti,
Plus animi, quàm nos, maſcula Mater, habes.
Erravit Natura parens, cum condere Te, Me
Vellet, & in tantâ culpa parente fuit.
Illa tibi grandes animos ſtudiumque virile
Indidit & voluit viribus eſſe marem.
At mihi fœmineos animos pectusque remiſſum
Dum dedit, hac fecit conditione virum.
Iſta mares tibi cauſa dedit, natosque virosque.
Dum mea fœmineo ſyrmate tecta ſtrepunt.

Hinc

Hinc fluctus, hinc ſpernis aquas animoſa, Notosque
Virque Deos contrà, fœmina ſola viro es.
Me mea dum negat eſſe virum formido; vocari
Iam barbata tibi fœmina promereor.

Idem ad eandem.

SVccubui generoſa tuo, Barlæa, marito,
Et dedimus victas, clara virago, manus.
Nunc chartis ovat ille meis, victoque Poëtæ
Exprobrat, & me vult ſuccubuiſſe Tibi.
Cedo iterum intrepidæque volo ſuccumbere Matri,
Et Conſtantinæ laudibus eſſe minor.
At ſi fortè tuâ eſt potior mea cauſa; pudoris
Hoc etiam fuerit diſſimulaſſe mei.

Idem.

ROma ſtupe. de me Victrix jam nupta triumphat.
Fortunæ nunquam ſors fuit illa tuæ.
Captivus, victusque trahor. mihi ſcommata Mater
Objicit. & ſalſo perfricat ore ſcholas.
Tanti undam timuiſſe fuit. me mergite fluctus,
Mergite veſanos pontus & Ya metus.
Vlteriùs nolo proprio ſupereſſe pudori.
Infamis tanto crimine fama mihi eſt.
Scilicet aſcendet doctorum pulpita Mater,
Et timidas cupiet vitta docere togas.
Peccavi, Superi. ſexum mutate timentis,
Veſtiat ignavos pallida palla pedes.
Aut ſi Barlæum cupitis me recta docere,
Signa gerat ſexûs tanta magiſtra mei.

Idem.

ORta mari Venus eſt. Veneris Barlæa propago eſt.
Quid mirum? nullas ſi timet vxor aquas.
Formavit tellure ſenex mea membra Prometheus.
Quid mirum? terræ ſi ſua terra placet.
Nec culpa eſt, timuiſſe: nec, has ſpreviſſe procellas,
Nempe ſuo duplex cauſa probata Deo eſt.

Idem ad HUGENIUM.

SI fateor peccaſſe Viros, ſi prodita facti
Cauſa, ſatisfactum non ſibi Iuno putet.
Si verè Phrygias, at non Phrygas eſſe Poëtas
Eloquar, haud factum ſit tibi, Iuno, ſatis.
Si potui placare Iovem tot Verſibus, eſto,
Thure ſatisfactum non ſibi Iuno putet.
Si regeram toties, cras altera & altera reddam;
Crede, ſatisfactum non ſibi Iuno putet.
Si ſcribam pelago matres periiſſe maresque
Sæpè, ſatisfactum non ſibi Iuno putet.
Mollia Barlææ tu ſuggere verba maritæ,
Mollibus hanc ipſam ſæpiùs abde jocis;
Suaviter arride: nutu teſtare, quid optes;
Tange verecundos, nauita magne, ſinus,
Baſia baſiolis ſuperingere mille, vel ultra:
Crede, ſatisfactum tunc ſibi Iuno putet.

SUSAN-

SUSANNA BARLAEUS
CASPARI BARLAEAE
ſatisfacienti.

BArbata doctor, ſuccube, ignavâ pedes
Veſtite pallâ, de Promethei ſenis
Luto loquaci maſſa, terra territa
Liquore noto, terra naſcentis Deæ
Concuſſa cunis. euge, baſiantium
Non ſalſe Rhetor, qui Sali ſalem fugis;
Quidquid merere, mas miſelle, mas Mari
Impar marique, nolo neſcias tuas
Convicte laudes: Teſte Mudâ prædico,
Ubi res virum popoſcit, & gravior ſcyphus
Argo natante, grandior clavâ ſcyphus
Hydram domante, dexteram Alcidæ novi,
Edico Mudâ teſte, FECISTI SATIS.
Ubi cauſa vatem, cauſa non fortis viri
Fortem patronum; teſte Mudâ prædico,
Edico & Hagâ teſte, DIXISTI SATIS.
Expecto mandes, an ſatisfactor, ſatis
Fictor, ſatis victor, ſatis vector, ſatis
Hector vocari, doctor an dictor velis.

OHE, IAM SATIS EST.

IAmbe claude miſte non claudo, veni,
Compone diſſidentium Poëtarum
Compoſte litem; ſicca lis, vinoſa lis,
Lis ſalſa, lis non ſalſa, de ſalo exorta eſt.

YA fremente, turbido Mudæ ſinu
Spumâ tremendi gurgitis, ſub infeſto
Vitam Ennoſigæo credidit Hugens, ſuæ
Maritus & malus Poëta Barlææ;
Ac, ſi vocarent Fata, ſupremæ diem
Adivit horæ ab Hoofdio renitente,
Miratus ullum poſſe tam dubiâ die
Timere, nec timere poculis, mergi.

BAccho fremente, turbidâ Mudæ domo
Spumâ bibendi gurgitis, ſubingeſto
Gulam Lyæo credidit ſugens, parum
Marinus, at bonus Poëta Barlæus,
Neque, ut vocârint fata, ſupremis diem
Abrupit horis Hoofdio propinanti,
Miratus ulli poſſe tam lautâ die
Vacare, nec vacare poculis, mergi.

IAmbe claude miſte non claudis, utri
Palmam dicamus è duobus athletis?
Quin ambo cenſeantur in cauſa pari,
Si ſprevit hic, ubi ille contempſit, mori,
Si conſtat ambos navigaſſe

CONSTANTER.

In Pollam.

POllam puellam & bellam amavi, anum linquo:
Quid increpas, puella bella, quæ neutrum es?
Ceſſante causâ nempe ceſſat affectus.

Apophthegma Morionis.

MOrio ſtultorum ſimulavit ſpargere ſulco
Semina. quærenti, quidni ſereret ſapientum?
Non iſthæc, non omnis, ait, fert omnia tellus.

De CL. SALMASIO, *cum, præmiſſa Bibliothecâ, in Hollandiam navigare differret.*

1.

SVbſtitit Armoricis ingens Salmaſius oris,
Dum natat Arctóo ſarcina docta mari.
Quàm bene prudentem ſine ſe tibi mille rapaci
Commiſiſſe putas, Ennoſigæe, libros?
Ipſe liber tot librorum ſi vectus eâdem
Nave ſit, hæc duplici pondere merſa ſiet.

2.

NVda ſtat in patrio SalmasI littore virtus.
Nunc, age, quem dederis, Patria, diſce virum.
Ad libram, Liber & liber, reſponſa librorum
Libera, cui Liber eſt ſarcina viſa, dabit.

3.

QVidquid Ariſtippum, decuit Salmaſium; uterq;,
Quas habui, Ponto, tu rege, dixit, opes.
Addidit hic, pereant; ſic te Fortuna laceſſo;
Si tabulâ ſoſpes enato, nil periit.

4.

SI facis ad laudem Cynici projecta patella,
Doctaque te ſolam paſcere nuda manus;
Quæ non SalmasI eſt, qui, miſſis omnibus, Orbem
Quo valeat ſolus paſcere, nudus habet?

Ad Anonymum, Amici fidem iniquè traducentem.

PRave cavillator meriti nil tale Poëtæ,
Qui nigro ruis in candida ſenſa dolo;
Mitte Fidem infidâ Fidei prætendere larvâ:
Detorquere bonæ verba, malæ fidei eſt.

Miles è ſalubri aëre Caſtrorum ad præſidia lue infecta remiſſus.

NVlla nec æſtivis adii contagia Caſtris:
Prædatrice domi cingor ubique lue.
Sen. Cæſaris infandi Rector bone, vivere ſaltem
In freto, & in portu me fateare mori.

Corbia (*ut rumor erat*) *Gallis recuperata.*

COrbia debilibus, facili conamine, muris
Capta, novo valli robore cincta redit.
Ride poſteritas: *Infans* prudentia nuſquam
Tam fuit in plagas ingenioſa ſuas.
Perdit opes, operam, tempus, ſocios & honorem,
Vt, quod erat, Galli tutiùs eſſet, Iber.

Auſtriacorum è Gallia receptus.

DUm, Gallo criſtis Aquilam terrente, ſuperbam
Victrici obruerent Lilia fronde [1] Roſam;
Inter diſcipulos bellandi incredulus omnes
Fertur in hunc [2] Thomas increpuiſſe modum:
Ite domum fatui. quid enim nugamur; [3] Atlantem,
[4] Infantem & [5] Pumilum ſternere credibile eſt?

[1] Præſ. Roſ. [2] Princ. Sabaud. [3] Card. Richel. [4] Card. Inf. [5] Piccolom.

L' Eſtra-

L' Eſtrappade.

HOs etiam, Fortuna, rotas: Tolluntur in altum,
Præcipites lapſu quò graviore ruant.

Ad Enſem meum.

HVmanum fugio, vel juſtâ cæde, cruorem:
Non illâ victor conditione ſiem.
Læde laceſſitus lædentem, ut lædere ceſſet.
Si me defendis, fide, ſatis furiæ eſt.

Ad L. REALIUM, *cum Galilæi ſidera Medicæa, & ex iis modum definiendæ Longitudinis Ordd. exhiberet.*

DEſpiciat cæcum Galilæi ſidera vulgus.
Ad populum phaleras: paucis Lectoribus Ille
Gaudebit, quibus inculces, experte Reali,
Nil Urſâ præſtante vago per cærula nautæ,
Quàm pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier,
Heic es.

Pro quatuor ſphæris ferreis, in tubos fumarios Ædium mearum impoſitis

FVmus homo, impleri fumo malè, diſputat Orbem:
At me ſollicitum craſſior error habet.
Omnia ſi quadrent, non debuit ille vapore
Impleri; totus debuit eſſe vapor.

Pro iisdem.

MIlle tot ornari reprobant mea culmina Mundis,
Mille probant. Vbi conveniet ſententia, fiet
Iuſtitia, & Mundi, me deſtructore, peribunt.

Pro iisdem.

AVrea prima fuit, poſt hanc argentea, poſt hanc
Ærea, poſt Ætas ferrea quarta fuit.
Hoc Orbem doceat quadruplex & ferreus orbis,
Ferrea, ſi redeant quatuor, omnis erit.

In easdem.

TOto ſumma ſoles habitare Ciconia Mundo:
Væ tibi, nunc totis quatuor exul eris.

Pro iisdem.

SI placet hæc paucis; at non, ſi viveret, uni
Poſſet Alexandro non placuiſſe domus.
Ille tribus ter me, quater Orbibus eſſe beatum
Quatuor invito diceret Orbe virum.

Pro iisdem.

QVi malè contempto tegier fumaria Mundo
Diſſeris, en carpis quæ nec, inique, capis.
Non libuit mundi, libuit faciem dare Mundi
Immundi, poteram commodiore loco?

In monumentum Reipub. Venetæ, quod de Alexandro III. *Pontifice adverſus* Fridericum I. *&* Othonem *filium Anno* CIↃ C LXXIIX. *eximiè merita eſſet, à* Pio IV. *Pontifice erectum, ab* Vrbano IIX. *deletum.*

VIcto Quiriti Barbaroſſa calcatus,
Victore Marco, innotuit fide longâ
Tradentis ævi; nulla grandis exempli
Pondus vetuſtas, livor, ira concuſſit.
Nunc ipſa veritatis umbra non fertur;
Fit vis tabellæ, iniqua nunc manus, quod pes
Olim ſuperbus Cæſari, facit telæ,
Telæ innocenti: ingratitudo delevit,
Quod ſæculum nequivit, & dies, ulla
Dies nequibit. Chriſtiane, ſi neſcis,
Papâ docente jam ſcies, quid interſit
Terrena virtus Cœlicæ: quod extruxit
Pietate Roma, *Vrbanitate* deſtruxit.

In idem.

CÆſara proſtratum, Veneto ſternente, Quiriti,
Faſſa diù, tandem perfida Roma negat.
Perfida an hæretica eſt? quid erit fas credere, quid non
Credere? Vim Meritis quæ dedit, ipſa rapit.

In effigiem Card. Richelii.

MErcedem, pictor? Veniam pete Gallia donet;
Indigni pretium grande laboris erit.
Excidit, infami lapſu, mortalis imago
Conanti diam reddere Richelii.

In eandem.

STupende cardo non fatentis Europæ,
Non diffitentis; ſed ferentis Europæ,
Et ſic fatentis; Richeli, genus divûm;
Non te in tabella ſimplici tuo totum
Vultu intuemur, Trismegiſte: perſonam
In qua triumphas triplicem, unicâ fronte
Reddat neceſſe eſt, quæ tuam relatura eſt
Subire totam nata dextra Naturam,
Et Galliam, & Te reddat, & tuum Regem.

Ad REGEM *Magnæ Britanniæ, pro Mari libero.*

INtempeſtivas non hoſtibus, hoſtibus olim
Promeritas, infers, Carole Britto, manus.
Magne Deûm in terris, quorſùm, ſi pellere poſſis,
Nolle ſolo Auſtriacos, velle ſalo Auriacos?

In mortis metum.

CVr timeam mortis, quem non vitabo, dolorem? *Senec.*
Si nequeo, brevis eſt, ſi queo ferre, levis.

Milite Gallo diſceſſum ex Hollandia protrahente.

FAuſta ſoluturo ſpirarunt flamina Gallo ;
Solventi Zephyris invia facta via eſt.
Ergo dolent Batavi, ſtupet & ſubridet Iberus,
Quod Gallo levior ventus & aura ſient.

Ad Lesbiam *larvâ tectam, arcendo Soli.*

DEtrahe perſonam capiti, præpoſtera formæ
Conſulis, ut ne ſis, Lesbia, nigra, nigra es.

Ad eandem.

SI faciem, ne quà penetrabile Sidus adurat,
Velari craſſo tegmine cauta ſtudes ;
Me miſerum quæ larva teget, cui frigida frontem
Ambuſto duplici, Lesbia, Sole feris ?

Ad eandem.

QVid pice ſericeâ formoſam lactea frontem
Lesbia, nube nigrâ condis utramque facem ?
Redde diem Cœlo & mihi, perſonatula; iniquum eſt,
Ne pereas uno Sole, perire duos.

In Aulum.

Sen. AVlus dierum plenus, adjici nihil
Deſiderat cauſſâ ſuâ, ſed filii :
Huic ſenex prodeſſe, non ſibi, cupit.
Quod vivit Aulus, liberaliter facit.

CON-

CONSTANTINI HVGENII

EPIGRAMMATUM

LIB. III.

METEOROLOGIÆ *PERIPATETICÆ,

adverſus Ariſtotelem,

LIBER SINGULARIS.

*Ambulanti cõmentatæ

Munera nondum intellecta Deûm.

Ad ſummum Philoſophum & Poëtam

CASPARUM BARLÆUM.

Horat. VATES RECLUDENS, IMMERITUS MORI,
VERUM NEGATA TENTAT ITER VIA.

Senec. ETIAM NOS ALIQUID FACIAMUS ANIMOSE,
SIMUS INTER EXEMPLA.

Ampliſſimo Doctiſſimoque Viro

GASPARI BARLÆO,

S.

DUm te tenebrio malè feriatus exercet, Barlæe doctiſſ^{me}, quod cur tam obſtinatè me celaveris nondum capio (niſi fortè me anonymum illum ſuſpicaris) ego me ad Exercitum, &, ecce, tecum exerceo. *In nova fert animus.* Libuit à via divertere, & in majeſtate ſua Naturam ludos facere. Iudica quo ſucceſſu. nec parce immanibus auſis. Paucorum dierum iſte labor, & caſtrenſis; quid autem labor? feriæ fuerunt, ambulanti à meridie, pediti vel in equo, ſucciſæ, *ſicut meus eſt mos.* Adverte, ſi tanti eſt, an ſatìs ἐπιτηδείως, ſatis alibi venuſtè vel acutè nugatus ſim. Fuit, ubi in ſpecioſo paradoxi commento deſudavi; nonnullis facilè defunctus. Verba utique ad præviſam rem, præcipiti venâ, quaſi ἐκ χειμάῤῥου provoluta ſunt. Congruis, Latinis, preſſis adeò & nervoſis cum cura uti conatus ſum; ſalvo, quantùm potui, cujusque rei charactere. Rogavi ne parceres. parce tu Scriptori tamē ab ope hìc librorum deſtituto, aulico & occupato: *à quo inter omnes convenire nullam rem bene exerceri poſſe, non eloquentiam, non liberales diſciplinas,* legiſti apud Philoſophum, qui, ſi Hiſpanos audias, ad Æbucium Liberalem ſeptem libros ſcripſit de Veneficiis. Nam crudeli populo ſcilicet veneficium pro beneficio eſt, &, ſi res poſtulet, atrociſſimum facinus diluitur linguæ lapſu. Ama me & vale, cum amicis, Voſſio, Wicquefortio, Vondelio, &, ſi ruri non eſt, humaniſſimo Hoofdio. Sprangæ, in Caſtris IX. Kal. Nov. Anno CIↃ IↃCXXXVI.

Ad eundem.

DOgmata ſcrutanti malè veſtigata Stagiræ,
Non Samio, nec per ſomnia, viſa ſeni;
Digna focis & avis & libertate Batavâ,
Sin mavis, Batavâ ſimplicitate, loquor.
Quis mea, quis veterũ, quis tu, Romane, quis Hellen
Ingenii ſubdas libera colla jugo?
Excidit, hæc leviter tentanti, maſcula caſu
Dictio, & audaci punxit aculeolo.
Mollior, & quaſi de ſexu inferiore ſecuta eſt
Altera, dum vati languida vena ſtetit.
Hinc deſcenderunt ſimiles longo ordine nati:
Fecerunt mas & fœmina progeniem.
En jocus eſt, Barlæe, brevis contempta freti ſors,
De quo lib. 11. Et furor æſtivi velificatus Yæ.
Hæc præit audendo Pictoribus atque Poëtis,
Hanc, ignoſco, licet ſerò ſequare ratem.

Ad eundem.

CEnſor ſeveræ veritatis, arbiter
Severe falſi; fabulantem fabulas
Suffer Poëtam, parva dicendis mora eſt,
Parva audiendis; veritati nec jocum
Nec verba vim factura noſti: ſcilicet
Sic vivitur, Barlæe, ſic victum eſt diù;
Fuco placetur, veritas odium parit:
Aut fallere aut falli ſtudent homunculi;
Ad falſa proni, ad veritatem nauſeant.

Pluvia

Pluvia poſt ardorem Solis.

QVæritur, inſano Phœbus quã torruit æſtu,
Ut fuerit pluvio Veſpere lota dies?
Occurrit ratio. grandi conamine Cœlo
Ridenti lachrimas exiliiſſe puta.

Rubor veſpertinus.

QVi ſub nube niger picea quaſi luxerat æther,
Veſpere præcipiti ſi rubet, unde rubet?
Convictus peccaſſe, rubet pudibundus, & ultrò,
Craſtino, ait, voveo, Sole ſerenus ero.

Rubor matutinus.

UNde dies roſeis Auroræ tota quadrigis
Manè rubens, madido veſpere ſera pluit?
Potus enim qui manè rubet quocumque liquore,
Non dubiè toto veſpere micturiet.

Hirundo humilis.

SI ruet in terram de Cœlo proximus imber,
Cur nondum madidæ proxima hirundo volat?
Præſentes adeò rata quas benè prævidet undas,
Jam natat, aut, ad humum prona, natare parat.

Anas ſe proluens.

QVæ toties ſe merſat anas præſagula toto
Vertice, ſic, inquit, tota madebit humus.

Pavo querulus.

QVid fera præſagit quæ ſe Junonia mœſtè
Invocat, & planctum planctibus addit avis?
Præſagit miſeranda, quibus, quâ ſicca ſuperbit,
Jam jam deciduis pluma madebit aquis.

Crepitus operis inteſtini.

INteſtina crepant murorum robora, grandi
Turbine, turbato grandine Terra tremet:
Horribiles inſtant ſtraturi cædua venti:
Quis concuſſa metu pedere ligna neget?

Lucerna criſpa.

VNde, gelu fluviis inſtante, volubile ſevum
Cincinno Lychnos induit Jonio?
Qui flammis damnatus erat, jam denique criſtam,
Servandus fido frigore, tollit adeps.

Luna pallida.

OBtinet antiquum, ſi, quod venator, Arator,
Navita, Paſtor ait, pallida Luna pluit.
Teſtis es, Actæon, quantas, pallore feroci,
Irâ ſive metu Delia fudit aquas.

Luna rubicunda.

LVna rubet: quid tum? cras à tibicine diſces
Quàm res ſit vero congrua, flare rubram.

Luna Alba.

PAllida Luna pluit, rubicunda flat; alba quid? omnes
Dixiſti; ſupereſt, alba ſerena ſiet.

Stellæ ſcintillantes.

QVæ grave ſcintillans portendit ab æthere frigus,
Jam deſcenſuro frigore Stella tremit.

In eaſdem, Amantis.

SI ſcintillantes portendunt frigora Stellæ,
Illa nimis dubiæ ſortis imago meæ eſt.
Cum riſu micat inſolito, ſi frigore amantem
Non ferit, aut feriit Polla, ferire parat.

Aranea prodiens.

SVdabit paries, & erunt mox flumina rimæ,
Submergi metuens prodit Araneola.

Nebula aſcendens.

SOl ſitit, & nimias (premit ipſos crapula Divos)
Jam jam cogetur reddere potus aquas.

Tonitru, Pluvia, Tempeſtas.

NEſcitur Cœli cur diluat unda fragorem?
Ambigitur cur hanc flamina diſcutiant?
Juno Jovem ſaturum tonitru gravis increpat: ille
Mejit, & his, inquit, flamma reſidat aquis.
Quid Soror & Conjux? rabido ſuſpiria niſu
Efflat, hic eſt quo tu turbine, nauta, peris.

Nebula deſcendens.

PRovocat audaci Superos certamine Titan,
Quantas de Terra tollere poſſit aquas.
Excidit ingens urna Deo: ridetur ab omni
Cœlite: non niteat lætior illa dies?

Ignes fatui.

QVid fatuos ignes memorabo? ſpectra? vapores?
Neſcio. ſi taceat Julia, dicat amans.

Nix.

QVæ ſit origo Nivis, ſi non bene creditur ardens
Diva reo barbam vellere Juno Jovi?
Mollius hoc: Tonſore Deum properantiùs uti,
Furtivis avidum baſia ferre toris.

Eadem.

LAna fovet pecudes, algens nive Terra fovetur:
Credite, ſi tepida eſt lana, calere nivem.

Gran-

Grando.

COmpactâ divis manibus nive ludere potos
In cœlis, acri frigore, dico Deos.
Illa per ætherios præceps, ubi ſolvitur, ignes
Gutta fit. hinc noſtro frigore grando coit.

Glacies.

FRigore durari fluvios concedo Stagiræ,
Quì coëant ſanus nemo ſat explicuit.
Explico. dum fugiunt tremulæ, ſine veſte, miſellæ,
Exiles, atomæ frigora particulæ;
Concurrunt, veluti ſe, tempeſtate coortâ,
Muta, pecus mutum, mutua turba tegit.
Compreſſæ faciunt, quantùm teſtudine factâ
Tu, Romane; ferunt quadrupedem, arma, viros.
Mox, ubi anhelantes nimio ſudore liqueſcunt,
Solvitur acris hyems, effluit ùnda vitro.
Diſcite nunc ſcioli cauſam, cur proximus hæres
Debeat extremi frigoris eſſe calor.

Sol, Stellæ, Luna.

VAna facem Cœli finxerunt ſæcula Solem,
Vana quot Aſtrorum lumina, tot faculas.
Uſque adeò Divorum epulas agnoſcimus omnes,
Nemo nec Ambroſiam judicat igne coqui?
Sol focus eſt Jovis, eſt ingentis nempe culinæ;
Cætera Stellarum turba, Deûm foculi:
Luna minus dubiè ſuperarum pelvis aquarum.
Hoc cœnaturus Juppiter ære lavat.

Iris.

CVm tot ſuſtineas ac tanta negotia, Cœli
Nuncia, curvatam pondere non ſtupeo.
Quod vario vultu es, miror minùs; omnia Divis
Ut referas, omni fronte parata venis.

Hinc

Hinc ſuffuſa pudore rubes, hinc candida riſu,
Alba metu, flavâ concita bile micas,
Hinc viridi ſpem fronte refers, hinc cærula tollis,
Uxor Ariſtarchi veſte, colore, ſtatu.
Qualemcunque voles da, Quintiliane, colorem,
Vna datis unà concolor Iris erit.

Pluvia.

VNde ruit ſuperis tantus de ſedibus imber?
Aſſero, ſi turpe eſt mejere, flere Deas.

Stella volans.

STare loco neſcit, nec in una ſede moratur:
Si non decipimur, lumina, Stella volat.
Nauta cave: cras non dubiè dominabitur undis,
Qui jam deſcendens ſidera turbo quatit.

Terra motus.

SI pereant quæ naſcuntur, par pondus ubique,
Semper, & æquali robore Terra ferat.
Sed perſtant quæ naſcuntur, reſolutaque durant
Quæ quàcumque tui prodiga Veſta paris,
Et benè miramur, ſi mole moleſtâ, ut iniquâ
Mente ſub ingeſto pondere aſella, gemis?
Nec malè miramur, ſi, quà præcordia tendis,
Concutis ingentem mota ſuperficiem?

Parelii.

SOl genuit Soles, vitiatâ nube puellâ:
Fortiter hoc: ſed jam jam pater orbus erit.
Quàm ſimilis Divo eſt turpiſſima Beſtia? fallar,
Ni nimis hos fœtus, Phœbe, fovendo necas.

Cometa.

QVâ prodis, crinite, palàm eſt, inſaniet Orbis,
Plurimus incendet pectora noſtra furor.
Si dubitat quis, es indicio, qui, vertice raſo,
Sic furis, aſſumpto, Galle, capillitio.

Planetæ.

AIo Stagiritam, quæ tam vaga in æthere Stella eſt:
Ambulat atque errat cum duce Ariſtotele.
Hoc ridere juvat: quaſi nollet & ipſa Planetis
Eſſe minor, ſeptem Græcia clara fuit.

Dies, Nox.

NOcte dieque vices rerum Natura notavit:
Mœrorem tenebris, lumine lætitiam.
Quis pudor eſt, ſemper tirones diſcere, quæ nos
Nigra docet nox, & candida quæque dies!
Tandem nec puero, nec iniquâ mente ferendum eſt,
Quod toties æquâ, nocte dieque, tuli.

Eclipſis Solis.

PHœbus amat, calidusque ſuam nunc Daphnida, Veſtam,
Ambit, & inſano deperit intuitu.
Diva Soror, ſi vel caſu, vel amantibus obſtat
Invida, nec limos virgo procantis amat;
Liquitur ille, ajunt, animo, fert fronte dolorem,
Æternam nubes abdit opaca facem.
Me ratio diverſa regit: jubet, ajo, Sorori,
Ut ſpeculum incompto commodet; Illa venit.
Adſtat, & averſam terris ſe præbet amanti,
Divinâque Deum proxima fronte refert.
Hìc obiter te, Phœbe, vides, obiterque recenſes
Quam vaga curren ti miſcuit aura comam.
Tandem compte redi: rogat hoc quæ ſe nec Amantẽ,
Dum te, non illam tu proce, Veſta videt.

Eclipſis Lunæ.

IAm furit, atque alias alio ſub cardine fratrem
Cynthia nugatur quærere amicitias.
Poſtremò, ſi lumen, ait jam turbida, pergis
Uſque tuum Terris condere, condo meum:

Et

Et latet, & (tantæne animis cœleſtibus iræ!)
Vt lateat, multâ ſe pice fœda tegit.
Ridet ad hæc radio Frater, rabidæque liquatâ
Cum pice perſonam detrahit: illa nitet.
Ut niteat (tantâne Deas levitate moveri!)
Proxima ridentem rurſus adire parat.
Quàm bene cum terris agitur, quòd, gratia quantùm
Rara, duos inter ſit brevis ira Deos!

Maculæ Lunares.

VNde, rogãt pueri, maculata eſt Cynthia? non hoc
Solis ab intuitu fuſca puella roget.

Maculæ Solares.

SVnto, quibus commenta placent, maculæ, aſtra, vapores,
Quæ medio Lynceî, non ego, Sole notant.
Si quid ineſt, quod adhuc nequeat cataracta vocari,
Audiat Hippocrates, gutta ſerena mihi eſt.

Paraſelene, ante pluviam.

COnſulit oppoſitam ſibi de ſe Delia nubem;
Hinc illinc divæ virginis ora nitent.
Compta lavat faciem. faciem lavat umbra viciſſim;
Dumque pari nos & ſe lavat imbre, perit.

Virga.

MVlto fune Diis Titan tentoria tendit:
Mortales moniti tecta ſubite, pluet.

Halos. Corona circa Lunam.

SOla Deas inter cœleſtem Iuno coronam
Induit: hæc regni cum Iove ſigna gerit.
Quam tu, virgo Deas inter, nec imago coronæ eſt.
Vſque adeò laudem corporis umbra ferat?
Quâ te cingis, aqua eſt: metuens Actæona, ut olim,
Pallida, at in Cœlis tuta lavabor, ais.

Lancea ardens.

EYδία, Mortales, pacem prædicimus orbi:
Vſta Deo Marti lancea diſplicuit.

Chaſma.

TErribilem Cœlo foveam ſuſpecto ſereno.
Quis, quid, ubi, quantùm dixeris eſſe rei?
Neſcio, nec pudor eſt: cœleſti lumine cernit,
Quæ ſuperant Cœli ſidera, ſola Fides.

Lapis fulminaris.

DIra Jovis juſſu cudenti fulmina Fabro
Excidit incauto malleus, an cuneus?
Neuter. ab intacta tentavit rupe favillam:
Primus ab infracta deſilit iſte lapis.

Pruina.

TErra tepens, ne putreſcat, cum carne ſaliri
Poſtulat; hàc hyemem prata bovesque ferunt.
Sal faciunt Sol atque Salum, facit Ignis & Æther,
Ipſa vaporando terra ſalina ſibi eſt.

Ros.

ACcipe poſteritas, quod ſe ſciviſſe nepotes
Gaudebunt, ſe non ſciſſe puderet avos.
Sidera ſudarunt nocturno laſſa rotatu,
Dum procul eſt Phœbi qui voret ignis aquas.
Inde graves udo ceciderunt æthere ſtillæ,
Inde frequens omni gramine gutta ſedet.

Draco volans.

Hìc eſt, Aſtrologi, caput, hìc eſt cauda draconis.
Veſtra nec ignoro ſomnia, nec patior.
Longa decuſſari vobis, non lata, videtur
Linea? jam non eſt linea, jam nihil eſt.

Ven-

Ventus.

EST vento levior quæ de ſpiramine venti
Hactenus in vulgum didita cauſa viget.
Diſcite doctores: quibus hìc agitamur, anheli
Naribus exſpirant flamina Solis equi.

Ignis lambens.

SI de nocte cui, fato creſcentis Juli,
Viſa fuit ſummas lambere flamma comas:
Eſt qui de nobis exit collectior ignis,
Obvius inſurgens frigori, ut interimat.

Sidus Helenæ. Caſtor cum Polluce.

IN clamata diu Tethys dormitat, & uno
Spernit adhuc miſerûm lumine cœca preces.
Evades Palinure, ambos patefecit ocellos;
Jam vigil effræni vincla datura mari eſt.

IAmque opus exegi quod vel levis ira Stagiræ,
Vel poterit verum & novitas abolere trimeſtris.
Cum volet ille Deus, qui animi, qui corporis hujus
Jura tenet, certi ſpacium mihi finiet ævi.
Parte equidem non hac meliore per ima perennis
Aſtra ferar, nomenque erit ut vaga nubila noſtrum.
Quà patet indomitis Hollanda potentia terris
Nullius ore legar: quin hæc per ſæcla fameque
(Si quid habent falſi) lectorum ſcripta peribunt.

Ad BARLAEUM.

SI Meteorologiam meam, ambitioſè nomini tuo nuper inſcriptam nondum accepiſti, minus damni eſt, quàm ſi te tineæ ad cœnam vocaverint, raptum aliò ex condicto, Mudam puta, vel ad Voſſium, Wicquefortium, Baeckium, aut Vondelium, *omnîs homines qui Se præſtare ſtudent cæteris animantibus.* Et, ſi quid ſanè tabellarius ſapuit, jam in Myropolio legor gravis autor, *vel thuris piperisque ſum cucullus, vel ſcombris tunicas dedi moleſtas.* Sin tradidit illuſtres paginas, Barlæe mi, facinus, mehercule, te dignum facis, & ſacri Codicis non immemori Lectore, qui *Stulto non reſpondeas in ſtultitia ſua.* Anonymum ſi ſic excepiſſes, dubitare poſſem, an non meliùs tibi conſultum eſſet; niſi obſtarent, quæ notâſti obiter, multi ponderis argumenta. quibus cum accedant Herculea illa, quibus, laceſſite pugil, amentem jugulaſti, atque adeò merentem, (ut qui in Sacris, quæ profiteri fertur, voluit videri non legiſſe τὸ, μεταξύ σȣ καὶ αὐτȣ͂ μόνȣ) aſſero, & fatentur omnes boni, interfuiſſe tuâ, & amicorum, ne hoc impunè ferret. Proſtrato, mihi denique illudere libuit, & *Leonem*, ut apud Senecam eſt, *ſubulâ impetere.* Facit hùc Epigramma, quod in capite invenies nonnullorum, quæ his addidi ejusdem farinæ, ſive furfuris. Si inſpicere ſingula dignaberis, in Caſtris, vel itinere memento nata. excepto quo Realium alloquor, eximium, ut noſti, virum, qui nunc ingentis rei, & ſuâ curâ dignæ, procurationem obit. In illo, & cæteris, futilis venæ meæ genium agnoſces. quo cum delectari te tamen, pro humanitate tua, profeſſus ſis, etiam hoc ære, nomen aureum, quo me obligaſti, diſſolvi patere. Loquor nunc de tot ſelectiſſimis deliciis, quibus tu me partim, partim tuo nomine, cujus ille verax & perpetuus

præco

præco eſt, Cl. Wicquefortius impertiit. Inter illas quoties attentionem paſco, repeto ejusdem Senecæ luculentum illud & ſubacto aulico, an ſubtili oratore, dignum: *Quocumque*, ait, (neſcio nunc quo loco) *oculum miſeris, id tibi occurrit, quod eminere poſſet, niſi inter paria legeretur.* Nobilis & arguta laudandi ratio. At Amice, ſi te legat, ne hac quidem ſibi ſatisfaciat. de me, ut porrò ſilere pergas, ſincerè poſtulo. Placet merenti pœna, præ encomio, quo me in ruborem agis; dum anguli nimirum acuti cum obtuſo comparationem longè venuſtiſſimam præpoſterè nobis applicas. Rurſus in verba Senecæ impingo. Acumen Epigrammatibus meis adſcribere voluiſti. Audi Philoſophum, cæteris, ſi quid video, extantem, quantum de cupreſſo inter viburna ſcriptum eſt: *Acuta*, inquit, *ſunt iſta quæ dicis. nihil eſt acutius ariſtâ: quædam inutilia & inefficacia ipſa ſubtilitas reddit.* Hac ariſtâ, quaſi virgulâ, crede, mi Barlæe, ſæpius me caſtigo; & ſi quid caſu opportuni excidit, quod, *nondum refrigerato inventionis amore,* plauſum inventori eripiat, aliundè me intueor, &, numquid me, inquam, induo in *artificii veternoſiſſimi nodos?* Sed hæc Senecæ item, ni fallor, dictio eſt: niſi finem facio, totum hodiè recitabo. neque enim diffiteor, perpetuò mihi obverſari ſapientiſſimum mortalium, cujusque unius gratiâ laxiùs otiari optem, quàm nunc per iſtud licet, quo mihi *cum officio luctandum eſt, quia ſemel recepto.* Neque enim fefelli, cum in Caſtris me quàm denſiſſimis occupationibus diſtrahi clamavi, & hàc non nihil veniæ apud literatos promereri. Solo ultimo bimeſtri invenio, & ſtupeo, & indignor, ſcripſiſſe me, vario ſermone, ad CCXVII. epiſtolas privatas. Adde rotam Ixionis, &, quàm eò loci Reſpublica me exerceat, expende: Judicabis quàm anguſtè tot Epigrammata ſederint: per quas rimas emiſſa gracilitate

ſuâ nimirum punxerint, ut de ariſta dicebamus. Sed, licetne, inquies, per doctorem, cujus tu in verba juraſti, *epiſtolæ, ſiniſtram legentis manum implere*? ſanè, ſi tertiam invenias, quam ab innocenti ſervo ſenex Aulularius popoſcit, jam occupata ſit. neque occupatior me tamen; qui & iſta me nugari teſtor inter non auſim queri quot avocamenta. Vale tandem, vir doctiſſ^{ine}, & vel hac etiam de cauſa ſile, ut ſic loqui deſinam. In piſtrino meo, Aula Principis, biduo poſt Id. Novemb. cIↃ IↃCXXXVI.

CON-

CONSTANTINI HVGENII

EPIGRAMMATUM

LIB. IV.

CIↃ IↃC XXXVII.

Ad STELLAM, *Vxorem chariſſimam defunctam.*

COnfundunt elementa vices, Natura noverca,
Ut paterer, voluit me patiente pati.
Naſcitur alba dies, nigra nox perit, ut perit omnis
Stella, mei pereunt te pereunte dies.

Ejusdem dextera è gypſo, quaſi ad carpum abſciſſa.

ME ſpondente, ſacri coierunt fœdera lecti;
Me nectente, duæ viximus una caro.
Candori comes acceſſit Conſtantia: ne quà
Candida deficerem, ſaxea facta fui.
Defeci collapſa tamen, nexuque ſoluto
Quæ ſacrarat Amor vincula deſerui.
Perfida deſerui? non ſi tortore tyranno
Arguar, evincant ultima jura ream.
Judicet ipſa Fides quo culper crimine, quam, cum
Solvere non poſſent Fata, ſcidere manum.

In titulum Celſitudinis PRINCIPI *à* REGE *Chriſtianiſſimo delatum.*

QVod premis Auſtriacum vanâ virtute ſuperbum
Verberibus, verbis erigis Auriacum;
Non ſtupeo, Ludovice; facis quod regula dictat
Juſtitiæ, tribuis, Juſte, cuique ſuum.

In idem argumentum.

ADditur extremis; fieri quod poſſe negabam:
Cautior exemplo diſce quis addat, Iber.
Quæ facit hoc meritis, aliquid factura ſuperbo eſt
Gallia, quod fieri poſſe, ſuperbe, neges.

In Herois HERAVGIERII *Navem, quâ olim Breda capta, ab Hiſpanis exuſtam.*

IN tabulas furit ultor Iber cum laude nocentes:
Nobilis infami corruit igne ratis.
Quàm ſerò ſapiunt Phrygiæ! (neq; enim Phryges) uri
Debuit, ut vivo ceſpite fœta ſtetit.
Nunc caret invidiâ factum, Batavoque volente
Sæpe vel in portu *naufragus* hoſtis erit.

Ad Vrbium præfectos, cautio.

CUi grave commiſſum valli tutamen, honorque
Principis & Patriæ, quâ regis urbe, ſalus,
Plurima te cautum faciant exempla: juberis
Vincere, ſi non eſt vincere, velle mori.

In Aulum.

AVlus in officio eſt, ex officio facit Aulus
Officium; quod id eſt officium? officere.

In mortem ſceleſti à plebe diſcerpti, mox à patrato immani facinore.

INfame crimen, crimen omni crimine
Magìs nefandum, turpe, dirum, barbarum
Vindicta præſens expiavit, promptior
Punivit omni talione talio.
Cavete ſontes, nulla ſpes fugæ aut moræ eſt;
Sanata pœna eſt, claudicare deſiit.

FR.

FR. HENRICI PRINC. ARAUSIONUM

Anni triumphales, *uſque ad* cIↄ Iↄc XXXVII.

POſtquàm res Batavûm Bredæque affligere civem
Mauricio potuit ſors ſemel atra Duci:
Præbuit Henrico, Fratri cum laude negatas, 1627.
Cincta ſuo circum ceſpite Grolla manus.
Sylva, Ducũ domus, & Venetûm ſoror æmula Sylva, 1629.
Sylva natans medio gurgite rapta fuit,
Has Poliorcetes objectâ mole coëgit,
Has, quaſi Neptunum Marte, fugavit aquas.
Forti fraude, dolo bellace, levi momento
Veſaliam Patriæ reddidit atque ſibi;
Velaviam Patriæ atque ſibi. Cum Claſſe ſubacta
Hiſpanas nullo ſanguine cępit opes.
Naufrago & armato vitam donavit Ibero, 1631.
Ut, quam conficeret, relliqua turba foret.
Mille triumphanti navalem fronte coronam
Captivi madidâ compoſuere manu.
Solvit ad hoſtilem flatu duo vincula Moſam: 1632.
Venlonæ accubuit ſtrata Rumunda ſuæ:
Tertia laſſatis Ledæi Caſtoris armis,
Trajecti ſubiit pontis habena jugum.
Denique, nec præſens, prærupto monte ſuperbam
Limburgum ferro fecit & ære ſuam.
Addidit Orſoviam nutu, conamine Bercam 1633.
Quo pavidas Rheni penè retorſit aquas.
Harum capta levi furto Divortia furto 1635.
Fortiùs ac dicto promptiùs aſſeruit.
Poſt tantos ſine nube dies, ſine labe triumphos,
Quorum quisque ſtupor poſteritatis erit,
Ne fuerit, quæ magna fuit, quæ maxima, virtus
Naſſàvidûm, ne vis ultima militiæ,
Breda fame ſuperata, fame moribunda videndi 1637.
Victorem Dominum nunc quoque victa foret.

Tabula è regione Hiſpanicarum inſcriptionum in Templo Bredæ appenſa.

cIↃ IↃ CXXXVII.

AUXILIO
SOLIUS DEI
AUSPICIIS
CONFOEDERATI BELGII
FERDINANDO AUSTRIACO
HISPAN. INFANTE
CUM INGENTI EXERCITU
FRUSTRA SUCCURENTE
A XXXIII. JULII
OBSESSAM
A XXIIX. AUGUSTI
OPPUGNATAM
FR. HENRICUS PRINCEPS
ARAVSIVS
BREDAM EXPVGNAT
SEXTA OCTOBRIS.

Epitaphium L. REALII, *Ind. Expræfecti Philoſophiæ Magneticæ peritiſſimi.*

QVod nec ſponte, nec ad noti monumēta ſepulchri
Affluis, à ſæclo ferreus, hoſpes, habes.
Talis inexhauſtum magnetica turba Realem
Cinxit, & à vivi pendula voce ſtetit.
Quin proprio ductu charis comes oſſibus hærens
Ferrea, ſi liceat, lamina claudat humum.
Magnus enim Magnes jacet hìc; qui pyxide multâ,
Quos voluit lapidem diſcere, ſe docuit;
Se lapidem, ſe Magnetem, ſe ſæculi amorem,
Qui, quia ſe ſapiens, noverat & lapidem.
Qui, quia ſe, lapis, & lapidem, ſine pyxide Gangem
Creditur & Boreæ victor adiſſe domum.

Iulia-

Iuliacum olim expugnata.

VIncitur agricolæ & Regum ſocialibus armis:
Gloria in ambiguo eſt: Mars ſceptra ligonibus æquat.

In ſecundas nuptias Ill. D. de Brederode, *&* Loïſæ C. Solmenſis.

SOlmia ridendo præſtat quod mille petenti
Naſſaviæ votis, tot periere dies.
Euge, bonum factum; niſi ſpe deludimur, unâ
Nocte bonum Feudum nupta Loïſa facit.

In I. BEVEROVICII *de Calculo Tractatum.*

NOn patior, Beverovici, tua tormina; nullum
Veſicâ, nullum Renibus urget onus.
Duriùs ægroto; totum ſtupor iſta legentem
Fecit inauditâ duritie lapidem.
Exede quod, Medice, intrîſti, ſaxumque voluta
Quod facis, ut ſaxo, qui latet, exſtet homo:
Extet homo, qui te lapidem, facunde, docentem
Non lapis, &, quo nunc non valet ore, canat.
Quid fugis aut palles? nempe illud flebile penſum
Siſyphi, at hoc Batavi Deucalionis erit.

In receptu ab obſidione Gelriæ.

AVditur hoſtis, caſtra perſtrepunt latè
Vago tumultu. Nempe quid? parat pugnam,
Et vellicare nos minatur à tergo?
Non, ſi quidem ſapit. quid ergo, quid turbat
Tam manè, quid molitur? aureum pontem.

Ad Philippum Doubletium *ex fracto crure decumbentem Protrepticon.*

STare loco neſcis, infidas, optime rerum,
Crudeles experte nives & lubrica Brumæ.
Quid facias? vel ſi gravior, ſuperanda ferendo
Fortuna eſt. ne cede malo. ſi tibia fracta eſt,
Ne frangi patiare animum: ſi multa jacenti
Elanguenda dies, noli, generoſe, jacentis
Doubletii meruiſſe notam: cum Cæſare ſtando
Diſce mori, ſi Fata vocent: ſta corde, ſupinus
Corpore, dum calli coeunt: contunde dolorem
Euphoriâ: pudeat Majoribus eſſe minorem,
Fratribus Imperii Batavum. quid inertia longi,
Chirurgo torquente, doles faſtidia lecti?
Plurimus hæc interrumpet congerro vocanti,
Si vis, colluſor, ſi vis, compotor amicus.
Si non vis, ſi turba nocet ſtrepitusque dolenti,
Si mavis te, docte, frui ſine teſte ſodali,
Ecce vel invitum fecit Fortuna Poëtam:
Scribere Scazontes vacat, & ſtanti pede in uno.

In ejusdem lapſum.

I, cole candorem vani cognominis umbram,
Nec fidei in terris nîl ſupereſſe puta:
Decepere virum ſummo candore ſuperbæ,
Quo nullo fruimur candidiore, Nives.

In ejusdem adhuc ægri verſiculos invectivos, de re nauci.

FAcundos gemitus, ægri non ægra, ſupini
Non proſtrata mei ſomnia Doubletii
Qui legis, exclama, quantos canet integra quondam,
Quæ dedit hos tantos Tibia fracta modos!

In

In eosdem.

DOubletium proprio rabies armavit Jambo,
Pentametrum durâ lege Poëma creat.
Quâ nixus ratione? quid eſt cur arma ferocis
Archilochi voluit poſthabuiſſe novis?
Cujus clauda vetus decuit veſtigia Scazon,
Quì curto truncus maluit ire metro?
Credidit, ut res eſt, vilem de crimine vili
Hiſtoriam ſenos non meruiſſe pedes.

Ad eundem.

Ω ἵππων φίλε, τήν τε φύσιν καὶ τοὔνομα λαμπρὸν,
Quâ primâ poteris linquere ſtrata die,
Dum callus venit & venienti robora callo,
Quo nondum fueras jure φίλιππος eris.

In non impunè mejentem.

MEjenti Cynico, quà noxa eſt mejere, calvo
Pileus ablatus vertice pœna fuit.
Ille quid? exarſit: quis enim neget illud iniquum,
Quod licuiſſet equo, non licuiſſe cani?

De Eutycho.

LVſtravit Eutychus pater ſex filios:
Dixitque claudo, macte, nobilis puer,
Cœleſtis iræ tarditatem tu refers:
Dixitque cœco, tu arbitram juſti Deam:
Dixitque luſco, tu unicam Cœli facem:
Dixitque lippo, tu perenne fontium:
Dixitque ſurdo, tu truces Maris deos:
Dixitque ſtulto, tu Orbis omnes incolas,
Et, tranſeas cum cæteris erroribus.

In E. PUTEANI *Gnomas Belgicas.*

QVas peregrè corraſit opes, quas exul Athenis,
Non ſibi, quas Romæ, non ſibi, delicias,
Delicium ſæcli, Patriæ vernaculus offert
Immenſo Scriptor codice & exiguo.
Infinita ſui ſubiit compendia virtus,
Hellada cum Latio charta Brabanta capit.
Ferte Jovis frondem; ſervati Civis honorem,
Venloa cum Grudiis me meruiſſe probant.
Ingentem Erycium, Batavo duce & hoſte & amico
Hugenio, reducem, ſi legis, hoſtis, habes.

Ad incertum.

PRave ſenex, cui ſera nivem non impluit ætas;
Ne treme, decrepitum non manet ille decor:
Candorem à teneris abigenti, nempe ſenectâ
Non veniet (nimis eſt candida) canities.

Ad Typographum Reipub. deſcriptionem parvo volumine edentem.

FAlleris aut fallis, contracte Typographe; non Res
Publica quam cudis; Recula publicula eſt.

Ad illuſtrem virum, obſcuro loco natum.

STemmata quid faciunt? naſcuntur in æthere ranæ;
Terræ divitias infima Terra parit.
Quod ſplendes Auri eſt; Auri, quod origine vili es:
Aureus & Terræ filius eſſe potes.

FLORES FLORI.

In eosdem.

SI nec odor conſtat, nec honor, nec gratia Flori;
Cauſſa patet: quo flos carpitur ungue, perit.

Flor. 2. 15.

OPpreſſus Urbi propriæ facem flammæ
Templisque & aris ipſe Pœnus immiſit,
Quæ paſta DIs, infantibus, tabulis, auro,
Septendecim Patriæ dies ſupervixit;
Vt quàtenus Carthago tota Romanis
Non poſſet eripi, triumphus arderet.

2. 2.

PVnica Romanæ, Catulo duce, claſſis, opum vim,
Arma virosque ferens & propugnacula, ceſſit.
Tum victor: fruſtra, ſocii, laceremus & arcem
Et muros: deleta mari Carthago perivit.

2. 4.

ALpina, Gallos, corpora, & ſub humenti
Cœlo educata, ſic ſuas nives conſtat
Referre; mox pugnantibus fluit ſudor,
Levique motu & Solis igne laxantur.

1. 9.

DE ſingulari Roma & annuum & duplex
Jus imperandi fecit: ut corrumpier
Nequeat poteſtas ſolitudine, aut morâ.

1. 10.

ARdente Scævolæ manu, ipſo interrito,
Rex pavit, ut ſi Regis arderet manus.

1. 10.

OCciſum Aruntem mutuo mox vulnere
Complexus ipſe Brutus occidit, quaſi
Sequutus uſque ad inferos Adulterum.

Prin-

I. II.

PRincipium belli & finem ter quinque diebus
Quinctium & à ſtiva raptum feciſſe ſtupemus?
Nempè ad opus feſtinavit Dictator arator.

I. 13.

INcendio urbs deleta, Galle, non fuit:
Quin gratiæ debentur immortalibus,
Quod ignis ille Romuli abſcondit caſas.
Luſtrata & expiata Civitas fuit.

II. 2.

CÆſa Mari Pœno multarum naufraga claſſis
Littora terrarum complevit & imperiorum.
Intercepta tamen victoria tempeſtate
Principis ad Populi faſtum feciſſe videtur,
Splendorique fuit Ponto periiſſe triumphum.

2. 17.

POmpilio violata fuit victoria, quâ nec
Roma ſatis potuit non pudibunda frui.
Viciſti Viriate cadens: qui fraude necârunt,
Non aliter vinci te potuiſſe docent.

Ludi augures anni 1638.

QVid querimur, quâ nos Cœli vindicta cecidit
Vim non prævisæ cladis habere manum?
Fecimus augurium feſtivo milite; Gallis
Invitis Batavûm victor Iberus erat.

Hyeme præcedenti.

In Albo I. FREDERICI GRONOVII.

AIn', Gronovi maxime? his anguſtiis
Jubes amoris arrha ſtipetur mei?
Peccas, diſerte cenſor errorum, gravi
Errore peccas: non ferunt brevi freto

Immen-

Immenſa claudi, non ſit Oceano minor,
Quâ quàm, Gronovi chare, ſis charus mihi,
Scribam papyro. Nempe ſcripturus ferè
Quot hoc libello paginæ vacant libris
Egeam vacivis. Judica quid ſim potis,
Ubi confluente grandium turbâ virûm,
Quod nec ſatìs natura fert, Album eſt nigrum.

De Hiſpanis in exitu Dunckercka cæſis.

ECce quid hoc monſtri eſt? dicas abeundo redîſſe,
Naufragium in portu tam citò fecit Iber.

In diem Natalem filii ſecundo-geniti Principis Arauſii,
CIϽ IϽC XXXIX.

NAſceris Andreæ fatali luce, Batavûm
Mille puer votis, mille petite Patris.
Accipimus Pater & Batavi præſagia; totum
Scilicet ἀνδρείαν te fore fata notant.

Inſcriptio Vitaulii, Villæ.

QVid faciat lætas ſegetes nec ſcire laboro,
Nec vacat; hìc ſatis eſt, ſi ſcio, quid faciant.

In Tumulum
BERNARDI SAXONIS, VVeimariæ Ducis.

QVisquis ad hos cineres adſtas incautior, horre
Hoſpes, & exuvias Herculis eſſe puta.
Pertulit heic Saxo, Patriæ invictiſſimus ultor,
Sacra triumphato condier oſſa ſolo.
Quid faceret? fatis Alciden cedere, cauſſam
Parca, Nefas, Lethum credidit eſſe ſuam.
Interimendus erat, quo non pereunte perîſſent
Auſtria, & innumeræ quas parit Hydra neces.

Ad Amicum ſecundas nuptias ſuadentem.

QVi laudas nova vota pater viduus mihi, nec te,
Nec me, nec STELLAM noſſe fatere meam.
Si te, non ſtudeas tua, non cures mea, vili
Libertate, novo ſubdere colla jugo.
Si me, ſi quinâ ſtipatum prole parentem,
Non ſiet hìc, dicas, nulla noverca gravis.
Si STELLAM nôris, non credas ulla dediſſe
Sæcula, non ſperes ulla datura parem.

Contra eaſdem.

SEcunda vota plurimus mihi Rhetor
Suadet, vir & puella, nupti & innupti.
Cedam furori mille Syllogiſmorum.
Quando? inquiunt: mox atque deſinent ſtulto
Placere Libri, Liberi atque Libertas.

Aliud.

DEbentur ſtudiis quæ non rapit otia Princeps:
Non vacat uxorem ducere, ſi liceat.
Proli dura noverca meæ ſit, & altera proles:
Si vacet uxorem ducere, non liceat.
Nullâ vendiderim pro conjuge libertatem:
Si liceat ſterilem ducere, non libeat.
Jam de conjugio miſſum facitote & agamus
Quod vacet & libeat, quod juvet & liceat.

Aliud.

DVcere me uxoré vultis. Vetulam anne juvencam?
Si vetulam, nolo; ſi juvenem, nequeo.
Cur juvenem nequeo? ne fortè puerpera plenam
Oppleat agnatâ prole noverca domum.
Cur vetulam nolo? Glacies nec larva locari
Apta, nec eſt thalamo grata ruina meo.

Aliud.

Aliud.

UXorem ſepeli; procul abſis altera: par eſt,
Cui par nulla fuit, nulla ſecunda ſiet.

Aliud.

DEſine conjugii votum ſuadere ſecundi;
Nolo bonam rurſus perdere, nolo malam.

E Caſtris redux.

HAga, meum decus, Haga, Ducū lectiſſima ſedes,
Haga voluptatis tota medulla meæ;
En iterum ſudore vagæ, ſolennis, amaræ,
Aſperæ, inexhauſtæ tempora militiæ
Humidus, ad poſtem fixis inglorius armis
Advolo in amplexus, patria virgo, tuos.
Accipe, & acceptum niſi dedignaris alumnum
Aſpice non torvo blanda ſupercilio.
Auriaci ſint de populis murisque triumphi,
Ceperit invictâ caſtra virosque manu:
Plus Duce victor ero, modò te, pulcherrima, Civi
Qui ſolâ capitur te, patiare capi.

In comeſſatiunculam Presbyterorum.

PResbyteros hilarâ madidos riſiſſe popinâ
Traditur: exempli copia, Roma, boni eſt.
Quid ſi facta ſimul monitorum & verba ſequaris?
Quod Patribus licitum, fratribus eſſe negent?

In Principis infantem mortuum Gypſo efformatum.

VT gravis Auriaco Fati inclementia flori
Præcipiti vitam ſuſtulit exitio,
Qualis inexperto pullum per inane volatu
Elapſum morſu præpete falco rapit.
Intuita has animæ exuvias ſuper æthera vectæ,
Contactu, formâ, pondere marmoreas,

Diriguit ſaxo ſimilis tremebundo Mater
Vix modò lamentis pervia, vix lachrymis.
Hei mihi quàm crudo par es nova forma dolori,
De ſaxo Natum ſaxea Mater habet.
Saxea Mater, habes quo te ſolamine vincas,
Parce piè madidis orba, nec orba, genis:
Auriaci Infantis Patriâ potiore recepti
Dimidium docto marmore Terra tenet.
Tantus honorari, parto de morte triumpho,
Non potuit ſtatuâ nobiliore Puer.

In ejuſdem morte Matris Auriacæ luctus,
Aëre tempeſtuoſo.

NEmpe meis ultrò conſpirat luctibus æther,
Immenſo lachrymis confluit imbre meis.
Æthereos fletus Thetys replet omnibus undis;
Tota latent toto littora mœſta Mari.
Accedunt Boreæ ſuſpiria ſuſpiranti,
Quaſſa proceloſo turbine Terra gemit.
Omnis inauditis reboat mugitibus arbor,
Procumbunt laceris triſtia ligna comis.
Claude cavos exhauſta ſinus Natura, doloris,
Tota dolor ſi ſis, umbra, nec umbra mei es.

Ad eandem, Παραμύθιον.

HActenùs infandum decuit doluiſſe dolorem,
Hactenùs infanti congemuiſſe tuo:
Tormina torminibus, fletum vagitibus illis
Non benè maternus non ſociaſſet amor.
Donec Mater eras, & erat ſpes altera quem fles,
Audîſti lachrymis officioſa piis.
Nunc ubi ſublatum Patriæ Patrique Tibique
Donavit Patriâ nobiliore PATER,
Quæque ſub incerti nebula latuere futuri
Publica ſunt partûs ultima fata tui,

Conten-

Contentam fleviſſe jubet nec flere Creator: 2. *Sam.*
Diſce Deo ſiccis orba ſubeſſe genis. 13.
Impia res lachrymæ eſt, quibus indignata repoſcas
Nec genitum Patri, nec Tibi, nec Patriæ.

Ad filiolos paucis diebus ſolearum ferratarum incredibilem peritiam adeptos.

EMBLEMA BRUMALE.

Præfatio.

SCazonte claudo convenire σκάζοντας
Per læve Brumæ marmor, ô domus noſtræ
Decus atque ocelli, tanquam idoneo verſu
Juſtum ac decorum cenſui: ſed incæpto
Mox expuliſtis, derepentè tirones
Facti magiſtri; nec quadrare moroſum
Carmen fateri tanta me rei duræ
Cognitio adegit, parta tam brevi niſu.
Hìnc, ecce, durum carmen, hìnc ſtylum vertens
Sermone blando, lubrico, levi & lævi,
Læves levesque diſſero ad natatores.
Favete linguis; Muſa, fas, ratio ſuadent
Aptarier pedem pedi, meum veſtro.

Ad eosdem.

AVdaces pueri ſoleis animisque Batavis
Stare ſuper ſtantes quos vetat ardor aquas;
Diſcite quàm non eſt ludi puerilis imago
Ludicra, quàm jocus in ſeria veſter eat.
Lubrica mortalis vitæ via marmoris hujus,
Frigore concreti marmoris, inſtar habet.
Quisquis in hac glacie ſtadii meruiſſe coronam
Deſtinat, armato convenit eſſe pede.
Ferratum virtute pedem ſi negligit, ægro
Debilis inceſſu labitur aut titubat.
Nec ſatis armari eſt, quibus uti providus armis
Neſciat infauſtum tiro ſubibit onus.

Si lævâ dextrâve gravis, ſi fortè ſupinus,
Vel medio procul à pondere pronus abit,
Ut benè feſtinet, turpi conamine, caſu
Multiplici, pravâ diſplicet arte bonis.
Sin medio rectus vitiorum, tramite certo
Virtutis durum ſub pede calcat iter:
Nulla nec adverſi vis in veſtigia venti eſt:
Aut fugat, aut factas rumpit ubique moras:
Conanti facilè eſt quidquid molitur, ab omni
Turbine ſecurâ proſperitate natat:
Algeat an ſudet, nihili eſt, CONSTANTER utramque
Ingenuâ ſortem dexteritate levat.
Donec in optatæ felicem limine metæ
Mulcet honorato parta labore quies.
Audaces pueri, tales ſub imagine tali,
Patre nec invito, ſemper amate jocos.

Ad eosdem.

CArminis incocti tepidum excuſate calorem:
Anni temperiem frigida vena refert.

Pro glacie.

NAturam reverenter habe: quicumque cadentis
Murmura, candentis marmora fontis ama.

Ad BARLAEUM.

VIcimus: audaci ceſſit Schola debilis Aulæ;
Frigida Barlæo Teſſela dante mea eſt.
Sufficit infelix nutu proſtratus amator:
Invidiæ finem laurea parta facit.
Paſcere ſubjecto pulchrè placet; alter ab illo,
Gratia rivali facta, triumphus erit.
Accipe, debellate proco Proce, gaudeo victor
Cedere, me victo Teſſela dante tua eſt.

De

De mirabili herba Te, *ad mirabilem* BARLAEUM.

A Gange noſtro non diù petitum Te,
Te ſobrium, Te providum, diſertum Te,
Suave Te, ſubtile Te, eruditum Te,
Te glorioſum, nobiliſſimum Te, Te,
Tecum τι θεῖον, eſca cœlitum Te, Te,
Jentaculum, promulſis & caput cænæ,
Fertur potenti, quodque per leves fruſtrà
Pæti vapores, quodque per graves früſtrà
Bacchi liquores quæritur, ſacros œſtro
Afflare vates, arduumque potis Tê
Nil repperiri, prona cuncta diti Te
Proferre venâ, bis valere potum Tê
Quod ſobrius valebat; ut ſtupeat cum Tê
Seſe eſſe factum quisque quod ſine Tê non eſt
Genio nec arte. Si fidem meretur Te
Præco penès te, ſi quod eſſe produnt Te
Te teſte Te ſit; Teſte te & bonis Te ac te
Amantibus, teſte, me diligenti Te
Ac te, diſertè de Te dixit ac de te,
Barlæe, qui te dixit eſſe totum Te.

In ebrioſum febricitantem.

CVr levis Æmylio gravis eſt medicina? veretur
Quæ poſſet febrem tollere, poſſe ſitim.

Pro Medicis, jocus.

QVæritur an Medicis nullo Reſpublica damno
Orba ſit: orbari non benè poſſe probo.
Nempe peremptores hominum ſi tollimus, unus
Qui vivos capiat non ſatis Orbis erit.

In ANNAM *garrulam edentulam.*

MIramur juveni dentes collabier Annæ,
Quos tam perpetuo verbere lingua ferit?

In ANNAM *garrulam edentulam.*

MIramur juveni dentes collabier Annæ,
Quos tam perpetuo verbere lingua ferit?

De Creditore ſecuro.

MOllis,ais,pluma eſt quâ ſomnum debitor hauris;
Mollior eſt quâ cui debeo, Paule, cubat.

Pauper in cœnum lapſus.

TOllere de cœno lapſum properantibus Aulum,
Mittite ait, non tam molle cubile domi eſt.

Ad Iacobum Myeropium *ut carcerem* GULIELMI BAVARI Com. Holl. *mente capti inſpecturum comitetur.*

HIc eſt, Myropi, furor, hæc inſania vatum,
Res non difficiles reddere non faciles.
Quod ſanè poteram verbis petiiſſe ſolutis,
Carminis inſani lege ligatus ago.
Inſani Comitis viſuro clauſtra ſerasque
Inſano Comiti, ſi vacat, eſto comes.

Corona nihil ambiens, in ſcuto cujusdam Gentilitia.

HOc vita, ſpes & ambitus mortalium,
Hoc ſplendor Orbis eſt,coronatum nihil.

Somnium.

QVi cogitando ſomnio
Et ſomniando cogito,
Vel cogitans, vel ſomnians;
Implexa cogitatio eſt,
Et impeditum ſomnium,
Seu ſomnians, ſeu cogitans,
An ſomniando cogitem
An cogitando ſomniem.

In præſtantiſſimam picturam I. *à* Calcar.

SIc volui, dictus proprio mihi nomine Calcar,
Poſt me curſuris addere calcar equis.

Epitaphium IULIAE, *nullo ſplendore ſepultæ.*

IVlia pulchra foris, intus pulcherrima, putri
Preſſa ſitu, jacet hìc: pulchræ pulchrique dolete.
O furor, ô ſcelus, ô atrox injuria Fati,
Tantillùm pulchri tantùm ſervare ſepulchri!

LYDIAE, *ſplendidè ſepultæ.*

LYdia fœda foris, intus fœdiſſima, ſolo
Pulcra ſitu, jacet hìc: pulchræ pulchrique dolete.
O pudor, ô ſcelus, ô excors, inſania Sæcli;
Tantillùm pulchri tantùm ſervare ſepulchri!

In aquas odoriferas, à Legato Luſitaniæ dono mihi datas.

FVndit odoratas Batavis Luſitania lymphas,
Et capimus lepidi muneris indicium.
Scilicet, hoc liquidè voluit ſalſèque monere
Dulcibus, ut ſalſis auxiliemur aquis.

In effigiem infantis Domini, & Mariæ Matris pomum tenentis.

O Mali damnande malo, Juſtiſſime, Malum
Eripe fœmineâ nunc quoque, Chriſte, manu.

Ad podagricum debitorem.

SOlve fidem; fruſtra eſt Podagram prætexere: quid ſi
Promiſſis nequeas ſtare? ſedere potes.

In æneum pollicem Statuæ Ducis Albani, ad P. HOOFDIUM *poſſeſſorem.*

DA veniam, tua ſi parcè cimelia laudo,
Queis, Hoofdi, ratio detrahit ipſa fidem.
Æneus Albani pollex nequit eſſe Tyranni;
Debuit ex illa ferreus eſſe manu.

Ingratitudo.

SErvire gratìs eſt nefas & ingratis.

In Gelliam.

QVàm bene conjugii ſit onus latura, probavit
Quæ modo deprenſa eſt Gellia ἐπ αὐτο φόρῳ.

Pro αὐτοφώρῳ.

In Pontificios.

PApicolis eſt pro numine Papa: papæ!

In T. GRASVVINCKELII *Catilinam.*

QVæ gravis auguſto doctè Salluſtius ævo
Prodidit inſanum verba locuta nefas,
Doctiùs hic, lector, Româque & ab ore rotundo
Hellados aſcitis induit eloquiis.
Induit hic, ne quære quis Hic; vix carmine tanti,
Vix toto nomen clauditur Orbe viri.
Dic modò, ni manes miſeret vexare Latinos,
Vt placitum Belgis pro Cicerone loqui,
Criſpe, dabis veniam, quæ nunc ſunt ſæcla virique,
Poſt Batavos patriâ primus in hiſtoria es.

Ruſtica.

CAndida nata fui, cur vivam fuſca, rogatur?
Non uno Sol in Virgine menſe fuit.

In Principum Auriaci *&* Auriacae *effigies, domi meæ.*

SI domui non vana Laris tutela; quid iſti,
Cum Junone Larem ſemper habere Jovem?

In Nuptias Pollucis *&* Lydiæ.

NObilis & formoſa meò ſua Lydia ducta
Polluci Logicè eſt; ob Genus & Speciem.

In diviniſſimas effigies
Anus *&* Puellæ *ab incerta manu.*

SI, quis homo poſt has homines ſe condat Apelles,
Quærit homo, hoc primum diſpice, num ſit homo.

Ad Carum.

SImne bonis avibus Sceverino in littore pranſus
Neſcio, Care; bonis piſcibus eſſe ſcio.

Epitaphium Gulielmi Staeckmanni.

STaeckmanni quod humi potuit procumbere, Fati
Legibus, hìc patriâ conditur, Hoſpes, humo:
Quanti, diſce, viri; quantum ſe condere mœrens
Friſia viſceribus invidet ægra ſuis;
Et geſtare velit; geſtantem quidquid honorum
Arte quis, ingenio, vel pietate gerat.
Omnibus ille aditis, omnes contemſit. acerbo
Hunccine tu raptum funere, Friſo, doles?
Sidera reſtabant: quìd ni properaſſet, adire
Qui nihil hìc ultrà poſſet, adire Deum?

In nuptias Principum GULIELMI AURIACI & MARIAE BRITANNICAE.

QVanti noſter amor, quanti ſit amica Britannis
Belgica Regali ſanguine vincta, vide:
Inſerimus duplici ſuper aurea Lilia natæ
Floribus argenteis aurea mala Roſæ.
Conſule nunc oculos; num ſit color æmulus iſti;
Poſt oculos nares conſule, num ſit odor.

De Tito & Mævia.

SI quantùm poſtica places antica placeres,
Iam mihi baſiolo, Mævia, tacta fores:
Sic Titus à tergo præeuntem punxit: at, inquit
Mævia, jam, Tite, da baſium ubi placeo.

In obitum OTHONIS Bar. de Gent, *Toparchæ Didenii, Vezaliæ Victoris ac Præfecti.*

DIdenii Herois temerè, Vezalia, ploras
Feſſa triumphato condier oſſa ſolo.
Ante duos & bis quinos ſic voverat annos,
Hoc ſi non poſſet ſtare, jacere loco.

In eundem.

REs hodiè Patrum & noſtro nova contigit ævo,
Civibus ingrata ac hoſtibus ac ſociis.
Didenium intra ſe condi Vezalia, Galli,
Brittones, Batavi flent, & inultus Iber.

In effigiem meam, quinque liberorum vultibus cinctam.

QVò genus & formam CONSTANTER opesque & amoris
Intempeſtivi ſpernat ubique faces,
Hugenium diû privatum conjuge Patrem
Hoc armaverunt Fata ſatellitio.

In eandem.

CIrculus à centro paribus patet intervallis:
Par Patris à centro linea, par & amor.

In eandem.

AMbiat omnigenûm doctos prudentia rerum;
Ἐγκυκλοπαιδεία eſt hæc Patris Hugenii.

In mortem Proregis Hiberniæ.

STraffordus, omni laude celſior, fero
Plebis furori dedicans dium caput,
Conſtantiâ Catone, vel Pæti manu,
Vel ſub Nerone Stoico dignâ ſene,
Omnique Stoâ, patriæ dolor & ſtupor,
Ut invidendo clauſit exitu diem,
Mortem decoro fecit aggreſſu levem;
Scelerisque plectens pœnitentiâ reus
Flentem popellum, viſus eſt judex reo
Mortis popello tradere, ut flendi, vicem;
Non hanc levis compendii ſortem ratus
Iniquitate temporum Deo dari.
O dignus innocentiâ viri vigor,
O ſub ſecuri nobilis ſecuritas!

In mortem pulcherrimæ Matronæ,

ANNÆ KILLIGREVV

Sub ponte Londinenſi ſubmerſæ,

16. Iulii, Anno CIↃ IↃC XLI.

IMpia vis Annam vili clauſura ſepulchro eſt:
Non potuit condi nobiliore loco.
Grandia præſtanti reſpondent marmora formæ;
Bis deno moriens fornice tecta fuit.

Qui

2.

QVi videt Herculeo ſtridentem gurgite Solem,
Manè revicturum novit abiſſe jubar.
Heu! Britones, inſtat veſtri nox ultima mundi,
Sol ſubiit veſtras non rediturus aquas.

3.

QVid Tamiſi Lacheſique damus, quod ab æquore noſtri
Invida commiſit plurima Nympha nefas?
Divinâ Divam facie & virtutibus Annam
Aſcivere ſuis Numina Numen aquis.

4.

Iocus.

NOn ſceleris, Neptune, tui eſt, de ſoſpite turba
Unica lethales Anna quod haurit aquas:
Quà placuit gravitate (leves impunè natârunt)
Virtutumque ſuo pondere merſa jacet.

5.

PArce ſupervacuo manes affligere fletu,
Quorum nec latet hìc umbra, nec oſſa jacent.
Vilis erat Divæ tellus, in flumine mœſto,
In terræ lachrymis Anna ſepulta fuit.

6.

VAnus ut extinctâ, dolor, & præpoſterus, Annâ eſt:
Si, quamvis abiit, non obiiſſe poteſt.
Credimus extinctam Venerem, ſi fortè per æſtum
Ludere geſtivit quo fuit orta Salo?

Cau-

7.

CAuſſa fuit, cur contemptis pulcherrima terris
Anna ſub illuſtri Ponte ſubivit aquas:
Egreſſura mali victrix ludibria ſæcli
Nempe triumphali fornice vecta fuit.

8.

NAufrage Pons, Arcus homicidæ, jacta maligno
Omine in infauſto flumine læva ſtrues:
Quid primus mihi cumque dolor dictârit acerbi,
Annæ fata tui criminis eſſe nego.
Quin Thetidi ignoſco. quid, ſummo gurgite nantem
Si rapuit? falſa eſt: credidit eſſe roſam.

Epitaphium

MICHAELIS MIREVELDII

Pictoris præſtantiſſimi.

ÆMathiæ memor aut Thraſymeni littoris, horre
Quisquis es, & Patriæ cladibus illachryma.
Parca virûm vitas Pictoris morte peremit,
Arte peremptcurus quot fuit ille neces.
Æmylium Cannasque puta; Mireveldius iſtic
Non una Batavûm cum legione jacet.

In effigiem meam ab eodem jam decrepito paulò ante obitum pictam.

O Miranda ſenis Mireveldi dextera, vitam
Vivida quæ toties, nunc moribunda dedit!

Epitaphium IACOBI GEINII F.

AUfer, viator, nobili pedem buſto;
Hìc artis, hìc modeſtiæ penu calcas,
Hìc Geinium: qui quid valeret in vivis
Neſciſſe mortem mirer? ipſe neſcivit.

Sin

Sin penè ſcivit ipſe, noluit ſciri.
Fortaſſe poſteri ſcient. Sciant porrò
Vel neſciant, tam ſcire Geinius curat,
Quàm qui, ſciens quod credidit, quod hìc ſcimus
Neſcire nos ſcit, & ſcientias, artes,
Et omne quo tumemus inſcii, fumum,
Et hoc putamen, corpus, & nucem caſſam.
Infer viator labili pedem buſto;
Non artis aut modeſtiæ penu porrò,
Non Geinium, (fefellimus:) Nihil calcas.

In obſidionem Arcis Gennepæ.

COncuſſa crebro tecta, muri, fulmine
Sidunt ruuntque, & incidunt ſenſim ſibi:
Ut Arce quâ potitus es potirier,
Et exhibere mox quod expugnaveris,
Subire quàm ſuperare durius fiet,
Et invenire Gennepam, quàm vincere.
Invicte Frederice, quid porrò furis?
Cum veneris, cum viceris, vix videris.

In ejuſdem munitionem demoliendo inſtitutam, ad Milites.

HOc agedum, ſi fortè capis, vindicta Deorum,
Hoc me, perdendi turba perita, doce;
Quomodò quam niſi delendo non cepimus, Arcem
Servandæ ratio proxima deſtruere eſt?

CON-

CONSTANTINI HUGENII

EPIGRAMMATUM

LIB. V.

cIↄ Iↄc xlii.

In mortem C. Mylii V. N. *&* M. Zuerii Boxhornii *in eandem funebrem orationem.*

MYlius incoctum veteri virtute Batavâ
  Pectus, amor Patriæ, lingua decusque meæ;
Mylius, Aonidum ſacer à lanugine ſacris,
  Quas ad canitiem credidit eſſe ſuas;
Jure ſuo ſæcli ſaturum caput inſitus aſtris
  Ivit ad heroas, quos ſuperavit, avos.
Indulge lachrymis, Academia; ſive maritum,
  Sive ſit hoc Natum perdere, ſive Patrem.
Quin triplici luctu quantùm pia Mater alumno,
  Crede Viro Viduam ſolvere, crede Patri.
Si lachrymis implexa via eſt, quibus obruta cladi
  Fruſtra coneris congrua verba tuæ:
Accipe ſublimis de majeſtate ZuerI
  Quâ flendo ſaltem voce diſerta fleas.
Eſt aliquid, quod mole ſuâ ſe prodere tardus
  Inveniat quo non hæſitet ore dolor.
Deſine nos verò ſociis animata querelis
  Poſcere præclaro debita juſta ſeni.
Facundam ſolis hodiè ſingultibus Hagam
  In tanto pudeat funere, poſſe loqui.

Ad lectorem Poëmatum meorum.

AMice, non amice, quisquis es, Lector,
Lecture, non lecture quæ damus, quæ non
Damus (coacti blandulis amicorum
Impulſibus, precibusve, ſive mandatis)
MOMENTA vulgo; parce dentibus, parce
Linguæ faventi: non meremur aut illos,
Aut hanc moramur: ecce, quanta ſunt; ipſi
Edicimus, fatemur & probè ſcimus,
MOMENTA non ullius eſſe momenti.

In effigiem FRANC. ARSSENII
de Sommelsdijck.

OS hominis ſublime, cui par Belgica, cui par
Gallia non audit, muta tabella refert.
Quàm benè conjunctos, quales Natura creavit,
Arſſenium pictor reddidit & ***tacitum*** !

In effigiem I. GHEINII F. *Pictoris excell.*

GHeiniadæ caput impenſè pretioſa tabella eſt.
Quid ſi Gheiniadæ ſit caput atque manus ?

*Ad Chriſtianum filium, ut tam ſcribendo quàm
legendo ſe exerceat.*

REdde vicem, bene paſte puer; nimis illud iniquum eſt,
Quod ſemper nolis edere ſemper edas.

Ad Cinnam.

LAc, oleum, vinique cados, quos ſæpè daturum
Pollicitus Cinna eſt, hactenùs ore dedit.
Lentule, quid fugis aut ceſſas expungere; poſſis
Fortè magis liquidi nominis eſſe reus?

Cælebs

Cœlebs miſogamos.

FLaccus adulando tetricæ, mea ſola voluptas,
Occinit uxori, quoties de fornice caldo
Extrahit aut madidâ correptum crine popinâ.
Ergo quid? uxorem pergis me ducere velle,
Intrepidum ne fortè trahat ſua quemque voluptas?

Tabacum.

DIfficile eſt captu & facile eſt, ſine dentibus ore
Extractas terrâ, cœlo committere frondes.

Perpetuum mobile.

VAna ſupervacuo maduit ſudore Matheſis:
Gallæ perpetuum mobile lingua facit.

In effigiem H. GROTII.

QVidlibet audendi Pictoribus atque Poëtis
Copia, ut eſt hodiè, non ſatis æqua datur.
Reſtituit patriæ Grotium ſine crimine pictor:
Si vel idem Grotius cogitet, ecce reum.

In eandem, ad Pictorem.

MIlle libros unâ retuliſti, incaute, tabellâ:
Exiguo tantus venditur ære labor?
Diſce quid exponas; ipſa eſt quæ milite cœco
Rapta Loveſtenio Bibliotheca fuit.

Ad Principem, tegete meâ plumariâ aliquot noctibus tectum.

SAnguinis auguſti rivos pretioſaque Belgæ
Paſſus es in plumis membra tepere meis.
Redde vicem, Patriæ columen, famulumque ſub alis
Frigentem ſine te perge fovere tuis.

In effigiem Card. D. Richelii.

GAllica cui ſoli moles incumbit Atlanti,
Cujus ab ore ſui neſcia ſe didicit,
Richelium fruſtrà, Pictor, formare laboras,
Nî ſimilem faxis os humerosque Deo.

In effigiem ABRAH. de MORI *Verbi Divini Præconis Matri miſſam.*

AVribus hunc oculisque, Parens anus, excipe natum:
Aurea cum vultu concio miſſa venit.
Facundo toties quod præcipit ore Batavis,
Dicere & hìc mutum crede, Memento MORI.

Epitaphium Iuvenis Advocati.

MÆvius eloquio Patriæ prodeſſe paratus
Ecce fimus patriam ditat & auget humum.
Triſte ſolœciſmi vitium! malè *declinando*,
Ore quod intendit Mævius, oſſe facit.

Pœna Sycophantæ.

IMprobus inſani ſcriptor Cæcinna libelli
Contentus paucis Lectoribus, in mala tandem
Vincula, *contentus* paucis lictoribus, ivit.

Ad DVISBVRGAM,
GERARDO MERCATORI
olim habitatam.

DVisburga mercimoniis olim frequens,
Nunc vaſta bello & orba cive Civitas,
Ceſſa dolere nominis domi ac foris
Laudem ſepultam, MercurIque artes bonas
Marti ſubactas. Civis unicus probè
Hæc damna penſat; ecce qui ſuperſtite

Cala-

Et orbitati publicæ & Patriæ rogo
Famâ perennis, mille Mercatoribus
Major, tuetur aſſeritque poſthumam
MERCATOR unus Teutoburgi gloriam.

Ejuſdem Epitaphium.

QVisquis ades, fruſtra metuis ne fortè ſepulto
Sit Mercatori tantula terra gravis.
Omnis terra viro levis eſt, qui tota quod uſquam
Terrarum eſt humeris pondera geſſit Atlas.

Ad avarum.

SI plus bono ſit optimum,
Et omne magno maximum,
Quid munus uſque novum dari,
Nunquam petis noviſſimum?

Ad Candidatum Iuris.

QVas diſcis, ſtudioſe, vel ipſo nomine Leges
Hoc te perpetuò crede monere; *leges.*

Sacerdos vapulans.

MVltatus & verberibus & verbis malis
Cur ſe ſacerdos vindicare negligat
Rogatus & defendere aut linguâ aut manu,
Οὐ δεῖ μάχεσθαι, φησὶ, τὸν δοῦλον θεοῦ. 2. Tim. 2. 24.

Debitores in carcere.

IN ære dudùm, nuper in ferro ſumus:
Qui ſolvier vult, ſolvito.

Ad ſeneſcentem amicum, ut literis incumbat.

SI ſtadium nequeas, ſtudium decurrere tenta:
Cœpiſti canos mittere, mitte canes.

Aggeres damnoſi.

AGgere concluſos quisquis poſſederit agros,
Aggere, perpetuò qui ſibi dicat habet.

De muliere furaci.

INtolerabilius nihil eſt quàm fœmina dives,
Neſcio quis quando veterum de conjuge dixit.
Belga, ſcio, paucis hæc qui vernacula fecit,
Cui quod habet furto rapit & malè prodigit uxor,
Intolerabilius nihil eſt quam fœmina Dieveg.

Deſordre.

TAm ſacra Romæ res fuit triumphanti
Divinus Ordo, ut ordini quod oppoſtum eſt
Nec nominari ſiverit ſuis verbis,
Ἀταξίαν γὰρ ἄτακτος Ἑλλὰς invexit.

In funebres magnatum pompas.

O Vanitatum vanitas!
Ut vita fumus, funus ipſum fumus eſt.

Fuga temporis.

QVantò virili tempore
Felicior puertia eſt!
Qui volvier viſi, volant,
Qui repere olim, nunc rapi
Videntur, & mali dies,
Præ ſemper illis optimis.
Anni fuerunt aurei,
Nunc ferrei ſunt annuli.

CRAFTO

CRAFTO Comes Naſſavius Sarbruckenſis, CAROLINAE Naſſaviæ *Sponſus*, ORSOVIO *cum deſtinato Socero elatus, Heuſdæ unà ſepeliendus.*

SPes fulgidæ mortalium,
Quàm fumus eſtis & vapor!
Vivæ parabam Filiæ,
Concumbo Patri mortuo.

Ad amicum prodigum rure repentè frugi factum.

TArde agricultor, non rependitur brevi
Adulta calamitas rei compendio.
Nec villa reddet quod liguritum eſt domi.
In urbe dudum perditi peculii
In *fundo*, amice, ſera parſimonia eſt.

In fundum ædi ſacræ votum.

SOli Domino ſit gloria, & domino ſoli,
Qui gloriam [1] ſoli [2] ſolô [1] Domino dedit.

[1] *Dativ.*
[2] *Ablat.*

In Poëmata doctiſſimi amici quæ deſtinaverat OTIA *inſcribere.*

UT ſua tam docto tribuam præconia libro,
Vatum, dico, Deus nobis hæc Otia fecit.

Ad Mudam ſub Hoofdio *præfecto.*

FAcunda nunc Heroë, MVDA, facundo;
Serva diſerti Satrapæ diù canos:
Hac orba luce ſi ſemel ſies, doctis
Dicere cœca, doctioribus *muta.*

Poëtas malè Vates dici.

QVis furor eſt vel præteriti vel gnara futuri
Vana Poëtarum credere judicia,
Quos, qui veridicus mihi ſit, non audeat ullus
Vel de præſenti dicere veridicos?

Nanus ad Gigantem.

ANimata rupes, pugnifer
Immenſe, formidabilis
Coloſſe, qui, quod eſt Deûm,
Mortalibus tanquam pilis
Utare vel crepitaculis;
Si qua orta controverſia eſt,
Quam pertinaci, quod ſoles,
Sic urgeas conamine
Ut vincier victus neges:
Ne gloriare de mea,
Quam ferre præfers, laurea.
Cedo rationum viribus?
Cedo rationi virium.

In Hiſpanos.

SPania Græcis optimè inſolentia eſt:
Hiſpaniâ nil regnat inſolentiùs.

Comes GUILHELMUS NASSAVIUS Orſovio *elatus. ad Vxorem.*

QVid mê dura meum privas Chriſtina trophæum?
Debuit Orſovium condere Naſſovium.

In Comitem *de* Guebrian.

QVam latè videas Heroëm, maxime Saxo,
Tam benè relliquias *τόνγε βελῶντος* tuas!

Ad Gallam, τὴν ἄντον.

IMproba, quæ miſerum totâ me nocte fatigas,
Senec. Diſce σοφοῦ monitum, Galla, *quouſque eadem*?

Reus in articulo ſuſpendii.

QVid? nocte totâ ſupplici jejunio
Precibusque laſſum deſilire cogitis?
Præcede, reſtim qui choreæ ducis, aut
Me trude, Lictor; nemo ſaltat ſobrius.

Epita-

Epitaph. lethargo extincti.

SPiritus inſomni lethargo ceſſit; Amici,
Quid ploratis? adhuc dormio, non obii. *Mat. 9. 24.*

Mater furis ſpurii.

INfortunatum mirer me perdere natum?
In furto natum fama paterque ſciunt.

In cladem Vezalienſem, ex accenſo Pulvere pyrio,
IV. NON. *Quintil.* CIƆ IƆC XLII.

Ad BARLAEUM.

HOmo deſtinatus pulveri, de pulvere,
Qui pulvis eſt, in pulverem it per pulverem.
Barlæe, pulvis docte, docti pulveris
Olympicique Præſes, & Rector bone;
Ne ſperne declinationem pulveris
Indoctiorem; magna pars Veſaliæ,
Si calluiſſet hanc eandem, viveret.

In eandem.

EN, fragili grandes animos in corpore geſta:
Ardeat exiguus pulvis, & umbra ſumus.

Patientiæ laus.

VIrtus in actione quædam ſingula,
In paſſione quælibet ſimul patent.

Suſpenſus.

NVlli imputanda culpa mortis eſt meæ:
Videre teſtes mille; caſu contigit.

Ad amicum.

ÆRe tuo gravior fieri non poſtulo; ſolum
Da mihi, quod famulo contigit, eſſe tuum.

In

In Apellam.

QVærenti, ſubridendo reſpondit Apella,
An placeat Synagoga an Gynagoga magìs.

Ad mutilum ſiniſtrâ.

MAncus es; at certè, quod juſſum eſt, dextera ſi quid
Erogat, haud poterit ſcire ſiniſtra manus.

Alluſio ad portas ſacras.

Mat. 8. 34. Ἐξῆλθε πόλις εἰς συνάντησιν θεῷ,
Διὰ πλατείας, ὡς ἂν εἰκάζω, πύλης.
Mat. 7. 13. Πανόλβιος μὲν, εἴγ' ἐσῆλθε διὰ στενῆς!

Idem.

EXivit obvia tota Civitas Chriſto:
Exivit, & latâ quidem, reor, portâ.
Beata, ſi introïverit per anguſtam.

Cura lienoſi.

MEdicus ſupinum ſuſcitans ſpleneticum,
Quod Chriſtus ægro, dixit. Illud intereſt:
Sanate; dixit Iſte, tolle lectulum;
Sanande, dixit Ille, ſurge & ambula.

In ſuſpicioſum.

ULtima ſuſpicio non eſt ſine crimine: non eſt
Ille probus, quemquam qui negat eſſe probum.

Suſpenſus.

UT lapſu graviore ruant, tolluntur in altum,
Quos Fatum, quos & carnificina rotat.
Dimidiæ ſortis gravior mihi caſus, amici, eſt;
Summa mali cauſa eſt, non cecidiſſe, mei.

Idem.

Idem.

EXilium eſt, patriam prohiberi tangere terram?
Ecce dedi exſiliens memet in exilium.

Ad Poſthumum.

ME melius non eſt alieno nomen in ære.
Si mihi non credis, Poſthume, crede mihi.

De Gallo & Gellia.

GAllus ab inflato moribundus ventre laborat.
De non inflato Gellia ventre dolet.
Ne mirare domum jugi fervere querelâ;
Scilicet igne perit Gellia, Gallus aquâ.

Laus I. Vallenſis *Medici, cum in famuli mei acutiſſimo morbo ingenuè ſe fateretur* ἀπορεῖν.

VAllenſis, optimus medentium ſenum,
Doctiſſimusque ſeptuagenarius,
Vocatus ad miraculum morbi novi,
Cujusque cauſas ipſe nec penetrat ſatis,
Nec eſſe cuivis æſtimat penetrabiles,
Fatetur artem quâ ſuper qua terdecem
Excellit annos, huic medelæ non parem
His æſtuare, his hæſitare anguſtiis.
Hoc eſt ſenem peritum, & eſſe virum bonum,
Hoc eſt foris & intus eſſe candidum.

Ad candidum lectorem Novi Teſtamenti.

PLuribus iſte liber verbis non diſcitur: unum
Si capis hìc VERBUM, candide, cuncta capis.

In idem.

OPtima Relligio VERBI eſt unius; & uno
Quæ plus dant verbo, credite verba dare.

Ad

Ad Læliam.

TVtior eſt, qui lentus, amor ; violentia damno eſt.
Si te depereo, Lælia, diſpeream.

In Aulum.

AN Iureconſultus ſit Aulus neſcio.
De Iure non fuiſſe conſultum ſcio.

In picturam incendii.

NOn ſtupeo vivas oleum producere flammas:
Tela ſed his quod non ardeat, hoc ſtupeo.

Vellus aureum.

VElleris auguſti laqueo capiuntur Iberi.
Sic vos non vobis vellera fertis oves.

De Phyllide.

CIrcumveniri nemo ſe prudens amat ;
Prudentior Phyllis tamen, quæ brachiis
Circumveniri quid ſit amplexantium
Experta novit, juro per ſummos Deûm,
Res, inquit, expetenda circumventio eſt.

Ad BARLAEUM:
de expeditione anni CIↃ IↃC XLII.

DE tot coronis, ligneis, & querneis,
Et myrteis, & laureis, & aureis,
Queîs ſe triumphis nata gens Quiritium
Ad arma pronam proniorem reddidit,
Barlæe, fer ſententiam, quæ debita eſt
Corona nobis, qui duos exercitus,
Ac de duobus Regium ſervavimus ?

Ad

Ad Phyllida *de perpetuo mobili.*

QVousque motûs vana perpetui doctos
Indago laſſat? cuncta perpetuo verſat
Natura motu, cuncta ſors; ruit Cœlum
Et Aſtra Cœli, & Unda perpetuo motu.
Fruſtra, quod eſt ubique, ubique mendici
Ab arte poſcunt. dignius gravi curâ,
Stupore docto dignius ſit inventum,
Immota, nec vel arte mobilis moles.
Et, heu, reperta eſt, & meo quidem damno
Immota perſtat: nempe perpetuum, Phylli,
Immobile, obſtinata, pertinax Phylli.

In Fabulam Percelli *Pictoris ὑδροποιοῦ excellentiſſ*mi.

FAbula Pegaſei ſi non eſt fontis origo,
Fabellis hodiè vilior hiſtoria eſt.
Aſpice quàm Batavæ diſpar vetus ungula dextræ,
Exiguas ictu vivere fecit aquas.
Attigit hanc leviter telam Percellus, & alti
Fluminis & ſalſi prodiit unda Maris.

Nauta in procinctu, vento ſecundo.

NAvita de ventis quis flaret, ſæpe rogatus,
Sæpe laceſſitus tot quæſitoribus. Eurus,
Eurus & hic, inquit (crepitu de ventre ſoluto
Quale Jovis tonitru eſt) tandem conſcendite, turba
Vectorum; qui ſe mecum commiſerit undæ,
Quidquid erit, poterit vento gaudere *ſecundo*.

Deſes de lecto.

QVam Lecti Lecto lectè data vocula quadrat!
Nil Lecto, Lector, lectius eſſe poteſt.

Lectus

Lectus amicæ.

SCande thorũ Dominæ: ſi non fandi atque nefandi
Mollia ſunt iſthæc tempora, nulla dabit.

De Cotta.

LOnga viri ſapientis, ait, vel inutilis ira eſt:
Quod ſic Cotta probat: Ira brevis, furor eſt.

De Gellia.

NItimur in vetitum: gravis hactenus impoſtura eſt:
Imponi gaudet Gellia ſæpè ſibi.

De Cinna.

BOnum, profectò, nomen eſt: ludibrium
Pari repenſat protinùs ludibrio.
Debere nulli Cinna vult ludibrium.

Ad D. Franciſcum de Melos *Exercitus Hiſpani Ducem, è prælio contra Gallos victorem,*
CIↃ IↃC XLII.

LVſitane Melos, qui melos triumphale,
Tyro imperandi fortè, fortè vincendi,
Succeſſibus non uſquequâque tuis cantas,
Neglorioſus ſplendidæ nimis fide
Primæque ſorti: vitrea eſt, & infida;
Nec mox Batavos vincere eſt, quod eſt Gallos.
Quod ſi reverſus metiare nunc horum,
Vel victor, haſtas, ſæpè, ſæpè victrices,
Eſt qui volantem præpeti fugâ Melos,
Docere poſſit Pegaſëium melos.

Similes labris lactucæ.

LActucas oleo graves & acri
Submerſas domini vorant aceto.
Lactucas pueri nec acri aceto

Nec

Nec tinctas oleo vorare docti,
Vellent perpetuò illud eſſe verum
Lactucas ſimiles habere labra.

In mortem Auli ebrioſi.

NOn ceſſit Aulus ebrius Cynico ſeni:
Ut vixit ille, vixit hic, in dolio.

Ad amicum Iuvenem ab inflammatione brachii ſanatum.

AMplexatrici ſanatus es, Euchyme, membro:
Hac ſe proripuit parte vetuſta lues.
Qui tam præcipiti raptum diſcrimine ſolvit,
Parciùs amplecti crede monere Deum.

In puellam dormientem.

DOrmire mors, mors ſomnus eſt.
Si dormit hæc nec mortua eſt, *Matt. 9. 24.*
Non dormit hæc, ſed mortua eſt.

In natalem meum.

QVarta quater reliquis ad ſæcula quatuor annis,
Nono menſe, die quæ ſacra Mercurio eſt,
Naſcebatur homo quidam, non beſtia; tantùm
Quod nono naſci beſtia menſe nequit.

Tumor arthriditis ſanatus.

QVando tumet mulier, partu tumet illa propinquo:
Quē premit Arthritis, quando tumet, peperit.

Ad amentem.

EſT univerſo ornatui diverſitas;
Fatemur, amens, univerſo ornatui es.

Ad liberos.

AMate pacem Liberi,
Precioſus unio Unio eſt.

Ad

Ad Aulum, Senem amatorem.

NOn te puellas inter, Aule, denigro:
Denigrat ætas; nempe quæ dealbavit.

Pro vicino partu Principis Auriacæ.

OMnia ſperamus. quid non ſperemus ab illo
Ventre? veni, puer, an fortè puella ſies.
Embryo magne veni, & propera, ſi fortè puella es:
Embryo de ſexu bis meliore veni.

Ad embryonem.

NE propera paſci, ſi debes filia naſci,
Sin es Mauritius, parve, veni citiùs.

De Tullio Spurio.

TVllius in terris Patrem appellare recuſat:
Sufficit in cœlis, inquit, habere Patrem.

In Thaidem.

SIcut gutta cavat lapidem, res publica, virgo
Deſiit eſſe, Thaïs; non vi, ſed ſæpe cadendo.

Ad lectorem meum.

CVjus curta vides Epigrammata, candidus autor
Hoc agit, ut nôris quàm ſit ſibi curta ſupellex.

Ἀρτολατρεία.

IVſſa rogare Deum panem dare quotidianum
Roma Deum fecit panem ſibi quotidianum.

Ingratitudo hominis.

Mat. 12. ἘΝ καρδίᾳ τῆς γῆς ὁ υἱὸς ἀνθρώπου
40. Τρεῖς νύκτας ἦν καὶ ἡμέρας, ἕνεκ' ἀνθρώπων
Ἕνεκεν θεοῦ δὲ τίς δίδωσιν ἀνθρώπων
Τρεῖς ἡμέρας καὶ νύκτας υἱῷ ἀνθρώπου,
Ἐν καρδίᾳ, τῆς γῆς τόπον ἢ ἀνθρώπους;

Ad Aulum Advocatum.

PRaxin protervè nunc bonis, nunc & malis
Bonam adminiſtras aut malam; prout rei
Bonæ malæve nata fert occaſio;
Prout faciendæ nempe fert occaſio,
Securus, Aule, praxin illam factitas?
Et illud εὖ πράττειν vocas? nec obvia eſt
Imago Juſti, cujus è Cœlo manum
Manus ſiniſtram dexteramve bonis, malis,
Vni cuique ſuam κατὰ πρᾶξιν dabit. *Mat.* 17. 27.

Dos.

DE dote, Natæ Jureconſultus pater
Rogatus, unde originem deduceret,
Cum dote do te, dixit, hinc vocabulum eſt,

De copia ſatias.

SIc eſt, amantes, ſperno quod plenè eſt meum.
Si dat puella, fit repentè κόρη κόρος.

Lesbia ἐν γαστρὶ ἔχουσα.

DE Lesbia fortaſſe ſi quid invides,
Nec invideo, nec eſt quod invideas mihi,
Gravis mihi, gravida eſt tibi: plenè tua eſt.

Conjugium Niſæ & Mopſi.

QVod Niſa Mopſo pulchra deformi datur,
Mirum eſt, amantes? nempe diviti datur:
Exorta egenis pauper eſt parentibus
Donatione perpete propter nuptias.

In oculos.

CAptus amans oculis cæco duce dicor Amore
Ducier: erroris culpa ſit iſta mei.
Aſpice quàm Stellæ geminæ ſunt fulmina ſtellæ;
His oculis dices me potuiſſe capi.

CONSTANTINI HUGENII

EPIGRAMMATUM

LIB. VI.

cIɔ Iɔc XLII.

Epitaphium infantis in utero Matris στενωτέρης ſuffocati.

DIvinate viri vates : Ænigmate condor,
Quo non eſt gravior, quâ malè condor, humus.
Patrem habui & Matrem : tamen invida, an invia, Mater
Quem voluit me non ſivit habere Patrem.
Vixi, non vixi. quo poſſem vivere Jota
Defuit ; hoc pariens debuit eſſe parens.
Denique, ſi ſaxo quid huic inſcribitis, ecce
Præſcribo ſorti conſona verba meæ.
„ Venit in hunc tumulum, quem vivum fata maligna
„ Egredier tumulo non voluere ſuo.
„ Nata mori, vetus & juſtum eſt: ſed iniqua Deorum
„ Sævities, nondum nata jubere mori.

In diſſidia Anglicana.

DIſſiluit fracto naturæ fœdere cera?
Colligis admotâ fruſta liquata face.
Ignea fax Amor eſt: Adverte Britannia; quæ non
Hac face molleſcunt fragmina, non coëunt.

Ad

Ad BARLAEUM, *cum Filiæ nuptiis intereſſe non liceret.*

QVi me pollicitus Mudanos inter amicos
Non niſi Fraterno funere fallo fidem,
A Patre Barlæo geniales inter amicos
Barlææ ſponſâ virginitate vocor,
Cum Socero vocat & Gener & genus omne vocātûm
Cum Patre, cum ſponſo conjuge Sponſa vocat,
O Sponſi, malè me & fruſtra tentatis; iniquum eſt,
Quod mea non potuit ſponſio, veſtra velit.

Ad Poſthumum.

AMbigis unde Ovi vitient alimenta ſaporem
Fœtida, Porcinam neſciat iſta lues.
Poſthume, quàm demens torquet te quæſtio! porci
Ovum ſi guſtes quì ſapiat, ſapies.

De Gellio.

GEllius in viſa nullum de conjuge falsò
Dici crimen ait. Credula res odium eſt.

Epitaphium

CAROLI MORGANTII

τοῦ χολωδεστάτου, Viri fortiſſimi.

SEcurus, hoſpes, ſi Britannus aut Belga es,
Securus in Morgantii ſede buſto.
Non eſt furore perciti procelloſo
Quod extimeſcas poſthumum viri fulmen,
Nec vivus iſtâ bile vixit horrendus.
Flagravit irâ mitis, impotentique,
Non ſævus, æſtu; canduitque inoffenſo
Candore. Naturæ fuit ſolœciſmus
Quo ceſpitavit, innocentibus flammis
Sibi moleſtus, nemini bono; fortis
Et comis idem victor atque convictor,

Heros herusque laude dignus & luctu.
Quid plura? miles optimus, bonus civis
(Securus audi, qui Britannus aut Belga es)
Soli Patriæ dixit bonum ſacramentum,
Solis Iberis & malis *Sacramenta.*

Ejusdem Hydrope extincti.

BIle ferox, cui nec mediâ fervente juventâ
Ulla viro flavam ſubdidit æqua facem,
Decrepitus nondum vîctos Morgantius annos,
Horridaque his annis hoſtibus arma tulit:
Perſ. Cum ſimul inflatum propenſo ſeſquipede extans
Tenderet intercus humor aqualiculum.
Quanta, putas, hoſpes, fuerit, quæ fulmine vivo
Tanta ſuper tantis flamma natavit aquis?

Ejusdem.

ILicet, ut Fati ſancitum lege magiſtrâ eſt,
Senſerit humanas & mea flamma vices.
Iverit in fumum, quæ me lymphatula fecit
Iucundumque bonis, terribilemque malis.
Non omnis pereo: ſuperavit funera quidam
Relliquus antiquâ mobilitate calor.
Scilicet hos inter tumulos de nocte vagantes
De noſtris fatuos ignibus eſſe puta.

Epitaphium
FR. AUGUSTI THUANI,
Criminis rei, quod à ſe improbatum, in gratiam amicorum celaverat.

QVi jacet hìc, hoſpes, pravi, ſine crimine, cœpti
Conſcius obtruſâ relligione fuit.
Nec ſceleri quidquam probitas contraria juvit:
Commiſſum ſceleri eſt ſubticuiſſe ſcelus;
Cum violata fides ſocios impunè negantes
Flectere nec poſſet ſola, nec arguere.
O legum ſubtile nefas, quibus inter amicos
Nolle fidem fruſtrà prodere proditio eſt!

Ejus-

Ejusdem.

AVguſtus, hoſpes, hic jacet, Thuanæa
De ſtirpe (quantâ ſtirpe!) nobilis proles,
Ne quære cauſſam mortis; ipſe neſcivit.
Quid ipſe? mortis autor ipſe neſcivit.
Tamen ſcientiâ hic & ille peccarunt:
Scientiâ mali reus, ſed exoſi,
Et improbati, & improbabilis contra
Reos negantes, ſubticendo peccavit.
Scientiâ peccavit & boni judex,
Legis bonæ, ſed, hercules, inhumanæ,
Et quâ Thuanum non feras periviſſe.
O ſummè iniqua juris æquitas ſummi!
Satis fuiſſe debuit virum fortem,
Conſtantem amicum, non ſuæ reum culpæ,
Quod non potuît probare, non probaviſſe.

In ejusdem mortem, imperitiâ carnificis lanienæ ſimilem.

CVm fera damnatum damnandâ lege Thuanum
Traderet infami Gallia ſupplicio:
Summi ſævitiam juris damnante metallo
Irrita diſplicuit carnificina ſibi.
Diriguit Lictor; nec adhuc trepidante Thuano
Abnuit indignam dextera lenta necem.
Ferrea ſæcla vide: plus eſt in Iudice ferri
Quàm culpæ reus aut ferra rigoris habent.

De ejusdem crimine Iocus.

GArrula gens Galli eſt: quid ni ſit garrula? Gallus
Suppreſſâ meruit garrulitate necem.

In mortem Duc. Cincmartii, *magni Galliæ Hippocomiæ præfecti.*

QVod ſis eſſe velis: modus eſt in rebus, & ex re,
De medio ſurſum non properare gradu.
Diſce ſecuturus ſi quis veſtigia Magni es,
Quàm primùm voluit maximus eſſe, fuit.

In reditum Card. Richelii *Lutetiam.*

PAllet Iber, ſpe lapſus Iber: quo plurima mundi
Machina verſatur Cardo quod egit agit.
Priſtina Richeliis redierunt robora nervis,
Ceſſit Atlantæis peſtis aduſta toris.
Solve Duci votum reduci, quo vincere pro te,
Quo te complecti, Gallia, pergat habet.

In detractores Richelii *mortui.*

QVæ Cardinali turba ſupplicem vivo
Subjecit & mentem & manum, nec in terris
Præſentius proſtrata numen agnovit,
Ruit in ſepultum ſcommatis, jocis, probris,
Et quidquid ore poſſit exſpui ſalſo
In immerentes impotens vomit manes.
Levis popelle, ingrata plebs, inhumanum
Serpentis inſtar; Patriæ ſemel natus,
Atlas, Atrides, Cardo Regis & Regni,
Non debuit denaſcier; tibi verò
Nec debuit defunctus eſſe, nec vivus.

In illud cujusdam in eundem,

Ex te ſubortis eſca vermibus lates.

VEllitur indignè proſtrato barba leoni;
Richelium plebes improba dente ferit;
Dente, ſed extinctum: ſoboles, quo ſupplice vivum
Nuper adoravit, mordicat ore patrem.
Ilicet, hìc tantùm non falleris impie, natis
Ingratis de ſe vermibus eſca jacet.

In ejusdem Cardinalis Bibliothecam.

MIlle libros, & mille libros, & mille librorum
Millia magnifici publica Richelii
Cura, bono Patriæ, capſis ingeſta ſuperbis
Nominis æterni marmora viva locat.

Quò-

Quòque voluminibus moles auguſta coëmptis
Creſceret in titulos auctior uſque ſuos,
Mille libros & mille libros & mille librorum
Juſſit adimpleri millia mille libris.
Deſine poſteritas λάπτειν quo ſe agmine facto
Duplicet in multam maſſa voluta nivem.
Materiam liquit veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus; omnis ubi Gallia ſudet habet.
Scribite Richelium, partos pro Rege triumphos
Scribite & æternis geſta legenda typis.
Mille libros impletura eſt quæ poſthuma famam
Unius capiet Bibliotheca viri.

Epitaphium mulieris prodigæ.

ROditur hìc tandem corroſo Galla marito,
Qui reliquum vix quod rodere poſſit habet.
Serò tuliſtis opem, ſuperi; quia perdere dudum
Uxorem nequiit, perdidit illa virum.

In Schedas Coſmographicas
GERARDI MERCATORIS
ab ejusdem Nepote dono mihi Duysburgo miſſas.

ESto; nec oppreſſo bellis injuria Fati
Duysburgo totas depopulârit opes:
Relliqua ſit mercaturæ pars magna, novusque
Mercator veteri par, potiorque ſiet.
Invideant alii: tot mercibus unius unas
Mercatoris ego præfero relliquias.

Ad Lesbiam.

DEbellàre viros potuiſti bella, ſed anni
Te de-bellarunt, Lesbia: cede viris.

BARLAEI,

Ad Teſſelam, *cum fraga illi mitteret.*

TEſſela, fraga tibi mitto ſapidiſſima, ſed tu,
Teſſela, plus fragis ingenioſa ſapis.
Teſſela, fraga tibi mitto dulciſſima, ſed tu
Dulcior his fragis crederis eſſe mihi.
Teſſela, fraga tibi mitto fragrantia, ſed tu,
Teſſela, tot fragis ſuavior hoſpes oles.
Teſſela fraga tibi mitto plus mille, ſed inſons
Teſſela, pro fragis millibus una ſatìs.
Teſſela, ſi fragum fieres; tunc Teſſela poſſes
Proximior labris tangere noſtra tuis.
Teſſela, quæ mitto, ſunt fraga ſalubria, nam tu
Teſſela ſollicito ſola medela mihi es.
Teſſela, ſi fragum fieres, tunc Teſſela, poſſem
Tangere Teſſalicas, ſed ſine bile, genas.
Teſſela ſi fragum fieres; tunc optima poſſes
In ſuccum verti Teſſela tota meum.
Si tecum hoc fierem; tunc, quæ miracula! poſſes
Teſſela Barlæum ſapè vorare tuum.

Ad Teſſelam Viduam
de Viduo,
Vidui
πρὸς εὐλάβειαν προσφώνησις.

TEſſela, ne fragum fias; inſomnia vatum
Somnia naturæ diſſona monſtra puta.
Si meret & par grata pari vis reddere fragis,
Porrige Barlæo tu quoque fraga tuo;
Fragifero duo fraga refer, flagrantia fraga,
Queis fragor argutæ flagrat ab ore phraſis.
Porrige cautà tamen: gens inſidioſa Poëtæ eſt;
Si duo das, cave ne quatuor ille petat:
Denique pro quinto, cave ne flagrantior arte
Plus ultra. Quò Carolus quintus Marte tetendit, eat.

In

In nuptias cujusdam ab Arſen.

SIcut principio ſexûs utriusque Creator, *Mat. 19.*
Hìc individuè conjunxit θῆλυ ϗ ἄρσεν. 4.

Ad Olum cauſidicum.

QVod mala defenſas opulenti jura clientis,
Non eſt, Ole, Rei ſollicitudo, rei eſt.

Certamen equeſtre Cottæ *&* Mævii.

SI fortè curſu Cotta certet Mævio,
Se judicavit ipſe victorem fore.
Benè Cotta judicavit, ex Equo, & bono.

Dies mortualis Duciſſæ Bulioneæ, *vicinus natali* Mariæ Naſſaviæ.

AVriaci nuper deceſſit Filia[1]: quid tum? *[1] Sedani 3. Sept. 1642.*
Poſt biduum Auriaci Filia nata fuit[2]. *[2] Hagæ, 5. Sept. 1642.*

Auli Diata.

AVlus aquam bibit, elixæ ſunt prandia carnes.
Hujus ἄριστον, ὕδωρ, οἶνον; * ἄριστον, ὕδωρ. ** Prandium.*

Ad ER. PUTEANUM, *quærentem per epiſtolam an operæpretium faceret Elogia Imperatorum proſequendo.*

ANne operæ pretium facias in Cæſare multo,
Serius an ridens hoc, Puteane, rogas?
Ecce facis, divine ſenex, & non facis; illud
Omnia (ſic facis) in ſæcula vivet opus.
Sæcula quas laudes (ſic non facis) omnia dicent,
Non operæ pretium, non operantis erunt.

Boletum medicatum.

BOletum periens medicatum Claudius edit.
Deterius fungis eſt medicina malum.

In Laonicum hoſpitem.

PArcite Laonici convivæ velle vocari:
Laonicum fama eſt eſſe, nec eſſe domi.

Soliloquium amantis.

ILluſtriſſima noctium,
Quæ tot ſideribus meis
Intercedis amoribus,
Quæ tot ſideribus meis
Non accedis amoribus;
Quorſum tot nocuas meis
Immittis facibus faces,
Et jam diſſimilis tibi
Denatum ſimulas diem?
Quin me vel pluvio Jove,
Vel te, torva, benignior,
Quas magni metuant dii
Tempeſtatibus obrue.
Non hìc eſt oculis opus
Non tot ſideribus tuis,
Non eſt te, vaga Cynthia.
Implorantibus hanc facem
Luce difficili viâ:
Nec Seſtos mea tam procul,
Nec vaſto dirimor mari.
Sicco trajicitur pede
Quâ de perpetuâ Pharo
Invitant geminæ faces.
Quas tu per geminas faces,
Non tot ſideribus tuis
Illuſtriſſima noctium es.

Spleneticus æger.

SPlen ridere facit? Medici ſanate phreneſin
In Phyſicis & me, quem lachrymare facit.

Epita-

Epitaphium
MAURITII HUGENII,
Ordd. Conſ. à Secr. Fratris unici, incomparabilis.

Hìc jacet Hugeniis major de Fratribus: adſta,
  Quisquis es, & Patriæ fletibus adde tuos.
Hìc Pietas, hic ipſa Fides, hìc aurea morum
  Integritas, hic laus & lepor, Haga, tuus,
Hìc tacitè prudens doctrina, modeſtia, candor,
  Hìc ſine dente ſales, hìc ſine felle joci,
Hìc miſeri tutela, boni favor, omnis honeſti
  Delicium parvo pulvere tecta jacent.
Plura legas, qui pauca legis, niſi facta legenti
  Obſtaret lachrymis multa litura meis.

In ejusdem tumulum.

QVod nigra prætulerit candenti marmora ſaxo,
  Hanc habuit cauſam provida poſteritas:
Candorem Hugenii non marmora poſſe, quid autem
  Marmora? non ipſas poſſe referre nives.

Ad avarum, munus novum petentem, ſpreto (ſed accepto tamen) priori, quaſi infra ſe fuiſſet.

LAnea dona dedi, nunc poſcis linea: ſed jam
  Reddidit inviſum me mea lana tibi.
Sorduit ingrato de lana munus ovina,
  Et de caprina quæſtio mota fuit.
Da veniam, nec lanea nunc, nec linea mittam:
  Nolo tuam tanti perdere amicitiam.

Ad eundem.

LAnea diſplicuit merces, vis linea detur.
  Linea? polliceor. nempe Mathematicam. *Longitudinem latitudinis expertem.*

Epita-

Epitaphium extincti crapulâ.

NOn eſſe quod non eſſe fecerit multos,
Non eſt ſtupori; hoc eſſet, eſſe qui non eſt.
At me, viator, qui nec eſſe credebam
Non ſemper eſſe, fecit eſſe non eſſe.

In gratiam Poëtæ otioſi.

ESt de tribus mortalibus qui turbidum
Pernox fritillum laſſat: eſt cui rota
Verſatilis metri rotat mentem & manum:
Eſt qui ſoporis optimam ſortem ratus
Nec aleâ de nocte nec verſu furit.
Quis utrique prævalet? ferat ſententiam
Si quis nihil agit, otiatur, aut vacat,
Iſte otiatur, vacat hic, ille agit nihil.
PRÆSTAT OTIARI QUÀM NIHIL AGERE.

Studium diverſum.

INcendit varios homines diverſa voluptas;
Allia vos, alios Alea, nos alia.

De Servo malè commendato.

PErſpectæ fidei commendas, Pontice, ſervum;
Da veniam, fidei fidere nolo tuæ.
Illum ego perſpexi nebulonem, Pontice; poſſet,
Perſpectæ fidei ni foret, eſſe meus.

Pœna par, diſpar.

SI libeat; ſciolos verbis proſterno negantes;
Nugantes æquum eſt ſternere verberibus.

De vario lætitiæ publicæ apparatu
In vicinum AURIACAE *puerperium.*

TVrgent Auriacæ vicino viſcera partu:
Spes Batavis ridet magna minorque meis.
Vel pyrio Pagum quaſſabunt æra boatu,
Vel: pro re nata nempe triumphus erit.

Ad Tullium.

NOn ſufficit, quod promptus eſt puer, Tulli.
Diſcerne promptus an manu ſit, aǔ linguâ.
Eſt promptitudo noxia, eſt item frugi.
Multum intereſt quod dicis anne agat promptus,
An, promptus id quod egeris puer dicat.

Ad I. Vicofortum *Equ. ἄπουδου, nimio Melonum eſu ægrum.*

SIccine damnatas, avido rapiente palato,
  Sic proditrices gutturis eſſe dapes,
Sic placuit, Vicoforte, mali lethalia ſucci
  Indere debilibus ſemina viſceribus,
Non aliter quàm ſi prolem dare prompta petitam
  Frigida jam frigens ſemina poſcat ager?
O bone, ſi cautas fecere pericula fauces,
  Nec tua te contra eſt imperioſa gula,
Parce peregrinis animam laxare venenis,
  Appete de Patria candidiore cibos;
Atra quod edit edat genitrix Hiſpania; ſolos
  Expediat *Melos* paſcere Melonibus.

Adverſus contemptores Epigrammatum.

QVi quaſi rem nihili ſpernũt Epigrammata, tentent
  Quid ſiet hoc, toties claudere & incipere.

Ad Gallum ſuſpectæ nobilitatis.

QVi nec loco ſtas, Galle, nec linguâ ſoles
Conſtare, nec conſtas amore, nec fide;
Ignoſce, generis, Galle, ſi ignarus tui,
Vel ſponte, vel caſu ſolœciſmi reus,
De gente, dico, mobili es, non, nobili.

In I. CATSII *Equ. Holl. Synd.* *ψαμμεργίαν* *culturam Villæ in collibus arenariis.*

FErtilis ingenio fundi multiplice curâ
Fertilitas, labor eſt vel mediocris Heri.
Cogere ut ingenio ſterili ſabuleta vireſcant,
Cura ſuper vulgum fertilis ingenii.
Catſius hoc potuit. Reſpublica fas in arena
Conſilium tanto ſumat ab ingenio.

Ad Poëtaſtrum.

I*Lla ſuos*, cunctis apponis verſibus: ajo
Qui cunctis addunt verſibus illa, ſues.

Ænigma.

SOlvite Grammatici, quem vobis carmine duro
Quâ videor nodum nectere ſolvo manu:
Vrbs eſt Principibus nuper ſpoliata duobus,
Quæ periiſſe virum non queritur, SED ANUM.

Ad amicum ſecundas nuptias ſuadentem, cum erudita.

QVid me puellæ literis, linguis, libris,
Chartis onuſtæ deſtinas triſti jugo?
Ductam expedire virginem doctam mihi
Et inter autores recenſitam nego.
Si quæ ſecundam ſuſcitet viduo facem,
Non digna lectu, digna ſit lecto velim.

Cum TH. GRASVVINCKELIUS *Equ. librum de Majeſtate amiciſſimis verbis offerret.*

QVàm benè conveniant & in una ſede morentur
Majeſtas & amor, linguâ calamoque probavit
Qui Majeſtati comitem tulit Autor amorem.

Pro parricida, paradoxum.

UT quid ſupplicio dignum par gratia fecit,
Quando Pater natum *ſuſtulit*, ille Patrem?

Ad furem feſtinando turbantem, & ſe prodentem.

QVid properas ? propè eras. propè reş properes propè reſtim.
Sæpè propè errare es, qui properare pares.

In calceos aulicorum, pedis molem excedentes.

UNumquemque ſuo ſe metiri pede quondam;
Vnumquemq; ſuo nunc mentiri pede verum eſt.

---

cIↄ Iↄc XLIII.

Ad REGINAM M. Britanniæ *è gravi tempeſtate reducem.*

DIva Caledonio nimium jactata profundo,
Diſce quid hoc Cœli turbine Fata velint.
Debet amatque ſequi poſt nubila Phœbus. eaſdem
Crede Soli, Solii crede Salique vices.
Ut rota Naturæ eſt, inconcuſſo ordine rerum
Proxima ſunt lætis triſtia, fauſta malis.
Quantò ſpe gravior metus eſt, nox nubila ſudæ
Præſtat & immoto mota procella Mari.
Ecce, Deûm genitrix, ſumma de Numinis ira
Spondeo propenſos in tua fata Deos.
Quot ma'a nunc pateris, totidem terrâque mariquè
Omina vicinæ proſperitatis habes.

De I. Vander BURGH *Ordd. Agente Leodici.*

REs patrias agit. & patriis caret exul amicis :
Quæritur, an ſit Agens Burghius, an Patiens.

In Phyllidem.

IMplexi teneris macilentæ Phyllidos ulnis
Oſcula libatum venimus, oſſa dedit.

In obitum

G. VOSBERGII, *deſignati ad Venetos Legati.*

EXimium Patriæ raptum lugemus ephebum.
 Quæro, ſatis juſtus num ſiet iſte dolor?
Quem Veneto in terris legarat Patria Divo,
 Legatum Divis miſit ad aſtra Pater.
Quis locus eſt lachrymis? ad Patres nomine nuper
 Angelus, ad patrios Angelus ivit avos.

In VOSBERGII *Patris Conſtantiam exemplarem.*

SPem Patris & Patriæ, quem pro virtute vel annis
 Non eſt jure ſenem dicere, non juvenem,
Vidimus innumero pertuſum vulnere, mille
 Per tormenta, neci tradere mille neces.
Altera lugentis Patriæ ſpes, altera proles
 Ægra novas Patri nunciat exequias.
Qui tot flagra vides tot cladibus inconcuſſum
 Romano Belgam robore ferre ſenem,
Dic tibi, quod res eſt; non extat in Orbe Parentum
 Plus miſer hoc forti, fortior hoc miſero.

In annoſæ Virginis duos amantes mox à ſponſalibus mortuos.

SI quis anum ducit, credat ſe nubere morti:
 Nam vel anum nutu ducere velle, necat.

In Pſalmos Regios

ab Heroë GRASVVINCKELIO *Paraphraſi Heroïcâ verſos.*

QVi legis hæc, aliquis, modulis auguſta canoris
 Carmina, ſancta piæ juſſa Parentis ama.
Præſcripſit moriens victuro in ſæcula Nato
 Omnia victurum ſæcula Regis opus.
Solveret hoc individuo jejunia cantu;
 Sumeret hos primos ore vel aure cibos.

Non

Non ſtetit hic Nati pietas: ardentior illis
Imperiis doctè gratificata ſibi eſt.
Addidit ad ſacra verba chelyn: fide debitor ipſâ
Liberat obſtrictam, quâ valet arte, fidem.
Hinc grave, divinum ſtudio fallente laborem,
Sanctius hinc omni carmine crevit epos.
Ecce vicem Fati: Batavo præeunte diſertæ
Romano Solymæ diſcitis ore loqui.

In Gallam.

NEſcio quid vitii eſt, poſtquam me parciùs Olus
Laudat, & incepit dicere Galla probum.

Ad Aulum.

QVos ore præceps fundis, aut calamo rudes
Inconditosque ſæpe verſus evomis,
Incarminatæ præferunt lanæ pilos.
Niſi carminentur, Aule, non ſunt carmina.

Deprecatio.

QVod excipi Regina vult domi meæ,
Res ardua eſt quam poſcit: omni ſcilicet
Exceptione major eſt, ego minor.

In Gallum ægrum.

VIderit Hippocrates quo Gallum pulvere ſanet:
Gallus, homo nequam, non valet, atque valet.

Cæci effugium.

TErcentum petiit dono ſeſtertia pauper
A cæco ſibi vel mutua plura dari.
Unde habeam? retulit cæcus. Tu videris, ille.
Non petis, hic, niſi quod videro? polliceor.

In mortem Marchionis de Geſvre, *propugnaculi Theonvillani minis obruti.*

GEvrius, heroï ſtimulis compunctus honeſti,
Ad Luxemburgos victor iturus avos,
Poſt lethale datum Theônvillæ vulnus, honorâ
Cæde Theonvillæ funere tectus obit.
Quæritur indignè quem de radiante pyropo
Occupet illuſtrem nobilis urna locum:
Proſpexere Dii tumulum, victricia ſolus
Condere victorum debuit oſſa cinis.

In Hiſpanos Monaſterii conventum procurantes.

PAr hodiè Monachi, par eſt fortuna Monarchæ,
Improbus ad pacis vota recurrit Iber.
Deſperatio, quæ Monachos extrema timentes
Dura MonaſterI vota ſubire docet,
Cogit & Hiſpanos extremum quærere multâ
Deſperabundos clade Monaſterium.

Iudex.

UT laude judex major & probro ſiet,
Quod nummus, eſſe debet, aſper & probus.

In cippo Fratris tumulo à vidua impoſito.

HVnc tibi cum luctu lapidem fletuque perenni
Unice, ſupremum munus, Amice, dico.
O ſi fata velint, lachrymis exhauſta, ſtupore
Saxea, ſim lapidis, jam lapis ipſa loco!

Ad BARLAEUM, *cur Poëmata mea ipſum edere patiar.*

AVt vivam aut moriar, ſi fragilem fero
Securus pelago tradidero ratem.
Pro captu populi, pro genio fori,
Vates excipiat dente vel oſculo,

Nil

Nîl mirum, comitem te ancipitis viæ
Si, Barlæe, fero: cauſſa graviſſima eſt.
Tecum vivere amem, tecum obeam libens. *Horat.*

Amans.

NEc me Polla neci, nec Amor, ſed uterq; dederũt:
In medium venit & vênit uterque nefas.
Hæc oculis, hic non-oculis, hæc lædit inermis,
Hic telo, hic face me conficit, hæc facie.

Ad Tullium.

INique cenſor grammatum atque Epigrammatum,
Tulli, meorum, quæ rotunda & recta vis,
Et vis acuta; ſi vel hoc Superi velint,
Dic per Matheſin, oro, quî faciant, uti,
Quæ ſunt rotunda, acuta ſint & recta ſint?

---

cIↃ IↃCXLIV.

In effigiem nobilis Heroïnæ,

VTRICIAE OGLE,

τῆς μελιχωπέτης.

HOs oculos, illam cœleſti fornice frontem,
Hoc naſi decus, hoc oris, & haſce genas
Aſpicis, hoc ebur eximii tornatile colli,
Has Veneris, niveũ tuber utrumq; pilas?
Ne pete de tacito divinum gutture carmen,
Omne quod intuitu percipis, harmonia eſt.
Tanta ſimul ſumptis regnat concordia membris,
Nullus ut accedat Muſicus hiſce tonis.
Nec te falle tamen; nil vulgo dicimus: illud
Non omni temerè perſonat aure melos.

Is modò, qui Cœli harmonicos per inane rotatus,
Vel tacitam in terris audiet Utriciam.
Jam ſpectatores oculos ubicùmque exerce;
Auſcultatores hìc quoque, Lector, habe.

In natalem IACOBI van Campen, *Architecti præſtantiſsimi, qui eſt* 2. Feb. *ad amicum.*

CAmpius oppreſſi vindex ſub nube VitruvI
Inter, ain', Februas extulit ora faces?
Nil magis appoſitum eſt. edendus luce coruſcâ,
Qui lucem terris redderet, ille fuit,
Adde quod expurgaturo tot ſordibus ævum
Luſtrica decreta eſt & februata dies.

In effigiem meam, filiam unicam manu ducentis.

PRocul venuſtæ: ne quidem viduis vaco,
Ne dum puellis: occupata dextera eſt.

Ad Illuſtrem BREDERODIUM, *in nuptiis* SOPHIAE Filiæ *natu maximæ*
Cum
Barone CHRISTIANO à Dona.

INgenium, ingentes animi, ſplendoris aviti
Stemma, viro dignæ & Boruſſo milite voces,
Factus ad imperium vultus, captura Dionem
Lumina, trux lepor, acre decus ridentis ocelli,
Majeſtas & amor, calor & prudentia, forti
Melle joci, ſale condîtus ſine crimine ſermo;
Omnia concurrunt & in uno ſingula ephebo.
Illuſtris Batavûm ſanguis, Brederode, Deorum
Indigetum præclare nepos, agnoſce benigna
Fata tuæ, non hoc donum, dare DONA Sophiæ.

Malum Citreum dono miſſum Medico imperito.

NOn malè collati videor mihi muneris autor:
Medicum ego malum mitto malo Medico.

In

In ejusdem funus.

INgratos homines! obiit Medicaſter agyrta:
Quanta viro funus, quantula turba facit?
Hem, legio. nihil eſt: acies immenſa veniret,
Si tot humo meritum, quod dedit ipſe, darent.

In ſtatuam Veneris in horto meo tempeſtate ſubverſam.

RIdeo ad excuſſam, ſolio conſtante, Dionem;
Hæc animi, hæc ſi quæ eſt, ſortis imago meæ.
Nil mihi cum Venere eſt, alibì fera regnet Erinnys;
Hìc multo rerum turbine ſtrata jacet.

Pro Cotta, naturâ fure.

INvitis Dominis res contrectare alienas
Cogitur invitus Cotta, fugâ vacui.

In malos & clamoſos Muſicos.

IPſâ Alphabeti parte nobiliſſimâ,
Te, turba cantrix, laudo; &, omnis, inquio,
Vocalis iſta Muſica eſt, non Conſonans:
Liquida eſt? nec illud. ergo, quæſo, Muta ſit.

Furtum è naufragio.

LEmbus ut in Batavo periit modò littore, quidam
Dimidium fracti, qui benè cepit, habet.

Epitaphium IACOBI VALLENSIS *Med.*
&
MICHAELIS MIREVELDII *Pictoris,*
utriusque præſtantiſſimi, Delfis.

VAllenſi comes hìc dormit Mireveldius: horre
Belga, minùs fati ſic procul hora tui eſt.
Ambigitur Delfis, fas ſit mortalibus iſtos
Addere, an indigetes inter habere Deos.
Neſcio quid fuerint: homines feciſſe recordor
Hunc immortales, hunc vetuiſſe mori.

In natalem Principis LX^um: *qui fuit* XXIX. *Ian.*
cIↃ IↃc XLIV. *ad ipſum.*

IPſa ſalus Patriæ, Pater Unice, cujus ab ipſo
Natali toties naſcier ipſa ſolet.
Fas ſit ad hæc ſolus ſileam cunabula: non eſt
Dictio quæ ſenſus impleat ulla meos.
Qui ſexagenos ità quod numeraveris annos
Gaudeo, ut hos idem non numeraſſe velim.
Quid facias Vati ambiguo, qui, diſpare voto,
Quem cupiat fieri non velit eſſe ſenem?

In clepſydram.

VErto vitrum; verſæ redeunt ad munia ſtillæ:
Quisquis herì liquor hàc tranſiit, hìc hodiè eſt.
Dicite, queis ſummo jam deſcendentibus ævi
Colle parit primas ultima bruma nives,
Veſpillo non eſuriat, ſi fata ſenectæ
Clepſydram dederint vertere cuique ſuæ?

In Incendium, quo Hagæ Templi Aulici tectum conflagravit, Cal. Feb. cIↃ IↃc XLIV. *triduo poſt natalem Principis.*

AVriacis iterùm natalibus aſſecla, caro,
Dicimus, an charo fulgurat igne dies.
Excipit illuſtrem cum plauſu Patria caſum,
Et fabricæ tanti tantula damna putat:
Nec ſic damna quidem. quid enim? Laquearia Templo
Cœlitùs immiſſæ diripuere faces?
Ergo, quod injungit Pietas, jam vertice nudo
Stamus: id officii novimus eſſe ſacri.
Et ſacra ſub dio facientûm libera Cœlo
Vota ſuus fervor, lumen & aura vehent.

Audiet

Audiet Auriacis longos natalibus annos
Poſcentes demptâ ſic quaſi nube Deus.
O ego ſim vates; ô ut, ſine crimine noſtro,
Impediant Patriæ ſidera ſola preces!

In idem Incendium ad Pontificios exultantes.

ROma, quid exuſti lætaris fornice templi?
Tam tu ſæva tui non memor eſſe potes,
Quàmque tuas toties experta Eccleſia flammas
Pulchrior è flammis exiit uſque tuis?

In mortem capite truncati.

CErvice quidam curtus hic Gallus jacet,
Fiſco applicatis & ſubhaſtatis bonis.
Sera eſt amici quam velint opem dare:
Nec res nec ipſe Gallus eſt in integro.

Incendii nocturni primus horror.

NVnciat immanis nocturna incendia clamor,
Et metus incerti eſt major ubique loci.
Felicem, qui cui metuat non novit, egenum,
Quasque vorent flammæ non habet, inquis, opes.
O ſcelus, ô miſerum contrà, qui, pravus inopsque,
Nec ſe, nec ſine ſe quem miſeretur habet!

Epitaphium N. NUTIAE, *Matronæ ditiſſimæ & erga pauperes munificentiſſimæ.*

NVtia in hoc tumulo eſt; cui, ſi quid mortua ſentit,
Non dando vetulas credo dolere manus.
Ingentes habuit, ſed quas, ſe judice de ſe,
Si non donaſſet non habuiſſet opes.
Omnia ſic danti, cui ſe dedit illa, daturum
Omnia ne credas, crede dediſſe Deum.

Pro laude propria.

QVos genui laudare licet ſine crimine natos:
Quod genui, contrà, non licet, inquis, opus.
Quidquid id eſt; quod non genui laudare licebit.
Ergo vetas laudem me quoque? me genui?

Ad filios Palimpſeſto utentes.

DIſcite & hinc aliquid, dociles, mea cura, puelli:
Sicca palimpſeſti eſt pagina, non ſterilis.
Scribendi ſtudio aſſiduis incumbere curis
Vos nec tota quidem vox monet; ecce, πάλιν.

In Cenſorem nimis acrem.

FLammeus in cæcum, zelo turbatus, Apellam
Irruis: at lachrymis dignior ille fuit.
O bone, non ſervat, perdit præpoſtera fratrem
Cura; quod induras igne, liquetur aquâ.

In Cenſorem parùm candidum.

ACris amicorum cenſor, non curo quòd irâ
Candeſcas, modò ſi candidus eſſe potes.

Terra, Mare, Inſulæ.

PLana ſuperficies Terræ, Mons; Æquora, Vallis;
Inſula quid? Terræ gibbus in Oceano eſt.

Pro Sartore ſubitò divite.

DItior eſt Crœſo ſartor, quem vidimus Irum:
Miramur ſi rem fecit? acu tetigit.

Bellum Danicum.

HOlſatiam invadit retrograda Suecia; ſolo
Diviſum Imperium cum Jove Cæſar habet.

Terra

Terra uliginoſa Bataviæ, De Venen.

ADdimus hoc etiam ad patriæ miracula Terræ.
Eſt ubi corrodi patiens & viſcera nobis
Vulnus alit *venis* & cœco carpitur igni.

In FRIDER. SPANHEMII
facundiam extemporaneam.

EN quis ab ore viri torrens, quàm Tibridis inſtar,
Quàm de Romano fonte Latinus eat.
Non ex tempore, ne fallas; in tempus, in ævum
Dic, & in æternum dicere Spanhemium.

In Aulum ſecundò nuptum.

MIramur Aulum, fronte porrectâ diù
Lævique, vultu nunc obire tetrico?
Habere ſe dolet miſer quod non habet:
Habet ſecundas non ſecundas nuptias.

Pro Barone Couvrello, *captivo innocenti.*

QVisquis ut immemorem Patriæ & virtutis avitæ
Couvrellum ſceleris credis habere reum;
Falleris adſperſi pravâ ſpe criminis: omni
Fortius hoc pectus robore robur habet.
Murus aheneus eſt qui, ne palleſcere culpâ
Incluſum faciat turris ahena, facit.

Ad Lectorem meum.

QVi mala plura bonis legis hic Epigrammata, plus hic
Mole liber, dices, quam bonitate valet.
Pauca, nec inficior, bona do, mala plurima: paucos
Quippe bonos, multos novimus eſſe malos.
Si ſequitur fatum ſcriptor lectoris, ubique,
Omnibus ut placeat, non licet eſſe bono.

Senex.

NOn amo *præſenti* ſeniô perfectus: amabam:
Ille *imperfecti temporis* error erat.

Anna moribunda.

VIvit, & affirmant Medici non vivere poſſe.
Quod facit Anna, nequit; quod nequit Anna, facit.

In Mævium.

MÆvius ut verſum voluit vi claudere, verbum
Appoſuit quod non congruit. appoſitè.

Ad Poſthumum meticuloſum.

POſthume, ſi, rem cum cauſis cognoſcere, ſcire eſt,
Neſcio te fortem vulgus habere Virum.

In Dictionarium Latino-Gallicum.

ECce ſimul corpus veniunt & corporis umbra:
Phœbeæ partes lampadis autor agit.
Corpus, inoppreſſæ eſt virgo facundia Romæ,
Umbra, Latinorum Gallica barbaries.
Ergo vides, Lector, quid poma recentia diſtent
Putribus, è ramo pendula deciduis.

In RENATI CARTESII *Principia Philoſophiæ.*

NVllus erat toto Naturæ vultus in Orbe:
Improba formoſam larva tegebat anum.
Nativi pigmenta vicem fraudesque diſertæ
Implebant: unus gratia fucus erat.
Ut ſub nocte diem fruſtra, ſub nube nefanda
Quæreret Ixion-Orbis ubique Deam.
Perſonam capiti ſacræ generoſa parentis
Abſtulit Heroïs dextera Carteſii.
Jamque, Dionæos partus agitante Renato,
Prodit ab errorum Diva renata mari,

Osque

Osque humeroſque Deæ ſimilis ſtat nuda, novique
Floris & intactæ Virginis inſtar habet.
Sic meruit veri vindex audire novator,
Mome? novatorem fecit Ariſtotelem.

Mulieres apologæ.

EN ubi ſunt, ubi ſunt, infami crimine qui nos
Accuſare ſolent de levitate Viri?
Quàm ſuperent levitate leves, elementa loquentur.
Si levis eſt Mulier, pende, Vir eſt levior.

Molitor in hydromyla.

COgor aquam bibere; illud aquæ me cogit egeſtas;
Et, ſi dentur aquæ, vina repentè bibam.

Ad BALSACUM *cum Poëmatum libris.*

ILle ego qui numeris ſoleo gravis eſſe ſolutis,
Ecce traho duris verba ligata modis.
Vir facunde, vir ipſa tuæ Facundia gentis,
Excipe non duro ſupplicis ora genu.
Quem Batava toties in libertate tuliſti
Jam ſatis eſt vincti ſi miſerere mei.

Ad Poſthumum.

MIrus homo dici poſcis, quia nempe Poëta es.
Si non inſanis, Poſthume, mirus homo es.

Ad Aulum.

AVdire vis de nobili proſapia,
Non Civis, Aule; & nullus eſt qui diſputet,
Quid Civis autem? ne quidem civilis es.

Anglia.

BRitanniam laſciviæ
Culparier juſtè negas?
Tamen fateri cogeris
Quòd Inſula eſt, non continens.

CONSTANTINI HVGENII

EPIGRAMMATUM

LIB. VII.

HAGA VOCALIS.

In Patris

HAGAM VOCALEM.

ACcipe facundam, facundo interprete, Veſtam.
Iam nil quod taceat quà patet Orbis habet.
Linguæ jura labant, & primus Hugenius Orbem
Edocuit toto corpore poſſe loqui.
Nulla Domus, Via nulla ſilet, molesve vetuſtæ,
Horrida adorando ſaxa vetuſta ſitu.
Sæcula num timeat, vel edacia tempora Famæ,
Qui facit in laudes garrula ſaxa ſuas?

CONSTANTINUS HUGENIUS F.

Ad Ampliſſimos Hagæ Rectores.

VNanimes (non jam Pagi) magnæ Urbis Epoptæ;
Ordo decens patrii, prime, ſacerque ſoli;
Quorum perpetuis nova ſe, nova rurſus, & uſque
Grandior & curis debet & auſpiciis
Haga domus Divûm, ſeu quis mortalia, ſeu quis
Æſtimat æternas, numina noſtra, Deas;
Sumite non duri, veſtra de gente Poëtæ
Edita non duris verba Latina modis.
Quam fari doceo, docuit me Patria fari:
Debuit has illi patria Muſa vices.
Nec venit in partem veſtri ambitioſa laboris:
Veſtræ laudis erunt marmora, verba meæ.
Quis ſcit an extenſæ concedent fata ſonoræ,
Haga loquax melius vivet, an Haga ſilens?
Aucta, nec invideo, vobis auctoribus eſto,
Cœperit Hugenio dum præeunte loqui.

Ad vias ordine Alphabeti diſpoſitas,
Deprecatio.

MAgna minorq; Viæ, quarum ſibi quæq; ſuperſtes
Vivet ab elogiis garrula facta meis;
Si quibus hæc ſeries viſa eſt injuria, facti
Eſſe mei culpam ſcite, nec eſſe mei.
Turbarunt elementa vices, non Vatis iniqui
Somnia: Beta ſuum debuit Alpha ſequi.
Si ſic peccatum, ſi cui præpoſtera fraudi eſt
Litera, de Cadmo ſumite ſupplicium.

Haga.

Haga.

PAgus eram, ſed cura facit me Principis Urbem:
Quid? Comitis nunc, an Principis Haga vocer?
Quos habui Pagus, Comites abiere vetuſti;
Principis eſſe volo; non habeo comitem.

V I Æ.

Ambitus Aulæ poſticus major. Lang-Achterom.

ANticam de poſtica ſi plurima fecit
Me via, poſticam cur ſinit Haga vocent?
Deſpicit anguſtam? magìs eſt injuria: rerum
Quam facit anguſtam copia, larga via eſt.

Minor. Kort-Achterom.

QVid ſi parva ſolo? plenis ſum magna tabernis.
Magnus Alexander mole puſillus erat.
Deinde metu potior ſpes eſt; dum creſcere poſſunt
Parva, *brevi retrò* grandia ſorte ruunt.

Via Veſtalis. Bagijnen-Straet.

MVlta meum mulier, virgo, non virgo, receſſum
Incolit. ut nunc eſt, ante fuiſſe puta.
Nil detraxerunt mutatæ ſæcula: ſolo
Tunc quoque, quod nunc ſum, nomine ſancta fui.

Rivus. Beeck.

NAviget Anticyras qui te, pulcherrime Pagûm,
Corporis eximii ſchema referre neget.
Ecce tamen, vel in Anticyris te corporis ullum
Eximii, ſine me, ſchema referre negem:
Me ſine, (da veniam) ſine quo ſis, Haga, cadaver,
Quem ſolum vivi ſanguinis inſtar habes.

Via ſcoparia. Beſem-ſtraet.

MArmoreis alibi placeat ſibi ſplendida tectis:
Quod nitidè & frugi ſplendeat Haga, meũ eſt.
Indulgetur ibi malè ſanis ſumptibus: illâ
Vertitur, hac melius verritur arte ſolum.

Portus cereviſiarius. Bier-kaey.

FEſſe viator, ades: totâ hìc te prolue Bredâ:
Si vis, Roſtochium, ſi vacat, adde Bremam.
Nec te magnificæ ſatiet liquidiſſima lymphæ
Copia, plus coctæ flumina laudis habent.

Aula interior. Binnen-Hoff.

AVla, Venus, Mars, Mercurius, Lex, Curia, Fiſcus,
Omnia ſunt juris, ſacra, profana, mei.
Haga meus nihil eſt niſi circulus, hoſpes: at hìc te
In centro Batavi Fœderis eſſe puta.

Incile. Borgh-wall.

IVſte ſtupor mundi, quæ parvi nominis Hagæ *Amſtelodamum.*
Nomina ſplendoris credis inepta tui;
Me vide, & excellens dudùm ſine compare dicas,
Si non majorem, jam reperiſſe parem.

Sylva. Boſch.

QVadrupedes olim, bipedes nunc ægra trucido,
Fecerunt homines ferrea ſæcla lupos.
Facta voluptati, fœdis vitiata duellis
Langueo: dic an ſim depopulata feris.

Via Sylvæ nova. Boſch-kaede.

HActenus extenſi finem pomœria Pagi
Inveniant, iſto limite ſtare velit.
Stare negat? jam Fata feris, jam Numina Nymphis
Parcite. ſi foſſam tranſeo, Sylva perit.

Aula exterior. Buyten-hoff.

INteriore licet quòd ſim præſtantior Aulâ
 * Vitaull domino teſte, probare queam:
Quanta ſiem doceat verbum vetus: Exeat aulâ,
 Hoc eſt, hìc habitet, qui volet eſſe pius.

** Vide pag. 58.*

Via Caſuaria. Caſuaris-ſtraet.

A ſigno avis Caſuariæ ſub quo celebre olim Lupanar.

SEu peregrina bipes, ſeu caſu multa ſupino
 Nominis autor erat non peregrina bipes,
Tandem præcipuis par ſum pertuſa plateis,
 Deque viâ tantùm, pervia facta fui.
Tranſitus egreſſusque patet: quà turpiter hoſpes
 Hæſerat in media me, penetrare licet.
Tuta venis, procul hinc omni Sirene, juventus,
 Quàque perire ſoles capta, per-ire potes.
Credibile eſt, inquis; ſed, quod vix credere poſſis,
 Ipſa venuſtatem præſtat abacta Venus.

Pomœrium. De Cingel.

Quâ Rhedæ Aulicæ commeant.

ME primam quas de media vocat urbe frequentes
 Curia, me ſolam juſſit arare rotas.
Divinaverunt qui me voluere vocari
 Cingula, ſic tandem ſingula facta fui.

Via Gerania. Craen-ſtraet.

OMnipotens mihi magnificum dat machina nomē:
 Non accerſitis dotibus intumeo.
Vana ferè ſocias inflant momenta plateas:
 Nemo neget ſolis pondus ineſſe meis.

Via Danorum. Dene-wegh.

FAbula fert Boreæ gentem, quam nomine prodo,
 Hac Hagæ ſpolium deſeruiſſe viâ.
Quidquid id eſt, poſthac, petimus, ne, Numen amicū,
 Da nos inſanos hìc ſuperare Danos.

Via

Via temulenta. Droncken-mans-ſtraet.

EBrius illi ſermo fuit, mens ebria, ſolam
  Inter avos qui me ſtigmate proſtituit.
Ebria ſi dici merear quâ ſe ebria plebes
  Polluit, hoc toti convenit, Haga, tibi.

Foſſa Holoſerica. Fluweele Borgh-wall.

SErica ſit quæcumque ſuo ſibi ſerica luxu eſt;
  Hanc modò dum laudem non neget Haga mihi;
Quid valeam ſciviſſe patres, quibus omine raro
  Intus & in cute ὅλως ſerica dicta fui.

Angiportum Xenodochii. Gaſt-huys-ſteeghje.

UT ſileam quod quæ ridet latiſſima, perdit
  Semita, quâ Cœlum ſcanditur, arcta via eſt,
Quod Pietas timor eſt Domini & dilectio,* Templo *Anglicano.*
  Proxima pauperibus tecta dicata docent.

Via Noſocomii. S. Nicolas Gaſt-huys-ſtraet.

QValiscumque vocer, merui carnaria dici. *Inter*
  Utrâ plus videor ſanguinolenta manu? *macellum &*
Utrâ ſtare putas horrendum parte macellum, *Xenodo-*
  Hoſpes? ab hac lanio regnat, ab hac Medicus. *chium.*

Sabuletum, Via pauperum. Geeſt.

EVge, mei cives, dum ſpiritus hos regit artus,
  Spiritus hos animos qui regit Aſtra regat.
Nec pigeat quod egena ſumus contemptaq; plebes;
  * Ingenioſa ſumus; vivitur ingenio. * Gee-ſtigh.

Via adorea. Gort-ſtraet.

PAr ſociis & mercipotens quàm maxima quæque,
  Plus eſt quo ſociis anteferenda feror.
Inſpice natalem; debetur adorea, dices,
  Hìc ubi adoratum nomina fecit ador.

Foſſa. Gracht.

* MArmora me anguſtam faciunt & nuncia famæ
Saxa. vide per quæ ſtrata, viator, eas.
Quantus hic eſt ſplendor quas exhibet Haga viarum,
Quarum quæ viſa eſt infima, marmorea eſt!

** Statuariorum.*

Forum herbarium. Groen-merckt.

ESto, meæ poſſint aliarum cedere doti;
Nulli perpetuo Vere virentis honor.
Hìc acuunt frùſtra ſenium vel edacia dentem
Sæcula: quotidiè floreo fronde novâ.

Angiportus macellarius à foro in Aulam. Hal-ſteegh.

NIl mediocre crepabo; Propontidos, Helleſponti,
Cimmeriæ, Thracum faucis imago mea eſt.
Hoſpes, in Eüripo es; ſed quo diſcrimine præſtem,
Ipſe puta, hic homines evomit, alter aquas.

Via Sylveſtris ſive lignea, brevior. Korte Hout-ſtraet.

ME quoque præclaras inter venerare plateas,
Quamvis fortè brevi de trabe curta ferar.
En * ego quam tribuis videor meruiſſe coronam:
Una bonum finis pulchra coronat opus.

** Appendix majoris viæ.*

Latus orientale Anterioris Sylvæ. Hout-Zijde.

MAgna minorque meo clauduntur limite Sylvæ.
Hìc ubi ſe vexet tota Matheſis habet.
Ambitus & centrum fit idem. ſi diſputat, ecce
Cogitur extremum dicere quod medium eſt.

Media eſt via inter anteriorem & majorem Sylvã.

* * * * * *

INnumeris aliæ jactent ſua compita tectis,
Quod ſtupeant magìs hìc civis & hoſpes habent:
Una * domus, paries uni quam nectit * equili,
Abſolvit, quâ non amplior una, viam.

** Hugenii.*

Iani

Iani Henrici via. Ian Henricks-ſtraet.

SAt ſit ab HENRICO nomen deducere: Ianum
Neſcio; ni clauſum ſignificare velis.
Scilicet huc adigens veſtigia Pacis & Æqui
Et Cœli, Henrico & me duce, carpis iter.

Verſus Curiam & Templum.

Foſſa magnatum. Heere-Gracht.

O Quibus illuſtrem reſero ſubeuntibus Hagam,
Diſcite, quis ſit hic & quantus, ab ungue, Leo.
Cujus ad extremũ dominis via ſplendida pontem eſt,
Plures quam Dominos vix habet Haga domos.

Ab oriẽte intrantibus.

Via ponticuli. Heul-ſtraet.

POnticulus quo clauſa fui, cui debeo nomen,
Deſiit, ad laudem nominis, eſſe, mei.
Nobile id eſt hodiè, quamvis ignobile, cujus
Eſt in propatulo ſplendor, origo latet.

Sub quo Rivus commeat, ſtrato plateæ tectus.

Via Scortaria. Hoere-pad.

CVr Sylvæ parti nomenclatura pudenda eſt,
Hìc ubi tot latebras fas habet atque nefas?
Pro toto partem, totum pro parte docemur
Sumere: an hìc aliquid fortè Synecdochici eſt?
Credo. ſed iſta meæ certè non æqua figuræ eſt,
Si ſit curva mali ſemita, recta boni.

Via Nov'-alta. Hooge-niew-ſtraed.

QVi vitio poſtica mihi centum oſtia vertis,
Accipe quà ſociis anteferenda ferar.
Ut ſileam quæ ſit grandis præſtantia gibbi,
Quod, quæ dimidii eſt Orbis imago, mea eſt;
Hoc loquor: hàc Batavûm ſplendet Reſpublica mecũ,
Quod ſupra veteres alta ſit, & nova ſit.

Via ſublimis. Hoogh-ſtraet.

ALta, potens, merui tecum, Reſpublica, dici,
Alta ſitu, tectis ardua, merce potens:
Sed qui fortè meo jactabitur advena fluctu,
Non ſecus atque alto cymba voluta mari,
Alta mari, dicet, meliùs collata, vocaris,
Quam toties pleno ſidere Luna replet.

Die Lunæ Mercatorio.

Via Sylveſtris, olim reſtiarium. Hout-ſtraet.

SI talem videat, qui talem reſtio vidit,
Feſtinet propriâ claudere reſte diem.
Ille ferat vivus rerum incrementa mearum,
Ille ferat retrò ſemper iiſſe ſuas?

Eadem in planitiem hodiè exporrecta.

ECce quod in terris neſcivit tota Matheſis;
Linea naſcebar, vivo ſuperficies.

Via nobilis Idæ. Ioffrou-Iden-ſtraer.

ARbitrium nudis ſi quæ dedit Ida deabus,
Gaudeat hoc etiam nomine juncta mihi.
Vici tibi Venus; hìc Veneres. Ne fallere verò
Tu, Pari; veſtitas hæc dabit Ida deas.

Forum Vitularium. Kalver-marckt.

QVi mihi das teneros vitio, malè ſane, boatus,
Corrige te, & quanti laus ſiet iſta vide,
Una quòd innumeras inter clariſſima ſolos
Subticet *ad vitulos* cantio ſacra meos.

Pſal. 51. unde plecti dicũtur monachi à miſerere ad Vitulos.

Cœmeterium. Kerck-hoff.

PArcite de veſtro pinguem contemnere fundum,
Putria nũc utero quamlibet oſſa tegam.
Si quis ad extremum ducet ſua fata tribunal,
Inveniet ſtantem quo jacet Haga loco.

* *Via Catenaria.* Ketting-ſtraet.

QVi Venerem ſectaris, amans, adverte quid ipſo
 Ad Venerem ductrix nomine præcipiam. ** Aditus ad viam Veneris.*
Invenies Venerem; ſed, quæ reſipiſcere cogat,
 Proxima ſtultitiæ eſt, crede, catena tuæ.

Agger acanthinus. Kneuter-dijck.

HOc nihili eſt, quod quæ patior via lata vocari,
 Quovis Ædili judice vicus eram.
Hoc pluris, quod in Orbe omni portumque laremq;
 Quæ daret exactis * Regibus una fui. ** Bohemia.*
Ergo quod excedens dixit Cornelia Leſbo,
 Vel dic, vel debes, Eliſabetha, mihi.

Via Veteramentaria. Lapp-ſtraet.

CVlta tepensque frequente foco malè Lappia dicor.
 Quamlibet ad Brumam, Lappia, verſa tuam.
Hæc domitas Arctos exarmatosque Triones, *Claud.*
 Hæc Borean, Lappæ, ſtrata nivesque necant.

Via ſuffarranea, ubi olim reſtiarii. Lorre-ſteegh.

PEccavi? punita fui, me vindice. tanti eſt
 Tornatæ fraudis lora ſubîſſe locum.
Cautior ad frugem rediit meus incola. dicam
 Omnia? fecerunt me mea lora probam.

Foſſa Templi Lutherani. Lutherſche-Kerck-gracht.

NOn nihili eſt quòd flexa feror, ſed ſimplice gyro,
 Totum Serpentem tu, Tiberine, refers.
Romæ curva via eſt, tantùm ſubcurva Lutheri:
 Ambigis an rectæ proxima ſit potior?

Forum pediculare ſive ſcrutarium. Luyſe-marckt.

MVltipedem heroëm noſtrũ ne deſpice, præ quo
 Nuper, & heu nimio, quadrupede, Haga, tumes.
Quem cui prætuleris, non eſt res dicere multùm
 Ardua: pauperiem hic invenit, ille facit.

Forum Nundinarium. Merckt.

QVidquid agant ſociæ, tot menſam ſola Lucullis
 Inſtruo, tot grandes impleo aqualiculos;
Ut, ſi quis turbam videas, quæſiveris, hoſpes,
 Quis tot ſufficiens expleat ora cibus.
Pondera ſi rerum, molem, numerumque, exclames,
 Quæ tantos valeat perdere turba cibos!
Sed magè poſt epulum clama, quod veſpere ſero
 Mille mei revehant fercula mille coqui.

Via molaria. Mole-ſtraet.

QVas adii quondam procul abſunt limite priſco
 Ipſâ protruſæ proſperitate Molæ.
Da veniam Civis: tua te pomœria fallunt;
 Mendacem Cereri grandior Haga facit.

Via Talparia. Moll-ſtraet.

MOllior eſt mihi dura ſilex, quàm mollior olim
 In mea perpetuò quadrupes exta furens.
O qui me rigidis armaſti provide ſaxis,
 Sic tua cum talpis molliter oſſa cubent.

Angiportum Luſciniæ. Nachtegaels-paedjen.

Quæ hìc prima ante paucos annos audita.

TOt mea donavit Batavis Philomela nepotes,
 Ut multo vilis ſanguine facta parens
Laude ſibi raucos videat vix cedere corvos.
 Sic vos non vobis nidificatis aves.

Via

Via nova. Niew-ſtraet.

NOn fugio te, Prætor; habes quo nomine grates
Auctori referas ſæpe ſuperque meo.
Diſcere juſtitiam monitum & non temnere leges
Civibus Haganis nuntia miſſa fui. *A Curiâ in Auſtrū porrecta.*

Eadem.

CVm nova, prima fui, cujus de divite centro
Ivit in Auſtrales linea prima plagas.
Nunc nova ſum toties, ut jure noviſſima dicar.
Credis? anum juvenem ſumma ſenecta facit.

Via nobilis. Nobel-ſtraet.

CLara ſitu, formâ, titulo, natalibus adſto;
Elige quâ, livor, carpere parte velis.
Excuſa ſolas, quibus olim indigna vacavi,
Hugenii cunas; omnia magna vides.
Stemmata ne nomen dederint, dedit hercle nomiſma
Nobile: & hinc pretii pars fit, olere roſam. Rooſen-nobel.

Via nobilis brevior. Korte Nobel-ſtraet.

CUrta vocor, ſed longa ſiem, ſi quilibet Hagæ
Incola ſit curtâ nobilitate meus.

Via Borealis. Het Noord-eind.

PRincipibus placuiſſe viris, laus infima; ſumma eſt,
Solis principibus non placuiſſe viris. *Vbi Palatium Principis.*
Auriacis, ſummâ major: ſed maxima multò,
Eſſe peregrinis * Regibus hoſpitio. **Galliæ, Angliæ, Bohemiæ.*
Laude ſient ſociæ patior quâcumque ſuperbæ:
Vnica de multis Regia recta via eſt.

Eadem.

FLuxa fides fluvio eſt; qui quæris iter Mare verſùm
Non amnem in Batavis, me cape, habes comitem.

O 5 *Forum*

Forum Boarium. De Oſſe-merckt.

NIl meruere Boves, animal ſine fraude. quid autē
Sigula, ſi facit hos carnificina reos?
Quadrupedes certè quàm non moriantur inulti,
Oſſibus hìc bipedum proxima ſaxa docent.

Suburra. Het Pad-mos.

PArs potior toto eſt. ſi fons Venus una venuſti,
Tota venuſtati ſubjacet Haga meæ.
Ergo quid? indigno compellor nomine Pathmos:
Dicta domus Venerum debuit eſſe Paphos.

Via Sacerdotis. Pape-ſtraet.

NOn ego Presbyteris, ne te cognomine fallam,
Non ego ſum Papæ ſtrata, Cuculle, tuo.
Veſtra joco, Patres, proavis, non lata, vocabar;
Veſtra, quibus Papæ, ſed via lata, placet.

Area. De Plaets.

NOn licet in pagis Hagam cenſere, nec inter
Oppida: quod medium eſt, dicitur Haga Locus.
Haga quod eſt ego ſum. quin, ſi contendimur, hoſpes,
Pars Hagæ dubites dicar, an Haga mei.
Tu decîde nihil: quantùm, dic æquus utrique,
Crevit hic è loculis, crevit & ille locus!

Via Plantaria. Pooten.

QVi de non hominum pedibus mihi, quisquis avorum es,
Fortuîtâ nomen ſorte pedeſtre dabas,
Excuſes hodiè culpam, ſi videris autor
Tot mea quadrupedum frangere ſaxa pedes.

Eadem.

Eadem.

IN fatis fuit, è plantâ mihi creſcere nomen,
Seu foret herbarum, ſeu foret illa * pedum.

Quibus frequentiſsimè teritur.

Plantaria obliqua. Kromme Pooten.

PArcite me curvam probris inceſſere; non eſt
Nomenclaturæ vilis origo meæ.
Hìc Aquila, hic ſerpens Epidaurius icone curvâ
Vivit, hic obliquis greſſibus, illa * pede.

* *Pede curvo.* Krommepoot.

Foſſa Principis. Prince-Gracht.

MOſa fave. quod florenti fuit Oſtia Romæ,
Ad tua pertingens oſtia portus ero.
Tædet arenoſos Hagam perrepere colles:
Illa diù nimium ſedula, pigra gula eſt.
Ergo, novis ſi quid veri eſt in Vatibus, olim
† Foſſa bonis (avibus?) piſcibus acta ferar.

† *In Moſam & Mare uſque porrigenda.*

‡ *Area Principis.* Prince-Pleyn.

ELige an objicias tiliam an Palatia nobis,
Et numeroſa quidem vel nemoroſa veni:
O nec Hyla melior laſſorum fabula Vatum,
* SYLVA, vide, dudum * PRIMA, ſecunda mihi es.

‡ *Duplici ordine Tiliarũ ſepta.*

* Voorhout.

Eadem in crucem ſtrata.

CVjus inexpletæ violarunt viſcera talpæ,
Imperium terræ ſancte decuſſis habes.
O plus præteritis ſapientia ſæcula! Patreis
Scivit in hoc ſigno vincere poſteritas.

Eadem ubi domus Amſterodamenſis.

OMitto ſociis quâ præſto laude, quod ingens
Includi pateris, Amſterodama mihi,
Glorior hàc potius, ſuperans memorabilis ipſos
* Oſtendæ titulos: Area magna Ducum.

* *Quæ Grotio Area parva Ducum.*

Via fulcraria. Raem-ſtraet.

NOn pudet aridulis ortum quod debeo ramis,
Cedere me veterem dum fateare *novæ,
Quantùm ligna novis concedunt arida ramis,
Arboribus rami, Ramus Ariſtoteli.

* *Pulcherrimis ædificiis inſtructa.*

Via lima. Scheel-Hol.

INſani dixere ſpecum, ſpeculantibus Hagam
Quæ primo ſpeculam præſto ſub introitu.
Altera pars laudi eſt. etenim novus, Advena, mundus
Haga fit. & fit me nota *Strabone* novo.

Strabo Belgis Scheel.

Foſſa Sparganaria. Schetel-doecks-Haven.

NEc riſum, nec probra fero. ſi fœteo, præſtò eſt
Publica nutricum quæ lavet unda manus.
Si vel deficiant lymphæ, nec purior ulla eſt
Prima meis Regum faſcia, nec melior.

Via Scholaris. School-ſtraet.

Vbi olim Schola Latina.

DIlige quisq; Scholam juvenilibus impiger annis:
Grande tui pretium meta laboris erit.
Otia quam duro ſuccedant lauta labori
Indice me diſces: hìc ſchola facta χολή.

Portus. Speuy.

SIve quòd hoc ἀποδύδει mercator & advena vico,
Sive, quòd hac nimiæ fauce ſpuuntur aquæ,
Quod ſum dicta ſiem, videant queîs vane character
Et levis à verbo gloria parta places.
Hoc mihi; pertæſum Pelagi, clariſſime morum
Arbiter, in Portu te voluiſſe mori.

In freto viximus moriamur in portu. Senec.

Via

Via epilimenos. Speuy-ſtraet.

SI quà diſpliceo, commune, Lutetia, tecum eſt;
Si placeo, par eſt laudibus illa tuis.
*Sordeo, quòd placeo, & tecum; quæ ſordida non eſt,
Sordet, ego, niſi ſim ſordida, diſpliceam.

** Pedibus rotisque frequentisſima.*

Angiportum Stabularium. Stal-ſteegh.

SVſpice me; qui ſcis homini quid beſtia cedat.
Tanta ego ſum , quantùm eſt inter equum ac equitem.

Via inter Stabulum & Hippodromũ Principis.

Via fœtida. Stinck ſteegh.

DEſine poſticas vitio mihi vertere ſordes,
Quæ mihi conferri, virgo ſuperba, doles.
Si tibi non dicunt quàm ſis injuria nares;
Conſule candidulas quæque puella nates.

Via epipyrgos. Toorn-ſtraet.

ME duce non errat ſubiturus culmina quorum
Haganus pridem ſidera lambit apex.
Cede viâ quæcumque via es quâ repitur: iſthac,
Iſthac, mortales, itur ad aſtra viâ.

Forum ceſpitarium. Torf-merckt.

NOn hoc , cæca , capis , quæ ſceptra ligonibus æquas,
Quæque ligone mihi quæ gero ſceptra dabas.
Ceſpite * vivebam vivo, mox cæſa ‡ profundo
Vulnere, non vivo ceſpite vivo magis.

** Olim ager paſcuus.*
‡ Ingenti foſſâ, quâ naves vehuntur.

Portus novus. Veer-kaey.

DEerat adhuc centum ſtatio bene fida carinis.
Hoc ego (re prius an nomine ?) facta fui.
Aſpice, re quondam, nunc par cognomine ſolo,
Vix nova te videor, Vera vetuſta, minor.

Oppidũ Zeland.

Forum

Via Veneris. Venus-ſtraet.

Quaſi Veen-ſtraet.

ESte procul, qui ſuppreſſo mihi nominis ortu
De vili Batavûm ceſpite vile datis.
Ecce quot & quoties habitor calcorque puellis,
Et non jam Veneris dicite, ſed Venerum.

Eadem.

UT vegetanda ſuis paſcuntur viſcera venis,
Omnivorum paſcit plurima vena Forum.
Hiſce bonis, his de melioribus optima venis,
Jure meo venæ nomen adepta fui.

Forum porcarium. Verckens-merckt.

TAm non eximii tædet me nominis, ut me
Tædeat unius vix ſatìs eſſe meum.
Si videas quæ noſtra cadunt in tempora ſordes,
Omne forum porcos educat, omne ſues.

Forum Piſcarium. Viſ-merckt.

HUc ades, huc Hagæ ſapienti turba palato,
Hìc infenſa bonis Piſcibus eſto frequens.
Nempe pedem fruſtra Sceverino colle fatiges:
Hic procul à ſalſo littore littus habes.

Via Flandrorum. Vlamingh-ſtraet.

QVando erit illa dies quo ſe pertæſa Tyranni
Belgica cognatis reddet amicitiis?
Flander amans Batavûm ſolo cognomine Frater,
Nunc ego; ſi dextram junxeris, Haga tua eſt.

Prima ſive Anterior Sylva. Voor-hout.

PAſſa meis modicum tiliis illudere Vatem
E duplici ſimplex ordine Stoa fui;
Paſſa vel Hugenium. Poſtquam quincunce ſtupendo
Impleor, & ſylvam ſpiſſior umbra refert,
Laus levis in vitio eſt: olim ſatìs uncia fecit,
Quincunces numeros multiplicata peto.

Eadem.

Eadem.

ME quoque Naſſavii ducunt in ſæcla ligones :
Perpetui, quando non ero, Sylva Ducis ?

Arborib. auctiorem procurante Principe.

Eadem.

HAgæ delicium, cantatæ frondis amictu,
Sæpe Poëtarum laurea, ſemper amor,
Nobilis &, non hàc deliri, στοᾶ cuculli,
Rara diù priſco Sylva decore ſteti,
Et placui ſimplex Batavis? ſi digna videri
Naſſaviis vellem, ter triplicanda fui.
Hinc ſpatiis multo nuper quincunce repletis,
Spiſſior æſtivos arceo tota canes.
Quid non Auriaco metuant victore Brabanti,
Gloria cui *Sylvæ* non ſatis una fuit ?

Stagnum ſive Vivarium. Vijver.

QVi noſtram, pueri, Tiliæ ſpectatis ab umbra,
Diſcite perſpicuæ quid valeamus aquæ.
Si quod agũt homines vapor eſt, & fumus, & umbra,
Ambiguum eſt potior res ſit an umbra rei.

Idem.

PRoxime mons, exſculpte mihi, mihi, qualis Adamo Vijverbergh.
Coſta viri mulier; quantus es, Eva mea es.
Tu mihi Cæſareo laceraſti viſcera partu,
Viſaque ſum patulo vulnere tota mori.
Sed vixi lacerata magìs ; bis læſa revixi,
Læta bis; en, liquidas conſulat hoſpes aquas.
Inveniet ſudo duplicem Jove, vivere lævi
Fronte, levique ipſam fronde ſuperficiem.
Diſce, nepos Batavûm, quàm non rationis egebat,
Qui me defunctam VIVERE dixit avus.

Collis vivarii. Vyver-bergh.

GArrula gens ſi me nondum cecinere Poëtæ,
Crede, mei mutos reddidit ipſe ſtupor.
Ipſe adeò vix expediam quâ parte diſerti,
Quâ primâ, quâ me poſteriore canant.
Quidquid in hanc certè magni quis dixeris Hagam,
Poſcere te dotes plura fatere meas.
Scilicet, unda propè eſt. oculos ſi Fata dediſſent,
Narciſſum jubeat me mea forma ſequi.

Vbi olim Scopi ſagittariorum.

Ripa Stagni. Vijver-Kaey.

PRiſtina me telis impendit & arcubus ætas:
Poſtera magnificam fecit amatque viam.
Illa mihi ſemper malè collimaſſe videtur:
Hæc ſemel & verum ſic tetigiſſe ſcopum.

Via curruum. VVagen-ſtraet.

SI domito redeat, rhedâ ſublimis, Ibero,
Prima triumphantem feſta reduco Ducem,
Hoſtica ſi quærat, victrici claſſe tremendus,
Littora, quærenda eſt Oſtia ponte meo.
Hinc Patriæ, hinc Pagi favor eſt: hàc ambior Orbi:
Prima peregrino ſyrmate pompa mea eſt.

Mœnia arboribus conſita. VVall-Cingel.

IGnari per aprica pedem qui mænia fertis,
Diſcite ut his ſubitò venerit umbra locis.
Ut Phaëtontæas fertur fraterna ſorores
Perpetuis virides cingere buſta comis;
Hìc etiam in Morinos nuper producta minantes
Plurima perpetuis frondibus haſta viret.

Vivarium. VVarande.

QVæ quadrupes multo quondã mihi fecerat antro,
Incola ſanâſti vulnera multe bipes.
Plaudat quisque ſuæ; mea non ingloria laus eſt,
Hìc habitare homines, hìc habitâſſe feras.

Sylva latus ad Auſtrum. VVegh ten zuyden het Boſch.

EXeat è Sylva, nimiâ quem noxia quercu
Umbra monet puri Solis aprica ſequi.
Annus inaudito brevis eſt diſcrimine: diſtat
Frigus ab æſtivo Sidere ponticulo. *Quo Sylva foſſa ſternitur.*

Via occidentalis. VVeſt-einde.

OCcidis, occidisque diem me teſte, * perennis ** Sol.*
Ambulo, me metam teſte laboris adis.
Credimus hoc vani: ſed enim te meta ruentem
Non tenet, occiduum nulla moratur iter.
Hac partim te parte ſequor: non me mola, non me
Occiduo, ut viſum eſt, limite foſſa ſtitit.
Infinita feror: tecum, Sol, Carole, tecum
Perpetuâ *Vlterius* proſperitate ruo.
Occidui fontes, ſi non occurritis, ibo weſter-beeck.
Obviam, & in veſtris tota lavabor aquis.
Vos decet Heſperio tandem confundere Bæti,
Tam longas Hagæ Principis eſſe manus.

Via Zulenia. Zuylen-ſtraet. *Vbi Gymnaſiũ Latinũ.*

SAcra *novem dominis privatum poſtfero, quisquis
Hos dederit mecum perpetuandus agros. **Muſis.*
‡ Pila ſtylusque dedit nomen; placet omen utroque ‡ Zuyl, *Belgis Colũna.*
Nomine: ego Patriæ fulcra ſtylosque dabo.

ÆDIFICIA.

Baliſtarium. Affuyt-huys.

TRuncus iners fuſi ſine me jacet hydra metalli;
Os aliunde, duos hinc habet illa pedes.
Hoc decies æris pretium eſt, quod maſſa ſuperbi
Æris obæratam ſe ſciat eſſe mihi.

Theatrum Anatomicum. Anatomie. Ontleed-Camer.

MItte probro Civi ſuſpendia vertere noſtro:
Omne malum finis pulchra coronat opus.
Cæſareum ſit ſtando mori: generoſior ille eſt
Cæſare, qui ſua poſt funera ſtare poteſt.

Senatus Brabanticus. Brabandſche Raed-Camer.

QVi vetus ignorat verbum, πλέον ἥμισυ παντὸς,
Ille mei cenſor non ſatis æquus erit.
Impero littoribus Moſæque Marique Brabantis.
Fortè nec hæc tota eſt fimbria veſte minor.
Si minor eſt; vivus Pater eſt cui debeo partem,
Qui totum dabit eſt Filius Auriacus.

Sacellum aulicum. Capelle van 't Hoff.

Vbi Concio Gallica habetur.

TEmpora mutantur: fuit olim Belgica Gallo-
Belgica, nunc bello Gallica facta fuit.
Hinc ego, Chriſticolis doctè vernacula Gallis,
Principibus pateo ſancta magiſtra viris.
Nec talis mihi plaudo tamen: laus altera præſtat;
Rarior eſt quâ me dote tumere decet.
Toto ſum pretioſa ſolo, ſum nobilis ipſo
Pulvere, ſum Batavis oſſibus & Bavaris.
Quam cinis & manes animant, quam pulvis honorat,
Quam faciunt umbræ vivere, non moriar.

Tumulis Alberti & Iacobæ Bavaræ &c. Comitum Hollandiæ.

Templum

Templum Cœnobiale. Clooſter-Kerck.

A Jove principium feci, cum Numine quondam
Propenſo ſacris fabrica ſacra fui.
Bella profanarunt bellam, ſortemque nefandam,
De bella Bello bellica facta, tuli.
Florentis Bello Patriæ ſucceſſibus aucta
Bella iterum Bello & Belgica facta fui.
Diſcite mortales à me; de fine beato
Spem non ambiguam, qui bene cœpit, habet.

Quod in officinam Tormentariam verſum, denuò ſacris dicatum fuit.

Hortus ſagittarius Arcus lignei. Hand-boogh-Doelen.

QVæſitum eſt quis, Apollo meis tyronibus autor,
An magè formandis utilis eſſet Amor?
Cæce ſagittator, fatuis dominare Cithæris:
Plus mihi, Phœbæâ qui ſapit arte, ſapit.

Hortus ſagittarius Arcus chalybei. Voet-boogh-Doelen.

E Loquar, an ſileam ſi cui natura noverca eſt
Artifices inter nomen habere meos?
Eloquar. Hìc virtus vitium eſt: accurrite luſci;
Plus videt hìc oculus, quàm videant oculi.

Ædes Sclopetaria nova. Nieuwe Doel-Huys.

NEmo mihi luxum ſæcli vel inutile marmor
Opprobrio juſtè verterit aut vitio.
Naſſaviâ fundata manu confinia Cœlo,
Quidquid agat Livor, non malè recta levo.
Dicat, an exemplo factum ſit moris inepti,
Splendida magnificas arma docere Scholas.

Gyrgathus. Dol-huys.

QVisquis ad hæc caſu divertis clauſtra viator,
Sic ſanum fatuos crede monere meos:
An dolus an dolor, an fatum nos hiſce latebris
Clauſerit, & ſerò quæritur & temerè.

Claudimur, hoc ſatis eſt. ſatis eſt? nimis eſſe fatemur,
Quodque ſumus, ſolum fecerit eſſe nimis.
Hoc age, ut hìc faciant aliena pericula cautum,
Si quis Amans nimis es, ſive Poëta nimis.

Templum Anglicanum. Engelſche-Kerck.

O Mea ſi tanto conſtaret fornice moles,
Quantùm te Cœli, Terra Britanna, tegit!
His ego te verbis, mater miſeranda, vocarem,
His te participem coner habere mei:
Glŏriam in excelſis Domino, mortalibus ægris
In terra PACEM prædico: tota veni.

Senatus Hollandiæ. Gecommitteerde-Raed-Camer.

TOta quod aſſiduis indormit Patria curis,
Tuta quod officiis creditur eſſe meis,
Jam ſatìs hoc, quò vel ſociarum cedere nulli,
Vel ſocias poſſim ſpernere, laudis habet.
Nec ſocias ſic ſperno tamen; facit altera major
Gloria, quod cunctis anteferenda ferar.
Patria conveniens venit ad mea juſſa vocantis;
Sæpe quod unita eſt imputet illa mihi.
Publica res Batavûm, ſi fers, fero ponderet æquus
Arbiter, an major juſſa jubente fiet.

Camera rationum Generalium. Generaliteits Reken-kamer.

QVanti conſtiterit Libertas, hìc lege; quanti
Conſtet adhuc, mea te Bibliotheca docet.
Scrutatus quantùm bello conſumpſimus auri,
Aurea ſim magis an ferrea vix ſtatues.

Carcer in Porta Aulæ. Gevanghen-Poort.

QVà mea ferali meritò vicina cataſtæ
Proſpicit infamem rara feneſtra crucem,
Credite me vobis quod Cœlum dicere, Cives,
Solis Porta malis claudor, aperta bonis.

Offici-

Officina tormentaria. Geſchut-Huys.

SI nocua eſt noſtro tellus tremebunda labori,
Neſcio quid meritam territat augurii.
Nam, quoties dantem reputo Salmonea pœnas,
Ceu Jovis irati fulmine tacta tremo.

Graphiarium & Apotheca litium. Griffie ènde Fourneer-Camer van Holland.

NE nos poſtica poſitas in parte PalatI
Deſpice; habes quod & hìc, Civis & Hoſpes, ames.
Si Batavi conviva venis ad fercula Juris,
Iſta tui penus eſt, illa Culina fori.

Templum Parochiale majus. Groote Kerck.

VElleris aurati fumos & inane trophæum,
Vix pretii partem glorior eſſe mei.
Velleris argenteî famam, partosque triumphos,
Poſt Veſalam, de te, Sylva ſuperba Ducum,
Ornamenta puto, quæ, poſt præconia veri,
Plurime ſpectatum Civis & hoſpes eas.
Si ſpectando dolent oculi, lumbique ſedendo,
Solâ mille tubis aure vacare licet.
Mille tubis portenta loquor mirabilis anni.
Organum Ariſtotelis, crede, minus logicum eſt.

Vbi inſignia celebratæ ſolemnitatis aurei Velleris, Item Organa Muſica ſplendidi operis, cum inſcriptione hiſtorica triumphalis anni 1629.

Suprema Curia. Hoogen Raed.

NE dubita quam me appelles: appellor ab omni
Judice; ſic quæ ſim quantaque noſſe potes.
Summa, puta, ſum ſummarum. quid ſumma? reperta eſt
Nequities laudi nuper iniqua meæ.
Creditur hìc etiam Jus ſummum injuria victis
Summa: quod eſt nuſquam ſponte tribunal emunt.

Reviſores.

Hei mihi, quàm donis diſtant inventa creatis,
Quàm ſe pejorem ſê facit omnis homo!
Quàm bona victores docuit Natura videre,
Tam malus eſt victos qui *revidere* docet.

Ad eandem abſtruſo loco ſitam.

QVod mediæ paſſim proſtant, tu Curia tantùm
Neſcio quâ poſt te parte ſuprema lates:
Illa quidem par eſt cœleſti gloria: Cœli
Infera ſpectantur quæque, ſuprema latent.

Aula. Hoff.

NOn ego quæ mea ſunt jacto Capitolia, non vos,
Marmora, non triplici proxima ſacra Foro.
Hoſpitis immenſi dium, dium caput, audi
Veſper, Eos audi, terror utrique, tego.
Hàc tumeo; hàc ſi non tumeo verboſa, fatendum eſt,
Laudibus eloquium ſuccubuiſſe meis.

Domus Aſſendelſica. Huys van Aſſendelft.

PRiſca domus, meliore novo molimine facta
Grandior, & certè pulchrior & melior,
(Nobilior nequii) ſociis concedo puellis,
Ut me nulla modò pulchrior extet anus.

Domus Barneveldia. Huys van Barnevelt.

LÆtitiam vultu, nondum ſubeunte ſenectâ,
Prodo; latet memori clauſa ruina ſinu.
Diſcite non oculis nimiùm, non credere ſorti:
Quam quis adhuc rectam ſtare putas, cecidi.

Domus Brederodia. Huys van Brederode.

MVtavi dominos, ſemper melioribus uſa
Grandior, & rurſum grandior auſpiciis.
Tandem ſum Brederoda. quid hoc? quòd nempe ſit omnis
In Batavis & ſit nulla ſecunda mihi.

Domus

Domus Culemburgica. Huys van Culemburgh.

QValis ab occulto ſaliens Arethuſa meatu
Clarior attritis ſurgere fertur aquis,
Talem de tumulo videas, Albane, nitentem,
Talem poſt cineres me rediiſſe meos.
Huc, mecum vim paſſa veni, Bruxella; docebit
Haga Culemburgam non periiſſe domum.

Vbi Domus Culemburgica ab Albano funditùs deleta.

Domus Naſſavia, Com. Mauricii Braſiliæ Præfecti.

Huys van Naſſau.

SIve ſitum ſpectas, & quæ mihi fonte perenni
Lambit honoratos nobilis unda pedes,
Sive quod Americæ ſpoliis ornata decenter
Indico ut ingentes arte regantur opes;
Splendeo: quin ipſos Vates docet iſta venuſtas,
Fabula quàm non ſit jam, Venus orta Mari.

Domus Fr. Sommelsdicii. Huys van Sommelsdijck.

Viri eloquentiſſimi.

AVdiat Haga loquax, quando poſt Saxa Viasque
Et me dicendi fas ſit habere vices;
Si facit ad formam fabricæ facundia fabri,
Formoſas inter debeo prima loqui.

Camera Feudalis Hollandiæ. De Leen-Camer.

CLauſa malis, non clauſa bonis, pro crimine cuique,
Pro virtute, fidem ſolvo, fidem teneo.
Eſte probi & fortes, Batavi; nec proximus hæres
Agnati, niſi me dante, vaſallus erit.

Templum Lutheranum. Lutherſche Kerck.

INvide, dicendum eſt, paries, quid amantibus obſtas,
Hei mihi, quæ verbis quinque diremta fui!

Ecce tamen me tangentem confinia veri,
Me malè contemptam quâ ratione colas:
Quisquis ab extrema curſum Babylone Genevam
Inſtituit, per me tranſeat; hàc iter eſt.

Gerontocomium. Oude mannen-huys.

TAndem, Roma, tuam per me dediſce Tyrannin:
Eſt quod amat ſenium ferre, juventa negat.
Claude ſenes, ut ego. Radius per opaca refractus
Fortior eſt: ardet flamma coacta magis.
Claude ſenes. ubicumque piæ licet eſſe juventæ.
Tolle vagam Venerem & vina, facis Monachos.

Cœnaculum Principis. 's Princen Eet-Sael.

TEmpus edax rerum me ſuccurrente domatur;
Mitiùs in Proceres me ſubeunte furit.
Diſce quid interſit me ſtare, Batavia; paſco,
Qui te perpetuâ proſperitate, Ducem.

Palatium Principis, viâ Boreali. 's Princen-Hoff in 't Noord-einde.

Non interruptâ fabricâ dùm hìc Regina M. Britanniæ diverteret.

MAjeſtas & Amor ſimul hìc & ſæpe morati
Tertium in hac ipſa ſede tulere fabrum.
Qualis ero perfecta, putas, quæ, marmore crudo
Imperfecta, fui Regibus apta domus?

Culina Principis. 's Princen Keucken.

QVisquis homo eſt, immundities ne ſpernat opimas;
Haſce meo in laudes adſtruo jure meas.
Quod feci, non quod facio reputa; nec iniquus
Quis quod edas edat diſpice, ſed quid edas.
Noſcite vos, jubeo, molles; & quærite, quæ vos
Coxit, an ex nitidis fortè culina fiet.

Armamentarium privatum Principis. 's Princen Magazin.

NOn eſt quòd Patriæ munito unius ab armis
Auriaco toties victus, Ibere, tremas.
Privatū hic penus eſt:per quæ arma domeſtica ſervo,
Auſtriaca Auriacam diſce timere domum.

Hippodromus Principis. 's Princen Picqueer-Schuer.

NEſcio quà præſtes titulis, Academia, noſtris:
Pace tuâ, ſimili ſorte ſuperba color.
Erudiunt pullos moroſi doctor uterque,
Quadrupedes hic equos, hic bipedes aſinos.
Ergo, pace tuâ, quanto diſcrimine vincam,
Circulus hìc, illic linea ducta docent.

Concilium domeſticum Principis. 's Princen Raed-Camer.

QVæritur ingratè, quid agam ; nec verba meretur
Quæſtio: ſic nutu ſolvier illa poteſt.
Curatoris eget, qui ſe cum ſanguine divo
Et patrias pro te, Patria, ſpernit opes.

Grapheium Principis. 's Princen Secretarije.

NAſſovidûm imperii noſtris arcana latere
Viſceribus, novit Patria, novit Iber.
Ambigit alteruter quâ nos regione requirat?
Quærito piſtrinum Junii & Hugenii.

Cubiculum Principis. 's Princen Slaep-Camer.

DOrmi Patria; non dormit, qui fortè timenti
Molliter hoc viſus membra fovere thoro.
Crede mihi, quoties Fredericum ponere ſomno
Creditus, hac toties in ſtatione ſtetit.

Equile Principis. 's Princen Stall.

NOn eſt quam gracili quisquam moduleris avenâ
Quæ tot quadrupedes nutrit avena meos.
Eliget è multis quo ſe per Ibera cruentum
Eripiat quondam vulnera ſoſpes Herus.
Mox amplexe Ducem reducem, digniſſima, dices
Una dies fuit his ſumptibus, unus equus.

Hortus Principis Mauritii δίκυκλος.

's Princen Huys-thuyn.

QVid ni Mauritius geminos calcaverit orbes?
Orbis Alexandro non ſatìs unus erat.

Curia Provincialis Hollandiæ.

De Provinciale Raed-Camer.

Olim Holland. Comitũ Cubiculum.

QVæ Comitum vixi lectis inſtructa, labori
Splendida ſum comitum nunc quoque lecta domus.
Prudentes legum comites hoc Patria juſſit
Patria ab antiquo dicere jura thoro.
Plus patribus Patres ſapiunt: ubi vana cubantes
Luſerunt Comites ſomnia, nunc vigilant.

Concilium ſtatus Belg. Raed van State.

QVi ſtatus Imperii fuit inde ab origine partæ
Libertatis, hic eſt, hic erit uſque meus.
Mutatis faciem, ſociæ: conſtantia noſtra eſt:
Nec præclara ſuo pondere cauſa caret.
Hìc Patriam ejurant Patres, hìc patria lex eſt,
Ut Patriæ proſis, non meminiſſe tuæ.

Camera rationum Hollandiæ.

Reken-Camer van Holland.

QVàm bene proſpexit florentibus inclyta rebus
Quæ mihi Fiſcales Patria credit opes!
Hìc regit, hìc regitur, ſine quâ Natura vacillet,
Quâ ſine, quisquis homo eſt, beſtia ſit: Ratio.

Auditorium Iuridicum Hollandiæ. De Rolle.

DEntibus hìc olim, labiis, linguâ atque palato
Res fuit Hollando publica geſta Duci.
Succeſſere Patrum ſapientia labra palatis:
Rem linguis iterum, non ſine dente, gero.
Nec rota Fortunæ eſt; patrii Rota Juris & æqui eſt,
Celſior antiquo quâ mihi natus honor.
Nam Fatis placuit, ſolis ubi jura dabantur
Principibus, populo nunc quoque Jura dari.

Olim Comitum Hollandiæ Cœnaculũ.

Accipitur aliquando Ius pro liquore eorum quæ coquuntur. ſicuti enim jus ſummum bonum continet, ſic humor ille bonus coctarum rerum maximam continet bonitatem & ſaporem. Paulus de Citadinis de Iure Patronat. Parte 1. ad fin. n. 47.

Atrium Hollandicum. Sale.

QVod grave compactis, quos neſcit aranea, tignis
Audaci nixum fornice durat opus;
Quod ferris confundo libros, quod publica jura
Miſceo privatis mercibus, arma togæ;
Incola ſis, ſive advena ſis, cuicumque ſtuporum
Ille fuit de me maximus; adde novum.
Adde quod hìc quidam ſilicernius ambulat hoſpes
Dedecori ſubter fixa trophæa ſuo.
Ingens prodigium! qui non eſt ullibi, in hac eſt,
Hac ſolâ mundi parte modeſtus Iber.

E ligno Hybernico.

Vexilla militaria hoſtib. erepta.

Cata-

Cataſta. Schavot.

SI volupe eſt placuiſſe bonis, ſi gloria multis,
O multi mea laus, ô, mea turba, boni;
Quanti non hoc eſt, quantùm ſtetit Haga ſtetique
Solis me ſolam diſplicuiſſe malis.

Prætorium Hagienſe. Stadt-Huys.

QVod fuit Urbs Orbi, quod ſunt Capitolia Romę,
Hoc ego ſum civi, nobilis Haga, tuo.
Impero; nil ſupra eſt. veniunt ad juſſa vocantis
Juſtitiæ quanta & quantulacumque domus.
Ius dicendo. Quod mirere, die claro ſum lumine clauſo;
Somno nec valeo, nec volo nocte frui.
Dum hic Civis vigilat. Quod ſtupeas, quantùm videas me cumque tenebris
Sollicitam, cœco lumine plus vigilo.

Concilium Ord. Confœd. Belgii.

Staten Generael-Camer.

OPpida ſint rivi, ſeptem ſint flumina Gentes;
Me Mediterraneî gurgitis inſtar habent.
Vinea ſint Belgæ, ſint Pagi grana, vel Urbes,
Sint acini Populus quisque, racemus ego.
Dicet Ariſtoteles, quanto præſtantior exſtem
Tot ſociis: quanto nempe Genus Specie.
Quid moror in minimis? Hìc cum ſeptemplice telo
Concordi Patriam vindicat ungue Leo.
Quid faculis ornare diem, quid lampade Stellas,
Quid Solem verbis attinet? hìc Patria eſt.

Falconarium Principis. Valck-huys.

AMphibium civem, Cives, ne ſpernite: tanti eſt,
Caninâ ibi nutriuntur falcones. Si Cœlo nequeam paſcere, poſſe Solo.
Non volo vel volo: tum bipedes, mea præda, cavete,
Quando volo; quando non volo, quadrupedes.

Libra

Libra. VVaghe.

UNumquemque ſuo ſe metiri pede rectum eſt:
Unumquemque ſuo pondere, non patior.
Si ſtudeant levitate graves peccare Batavi,
Publica, ne fraus ſit libera, libra veto.

Orphanotrophium. VVees-huys.

NVbite ſecuri de poſteritate bonorum,
Inſtructi ſolâ poſteritate boni.
Pro loculis erit iſte locus: pietate meorum
Hìc ubi ſit proles orba, nec orba, datur.
Ite, Patres, quo Fata vacant, Matresque: Parentis
Una loco miſeris & Parientis ero.

Domus mea.

OS medium, os ſublime; ſua ſub fronte patentes
Hinc intervallo compare, & hinc oculos;
Tempora; Naſum; Aures; Humeris & Pectore nata,
Pectore, ut eſt domini, Brachia candidulo;
Oſſa nitore ſuo; tectas cute duplice coſtas,
Conjuga ſub Coſtis viſcera, ventre cavo,
Exhibet una domus: quin, ſi non fallitur autor,
Ridet ad intuitus blandior, Haga, tuos.
Da veniam infanti; mox ut provectior annis,
Quæ tacet in cunis, pauca loquatur, homo eſt.

Non poteſt ædes ulla ſine Symmetria atq́ proportione rationem habere compoſitionis, niſi uti ad hominis bene figurati membrorum habeat exactam rationem. Ergo, ſi ita natura compoſuit corpus hominis; uti proportionibus membra ad ſummam figurationem ejus reſpondeant: cum cauſa conſtituiſſe videntur antiqui, ut etiam in operum perfectionibus ſingulorum membrorum ad univerſam figuræ ſpeciem habeant commenſûs exactionem. Vitruv. lib. 3. c. 1.

De Ea-

De eadem.

QVicumque Civis, Hoſpes, Incola, Accola,
Longæ, viator, aut malæ ſatur viæ es;
Adi libenter hanc domum: Jam nunc homo,
Humanitatem pollicetur advenis.

DEFESSUS SUM AMBULANDO. ——
PERREPTAVI USQVE OMNE OPPIDUM, AD PORTAM, AD LACUM,
QUÒ NON? —— ——
—— NUNC VERÒ DOMI
CERTUM OBSIDERE EST. *Terent.*

CON-

CONSTANTINI HVGENII

EPIGRAMMATUM

LIB. VIII.

TRICÆ MORALES.

Ad

CONSTANTINUM HUGENIUM,

maximum natu Filium.

TRade manum, benè nate puer, quē paſſibus æquis
Nolo ſequi, fateor poſſe præire Patrem.
In nova fert animus tecum ſpatiarier arva;
In ſteriles hæc te dextera ducet agros,
De facie ſteriles: ſed quos in viſcera eunti
Prægnantes variâ fertilitate dabo.
Teſta, nuces, apinæ, Tricæ moralia dicent
Verba. Cave parvi dona paterna putes.
Hoc doceo, quidquid calcaveris ùt roſa fiat,
Vt ſeges è lolio prodeat, ampla ſeges.
Hoc doceo, dilecte, velut facundia ſurdis
Muta ſit, attentis omnia muta loqui.

TRICÆ MORALES.

Atramentum.

PRo genio ſcribentis habet ſe litera: nigrum,
Quidquid homo nequam vel nive ſcribat, erit.
Mutetur perſona: ſtilo ſcriptoris honeſti,
Quantùmvis nigra ſit ſepia candor ineſt.

Idem.

NOn latet in nucleis tantùm ſapientia: rerum,
Crede, quod erudiat voce putamen habet.
Eſt atramento quod ſæclis tradat? ab atra
Mente memor ſibi ſit docta cavere manus.

Calamus.

PEnna, characterum genitrix, multùmque diuque
Tinnula dum durat ſepia, ſicca ſilet.
Quid fugis hoc tu quod neſcis neſcire videri?
Garrule, ſi non eſt unde loquare, tace.

Scalpellum.

CVltelli nimium eſſe poteſt & mentis acumen.
Ecce levi nimius labe retuſus apex.
Proxima ſubtili ſtupor ac dementia: magno
Tutius ingenium, cui mediocre, datum eſt.

Pulvis ſcriptorius.

VAne vir, æterni ſi quam tibi nominis umbram
Literulas credis conciliâſſe tuas;
Altera dum ſicco manus eſt in pulvere, quondam
Sic mea, ſic & me, dic tibi, terra teget.

Charta.

VIrgine quid primum ſcribas adverte papyro:
Ut tua delêris menda, litura manet.
Vel ſenio purgante malæ peccata juventæ
Rellinquunt aliquam prima venena notam.

Pulpitum.

NOn ſatìs eſt oculis acclives pulpita libros
Admoveant: proni luminis uſus ope eſt.
Nil agitur doctore bono facilique, labori
Ni ſimul incumbat prona juventa ſuo.

Menſæ ſtragulum.

EXcute quas animi minimùm ſordeſcere partes
Suſpectas; vitio pervia quæque ſuo eſt.
Nempe forìs auroque gravem byſſoque tapetem
Excute, jam gravior pulvere ſubtus erit.

Patina argentea.

PVrpura ſis totus, niſi ſis virtute modeſtâ,
Artibus, eloquio ſplendidior, nihili es.
Aurea ſit patina, aut quidvis; mihi plumbea maſſa eſt,
Nî non quod videam det modò, ſed quod edam.

Scutella.

COnvivæ; laus eſt epuli & menſura, cupido.
Quidquid agas, ſapiet hoc prout ille ſapit.
Si quis avaritiam ſequitur, ſcutulæ ſunt lances;
Si quod Naturæ ſufficit, hæc epulum eſt.

Orbis menſarius.

HAſce gulas, hæc monſtra vides ad fercula? pleno
Ventre fatigato dente, vorant oculis.
Hos honor aut virtus tangat, quibus omnia menſæ,
Omnia ſunt lances, Orbis in orbiculo eſt?

Menſa.

ELige, mille premant fumantem fercula menſam,
An totidem mâlis ut gemat illa libris.
Hoc refert, cibus hic levis, hic æternus habetur,
Hic animæ loculos, hic ἀφεδρῶνα replet.

Scamnum.

UTilis es domui quadrupesq; tripesq; ſupellex
Quæ plus quàm geminas non capis una nates.
Utilis & felix quâ (ſi quâ) Fata dederunt
Concordes hodiè ſede ſedere duos.

Clavi-

Clavicymbalum.

HOs ego cum video ſervos ex ordine fratres
Vi toties, non vi ſæpe ſalire ſuâ,
Aulice, te celſum ſubitò, ſubitòque cadentem
Ad nutum video, ſæpe furentis, heri.

Idem.

TOlle; loqui ſentis animantes cymbala ſpinas,
Tolle manum, lapſi nempe repentè tacent.
Vix aliquis ſimul eſſe valet miſer atque diſertus,
Vix fato quis non garrulus eſſe bono.

Idem.

CAndida ſunt plenis aptata manubria phthongis,
Atra minùs latos nata movere tonos.
Ut ſibi noſtrarum conſtet ſymphonia rerum,
Blanda malis Fatum temperat, alba nigris.

Forceps.

DElectat ſplendore foci præſentia: tentas
Tangere neglectâ forcipe? noxa propè eſt.
Attendant juvenes. urunt pulcherrima. virtus
Armet amatoris ferrea utramque manum.

Fulcra focaria.

NOn ſatìs hoc uri eſt: adhibes quæ comptiùs uſta
Non incompoſitè ligna perire ſinant.
Eſt modus, eſt ordo, eſt moriendi gratia: cura,
Cujus in exitium eſt ire, decenter eas.

Columnæ focariæ.

EStgenus in terris hominum, quod quale vocari
Fas ſit, hypocritico de Telamone cape.
Ardorem ſimulant, ſuggeſto proximi: at illis
Intima, utut caleant exteriora, tepent.

Cineres.

PEnde quod exuſtũ eſt;non eſt grave ſcire quid uſto
Exierit; vapor hic relliquus, ille cinis.
Acta viri ſi vis expendere, pende cadaver;
Hoc cinis eſt: ſi quid cætera, fumus erant.

Pruna è ceſpite.

ASpicis ut, ſplendore novo mutatus & idem,
Ardeat exutâ deſide ceſpes humo.
Sic mortalis homo, indutus cœleſtia , totus
Fulgor erit, totus gloria, totus amor.

Eadem.

IGnibus exuſtâ turpi nigredine, ridens,
Nobile & illuſtre eſt terrea maſſa lutum.
Ipſe quod accenſo candens in ceſpite ſplendor,
Ipſe ſub humano pectore candor agit.

Pruna lignea. adverſus ſecundas nuptias.

ARſimus. addendum eſt, exarſimus. Ite ſecundæ:
Non capiunt flammas ligna peruſta novas.
Proxima erunt Mors & Cineres. ſervabitis ergo
Quæque ſuas, Titio, Pruna, Favilla, vices.

Tapetes.

ASpice quàm fuco ſimulandi nobilis Aula
Aulicum in Aulæis exhibet ingenium.
Quæ vix ejicitur, veſtitur aranea: quemque
Deſperet laterem poſſe lavare, tegit.

Αφεδρών.

TVrpia ſunt quæ clam facimus, nec turpia: turpe,
Quo duce Naturâ cogimur, eſſe nequit.
Gens perverſa ! palàm facimus quæ turpia ſunt, quæ
Nec duce Naturâ cogimur; omne malum.

Porta.

POrta, quod os, domui eſt: imum ſuperũq; labellum
Limen utrumque. vide, quiſque, quid introeat.
Eſt quæ per portam venit, eſt quæ prodit ab ore
Mat. 15. 11. Spurcities: dominum hæc polluit, iſta domum.

Speculum.

PErſpicua, ut vitrum, Ratio eſt, Prudentia per quam
Tranſpicit. Argenti lamina ponè vitrum eſt?
Nil niſi te ſpectas. Rationi oppone metallum,
Te tua & oppoſiti turbat imago lucri.

Idem

Idem.

NObile commentum, glacies compacta calore,
Hoc in præcipuis utilitatis habet;
Si nec homo teſtis, nec te Deus, improbe, terret,
Ut ſit ubi poſſit te puduiſſe tui.

Lectus.

QVàmlibet hoc avium volupe eſt incũbere plumis,
Mollior eſt animo lectus & utilior.
Se ſibi ſubſternat ſapiens: pulvinar, amici,
Quisque ſua faciat de levitate ſibi.

Horologium.

INdicat horarum patulus momenta character.
Vana, quid ætatem diſſimulare ſtudes?
Non quæro, quotà ſit. cani rugæque loquuntur:
Fronte horologia eſt quæque puella ſui.

Horologium penſile.

NIl contemne: quibus pariles regis arbiter horas,
Ad mores aliquod pondera pondus habent.
Sic affectatâ potìs eſt gravitate labores,
Sic potìs eſt nimiâ ſis gravitate nocens.

Horologium portatile.

SÆpe ſuis horam cœnandi perdidit horis,
Cui ſua præ vulgi machina tenſa placet.
Tutior in rebus modicis eſt publicus error.
Eſt ubi deſipias cum populo, & ſapias.

Forfex.

SÆpe magìs quid, ubi, quis, quando, in rebus agẽdis,
Sæpe minus refert quàm, quibus auxiliis.
Omnia ſi quadrent, non quadrant omnibus: herbam
Falce ſeca, telam forfice, fuſte nucem.

Malleus.

HVjus durities nihili eſt, niſi duplicet ictum
Impigra & intenſis viribus acta manus.
Ingenii fruſtra vigor eſt, niſi duplicat illum
Improbus & natus ferra domare labor.

Clavis.

VIncimus ingeniis omnes, non omnibus, artes.
Non omni eſt omnes clave movere feras.
Quin, ſi quis penetrare vagus cupis omnia lector,
Aſpice ut unius vix ſit inire duas.

Lychnus in Candelabro argenteo.

FLammula pars Cœli eſt, pars Terræ læve metallũ:
Splendet & hoc radiis, & micat illa ſuis.
O qui cæcus es ad cœleſtia, reſpice quantùm
Terrenus diſtet fulgor ab æthereo.

Hypocauſtum muliebre.

QVid ſequimur quas ſupplet opes induſtria? præſtat
Unica de parvo ceſpite pruna focum.
Si ſapiat, facile eſt inopi non aſſis egere;
Et, ſi non ſapiat, dives egere poteſt.

Digitale muliebre.

VIrgo, cui virgo dedit hanc velut ægida Pallas,
Eſt ubi quid pejùs pungere poſſit acu.
Dum digiti ſervantur, opus tutricibus armis
Hinc oculis, illinc auribus eſſe puta.

Calceus.

ECquis erit finis nugarum? Calceus iſte
Cornua nunc, lunam cras vel acumen habet.
Finem quæris? ama.veri veſtigia. vis nec
Fallere, nec falli poſſe? Deum ſequere.

Teleſcopium.

QVod procul eſt, propè fit: mirabilis iſte, ſed alter
Eſt uſu potior nobiliore tubus.
Tu Teleſcopium mentis, Prudentia, tu, quæ
Sunt procul & nondum nata, propinqua facis.

Perſpicillum.

AMpliat objectum glacies pellucida. ſplendor
Aulicus hoc rebus, quod facit illa, facit.
Libera ab hoc oculos tranſpectu; *deme tumultum*
Senec. *Rebus*, habes grandes exiguasque pares.

Idem.

Idem.

COncordis radii, quantò per denſa refractus
Preſſior, è denſo fortior exit apex.
Unanimis Patriæ virtus per opaca malorum
Robore refracto ſeptuplicata fuit.

Acus.

DEſtruis hanc telam quâ conſuis arte, puella,
Ni bona ducentem fila ſequantur acum.
Sicut acus, vitium res eſt ſubtilis: acuto
Introitu, à tergo noxia fila trahit.

Eadem.

NOn lacerat niſi quò ſanet pertuſa, docetque,
Quod, niſi deſpicias, diſcere proſit, Acus.
Perfer, ut irati, ſed amantis vulnera Cœli;
Pungit, at ut punctum ſarciat illa manus.

Follis.

SIc ſolet; intendunt rerum contraria vires
Oppoſitæ, venti frigore flamma micat.
Quæ rerum Zephyris Pietas algere ſecundis,
Fortunæ Boreâ flante calere ſolet.

Pallium.

PEgaſe, non pluit; & ſudũ eſt. quid onuſt⁹ amictu es?
Hunc gravitas, inquis, publica ferre jubet.
Quàm levis es, qui, quò gravior videaris, oportet
Tute tibi adſcitâ ſis gravitate gravis!

Periſcelis.

PRime periſcelidis dignus ſis laude repertor:
Quisquis es, id noſtra liber es invidiâ.
Si formanda novo detur mihi faſcia ritu,
Illa periglottis vel pericheiron erit.

Enſis.

SIt Sapiens vagina ſibi, quâ ſupprimat iram:
Nec tamen huic tutò cinxeris enſe latus.
Ambigis? ecce, Deo pacis præſente, nec ipſa,
Ipſa ſatìs Petri dextera cauta fuit.

Idem.

AGricolæ nôrunt falcem deponere factâ
Meſſe; quid à pugna cingier enſe libet?
Non illis riſum moveat, quod plebis, & imæ
Plebis erat, Ferri bajula Nobilitas?

Idem, auratus.

SIc ſunt ſæcla: ſcelus capulo tenus abdimus. intus
Ferrea ſunt, quæ ſunt aurea ferra foris.
Splendeat hæc ætas, non eſt ſimul aurea: Ferrum
Tota ſapit, niſi quid durius eſſe poteſt.

Pugio.

VErbere vel verbo vexaſti fortè Poëtam?
ArmamentarI tela nec una time.
Ode eſt quod gladius, Carmen quod longior enſis,
Pugio Epigramma eſt: elige quo pereas.

Matula.

PRave puer Bacchi; qui te non poſſe bibendi,
Quem querimur nos non velle tenere modum:
Sicci te calices nequeant aut pocula? certè
Admoneat toties plena matella tui.

Ovum.

NOn ovum ſimile eſt ovo; ne fallere; nec fit
Arte quidem quo nil planius eſſe poteſt.
Ecce, tibi quid homulle places? augetur ab ipſa
Naturæ noſter ſimplicitate pudor.

Idem.

NEſcio num numeris; formâ Deus impare gaudet.
Non placuit vultum vultibus eſſe parem.
Ovo diſſimile eſt ovum. magis illud ab ovo
Sic potuiſſe ſtupes, an voluiſſe Deum?

Malum Medicum.

DEſine nugarum: modus eſt & meta ſciendi;
Eſt ſine quo Cœlum ſalvus adire potes.
Neſcio an hoc primi Malo cecidere parentes;
Omne quod eſt vetitum ſufficit eſſe malum.

Pulvis

Pulvis Pyrius.

QVæ fuit anguſto vehemens in pulvere virtus,
Diffluit, & ſparſus languet in æthre vapor.
Crede paraphraſtas magnis ſcriptoribus illud
Eſſe quod incluſo laxior aura foco.

Chelys.

QVæ circumſtantes implet concentibus aures
Surda ſibi eſt, aliis tinnula, tacta chelys.
Improbe corrector, quâ tandem fronte diſertus
Es mihi, ſi me, non te tua verba monent?

Fides.

CVncta ferunt, Cœli, Tellus, Animalia (ſi quâ
Convenit attendas aure) quid harmonici.
Harmonia eſt quidquid voluit Natura videri &
Noluit: ecce fidem fecerit una fides.

Eadem.

SI liget æqualis Nervi concordia partes,
Non ſit quo frangi debeat ille loco.
Si quod diſſolvi potuit, conclude fuiſſe
Non bene connexæ fœdus amicitiæ.

Pyxis.

SEmper aperta facit vaneſcere Cinnama Pyxis,
Semper clauſa ſitu Cinnama ſurda facit.
Docte vir & ſapiens, nimiùm virtutis avarus
Eſſe potes, nimiùm prodigus eſſe tui.

Ocrea.

SI mihi cum bruto res importuna domando eſt,
Inductas bruti pellibus abdo meas.
Vix cum barbarie eſt pacato vivere, ut hæc ſunt
Sæcula, nî mores induis ipſe feros.

Calcar argenteum.

QVisquis eques, rerum prudens, rudiore metallo
Exuit armandos nobiliore pedes,
Ille palàm factum, non ut fulgore, ſed ut vi
Argento ferrum cederet, hoc voluit.

Lupatum deauratum.

RVſticus aureoli capiens emblema lupati,
Quale meos caſu mandere vidit equos,
Eſt, ait, in noſtris Libertas aurea villis,
Auree tu ſplendes Aulice quà miſer es.

Stapes.

HAnc adhibe ſapienter opem: moderatus ephippIs
Inſidet, immodicus tranſilit ardor equum.
Quos nimiùm properando vides non creſcere, crede
Fortunam ſtolidos tranſiliiſſe ſuam.

Ephippia.

STragula quadrupedẽ dirimunt dominũq; ſedentẽ;
Dura premit nudi tergora ſervus equi.
Quàm procul à bruto diſtat, tam dignus honore
Fit mihi, ni ſolo corpore diſtet homo.

Soleæ ferratæ.

SI, quod in hac ſolea eſt, id quo calcare paramus
Calcando par eſt durius eſſe ſolo:
Dic opùs eſſe tibi, quos hæc in ſæcula figas,
Aut chalybe armatos aut adamante pedes.

Lectica aulica.

QVod docuere rotæ pueros, (incedere) grandes,
Si potè, conamur dedidiciſſe rotis.
Quid properare juvat? properat rota temporis; illa
Hoc neſcire ſenes, illa docebit anus.

Lychnus penſilis.

QVæ micat in terram diffuſo lumine, ſumma
De trabe rem ſummam pendula flamma refert.
Quæ micat in terris ſanctorum lampas, ab alto
Pendula & in Cæli fornice fixa micat.

Fiſtula.

QVi procul audiri & nullo retinente vocatos
Sibila vis famulos juſſa ciere tuos;
Tu quoque diſce ſequi, mox ac tibi cælica dicet,
Nec ſuprema quidem buccina, ſerve veni.

Tintinnabulum.

VUlt non eſſe domi dominus, vult eſſe, prout vult.
Obvius his verò fraudibus ire potes.
Æra moves? veniet: Argentum? promptiùs: Aurum?
Ocyùs, & jam jam non nequit eſſe domi.

Speculum Sphæricum.

ASpicis in patvo Terram, non Ætheta, vitro,
Omnia gibboſo in cotpore curva vides?
Omnia ſic implent curvi, ſic omnia pravi:
Rectis atque bonis deſiit eſſe locus.

Manus Lychnophoros.

REfert quos habitus (docet hoc te mortua vivum)
Induat à teneris larga vel arcta manus.
Si dudum concluſa plicis aſſuevit avaris,
Nec vi, nec precibus mota patere volet.

Foculus.

DIſce, ſenex incaute, quibus conſederis arvis,
Quem calido geſtat blanda puella ſinu.
Quod frigeſcenti ſubitò focus iſte patellæ
Præſtat, idem tepidis carnibus illa caro.

Cochlear.

NOn nihili eſt, quòd, quæ ſugunt animalia longis
Hauſtibus, excerpens ſæpe reguſtet homo.
Hoc veteres voluiſſe puta: medioctibus, eſtot,
Menſurâ, numero, pondere ſume cibos.

Furcilla.

NI, quibus obtigetant digiti, cibus, oris hiatus,
Fama ſit agricolas interiiſſe fame,
Ecce ſupervacuas acies & inutile ferrum.
Sufficiat longas Regibus eſſe manus.

Pega-

-Kap-
ſtock.

Pegaſus.

QVisquis es, injecto qui te metiris amictu,
Et ſimulas partem, quod geris, eſſe tui;
His ego te falli phaleris an fallere dicam?
Hic ſit homo, an tu ſis pegaſus, ambigitur.

Calix vitreus Rhenanus.

IN calice eſt quo ſe correxerit ebrius, & vim
Ipſa quibus peccat vitra docentis habent.
O fuge Rhenanos nimiùm ſiccare trientes:
Plurimus in fundo nodus, id eſt chiragra, eſt.

Mantile.

CAndida tergendæ terimus mantilia carni,
Et minimæ maculam ſordis adeſſe pudet.
Quantò deterior, tantò neglectior illa eſt
Quam tu ſanguineâ ſindone, Chriſte, lavas.

Fonticulus penſilis.

FOnticuli fortaſſe ſitus vitiaverit undam:
Hoc potìs in primo fonte fuiſſe nego,
Ite ſacro doctis hauſti de flumine rivi,
Si mihi me primo Fonte lavare datur.

Pulvinar.

QVo ferimur? quid non mortalia pectora luxus
Cogis & è luxu prodiga mollities!
Corrigitur Natura. homini ſua fabrica fabro
Diſplicet: Illa duas, tres facit iſte nates.

Radula.

RAde nucem: niſi ſicca ſitu eſt, ſpirabit odorem
Indica, quem cœlo non niſi raſa daret.
Ecqua viri lateat virtus in pectore, ſola
Sors mala, ſors radens, aſpera, ſcabra docet.

Crati-

Craticula.

QVantula vis flammæ, quanto flagrantior illâ eſt,
Quæ torres plus quàm viſcera, viva Fides!
Plurimus hoc plumas ferrum candente favillâ,
Plurimus hoc martyr credidit eſſe roſas.

Mortarium.

DIſce mori: referunt Juſti mortaria mortem.
Piſtillo fractum vivere aroma vides?
Proximus ad vitam gradus eſt è pulvere. ſperas
Vivere, qui fieri pulvis, inepte, fugis?

Sal.

UT ſapiat niger & poſſit mordere palatum,
Bis bonus eſt ſi ſal candidus & bonus eſt.
Si libeat mordere, mei conviva ſalini,
Prode ſimul ſapidos candidulosque ſales.

Salinum.

DIſcite, præcones Vitæ; quæ argentea tantùm
Affulget, melior de ſale maſſa ſiet.
Non ſatìs eſt præbere ſalem: plus poſcitur: ipſe
Sal terræ dixit ipſa ſalina Deus. *Matth.* 5. 13.

Acetum.

COrrigitur languens acido lactuca liquore,
Et ſapit. exemplo, ni ſapis, ipſe ſape.
Vita bonis & vita malis, ſine nubis aceto
Adverſæ, juſto mollior eſſe poteſt.

Oleum.

NObilis è plaga ſudor morientis olivæ
Cujus honor, pretium, laus inodorus odor,
Quàm bene fucatas oculis & naribus Aulas
Nativa decus in ſimplicitate doces!

Saccha-

Saccharum.

MEllea fel faciunt, niſi parciùs utimur : Inda,
Si nimia eſt, nimiùm fiſtula dulce canit.
Cautio ſit; ſi quid nimium eſt,nec pharmaca proſunt:
Si modicè ſumas, ipſa venena juvant.

Serra.

DEſtruit & ſecat & mordet quaſi ſerra ſecando:
Si componis, idem ſubdola lingua facit.
Si bene componis, nec idem : ſine crimine mordet
Serra palam, tacitis morſibus illa nocet.

Terebellum.

SVnt quæ præcipiti penetramus acumine, ſunt quæ
Solus perrumpas ingenioſe labor.
Non eſt ingenii quod ſemper acumine fidas:
Subula non ſemper quod terebella facit.

Dolabra.

PArciùs emineant currentis ferra dolabræ,
Proficient; paulò largiùs, officient.
Pluris in augendis modica eſt induſtria rebus,
Quàm nimiæ cæcus fervor avaritiæ.

Paſtilli.

INcidat ardenti ferro paſtillus, aroma eſt :
Incidat algenti, mortua maſſa jacet.
Dic bona lectori calido ; recreatur odore ;
Optima non calido dic; inodora roſa eſt.

Chirotheca.

PEllibus inductis digiti quam ferre viciſſim
Naturæ placuit ferre vetantur opem.
Sic fit. ubi curant ſociorum propria quisque
Commoda, res Patriæ, publica cauſa perit.

Chirotheca Hiſpanica.

COnjugium eſt thecę atq; manûs, & ſervat odorem
Pellis ab inducta conjuge pellicea.
Diſpice ducenda multùm de Conjuge, quæ Tu
Fiat, id eſt eadem pellis & una caro.

Eadem.

MIxta malis bona ſunt: penſarunt Fata probandis
Improba. ſic animum divide ubique tuum.
Pravus homo es, ſi quà nequeas ignoſcere pravis.
Sit quod ab Hiſpanis oderis, iſtud ama.

Pecten.

EST quod rapta per implexos violenta capillos,
Eſt quod læve levis dextera ducit ebur.
Non nihili eſt, rerum nodos quo pectine pectas;
Explicat iſte graves, implicat iſte leves.

Malum.

A Malo quod origo mali eſt, poſt ſæcula nomen
Credimus id quod nos angit habere mali.
Appoſitè; niſi quod præpoſtera ſyllaba fecit
Hoc breve quod longum debuit eſſe malum.

Dentiſcalpia.

ERuis impactas multâ teſtudine ſordes
Dentibus: at linguam negligis. illa nitet?
En quid agis? livet nigro ſale cordis amari;
Nec niſi ſæpe ſacris lota nitebit aquis.

Annulus.

AVreus es? magis aureus es, quod ſæpe ſupremi
Sic memorem facias, annule pure, Boni.
Sola æternorum ſeries immenſa dierum
(Annulus eſt id quod vivimus) annus erit.

Ad

Ad Filium epilogus.

DEſino. Centuria eſt; & votum ſolvimus. adde,
Conſtantine, parem tu quoque Centuriam.
His armis vitium oppugna. formamque modumque
Patris ab exemplo Centurionis habes.
Bis, ter Centurio ſtragem ſi feceris, euge,
Non dubiè victor, cum Chiliarchus, eris.

CON-

CONSTANTINI HVGENII

EPIGRAMMATUM

LIB. IX.

HOMO

&

VARIA SVPELLEX.

APOPHORETA.

CONSTANTINI HVGENII

EPIGRAMMATUM

Lib. IX.

HOMO.

Capilli.

TOrtus hic in fila eſt ſudor: quid homuncio turges,
Cujus in excelſo eſt ipſa corona vapor?

Caput.

ES, quod es, ingenio: ingenii pretioſa ſupellex
Hìc latet: infernè vivus es; hàc es homo.

Oculi.

QVàm benè donaſſet geminam natura feneſtram, *Matt. 7. 3.*
Una domo radium ſi ferat, una domum!

Iidem.

O Animi ſpecula; ô κτίσεως portenta ſtupendæ,
Vos ego, qui capitis omnia, non capio.

Frons.

NEſcio quì ſartam gerimus ſine vulnere frontem,
Quam quis neſcit Evam perfricuiſſe viro?

Auris.

HAuris fortè fui, quæ lapſu temporis Auris
Dicor. an hoc aurum nomen, an aura dedit?

Eadem.

NIl opus eſt Medico: Bilē, Rhabarbarū, & ipſam,
Si guſtes, Aloën Auris amara caco.

Eadem.

OPpone auriculam: qui te vocat, Arcas, in aulam,
Huic opus aurito teſte fuiſſe ſcio.

Tempora.

* *Nos Tempora.* TEmpora mutantur & * nos mutamur in illis.
O mores, virgo, ô tempora, dicat anus.

Supercilium.

Sudorē. SYlva repellendis præfigitur ardua ventis:
Hæc aliquid vento ſævius arcet; aquas.

Palpebræ.

CUm tenui Natura oculos munivit amictu,
Hoc homini voluit dicere, Fide Deo.

Cilia.

QVot rigidæ ſtamus lachrymarum in littore ſetæ,
Tot ſumus in muſcas hoſtica pila, pili.

Naſus.

PIctori noceo: neque enim, ſine naribus, eſſet
Cur pictura Roſæ cederet aut violæ.

Gena.

INgenium, genus & genium quæ prodere poſſum,
Et ſoleo, merito ſum Gena dicta meo.

Eadem

Eadem.

CUr bona mala vocor ſedes formoſa pudoris ?
Nempe quod inſtar habent non mala mala mei.

Labra.

LAbra virûm verboſa ſient; facundiùs uno
Alloquitur mea me Julia baſiolo.

Eadem.

IMprime ſuaviolum tepidis facunda corallis,
Cætera per me ſis, Julia, muta licet.

Lingua.

NIl opus eſt montes dirimant aut flumina fines:
Optima Terrarum lingua Geographica eſt. *Sermo.*

Eadem.

QVæritur unde ſiem carnis verſatile fruſtum ?
Quot cerebrum format ſomnia formo plicas.

Eadem.

FIde cui quicunque voles:mihi cauſſa timendi eſt,
Quà ſapiunt homines, fallere, verba dare.

Dentes.

DIſce gula; attentè, lentè, prudenter, acutè
Uti denticulo, parcere ventriculo eſt.

Os.

Hàc cibus it,hàc verba volant, quò nẽpe triumphet
Mutua de nimia garrulitate fames.

Mentum è more Gallico imberbe.

DIſce quid immineat raſo tibi ..... Mento;
Si, quâ parte ſumus, nos pudet eſſe viros.

Barba.

HIrce, pater barbate, tua eſt hæc gloria, menti
Excrementa gravem reddere longa virum.

Collum.

QVi dubitat Collum vitæ cur copula dicat,
Permittat nodum ſolvere carnifici.

Humeri.

COrporis efficiunt humeri tabulata ſupremi:
Quid caput? impoſitæ nil niſi turris apex.

Vbera.

MOntibus his paſci cupidos miramur amantes,
Queîs ipſos aluit Fontibus ipſa parens?

Papillæ viriles.

QVæ Natura nihil fruſtra feciſſe refertur,
Cur negat hàc etiam matribus eſſe viris?

Ala fœtida.

VErtice cornuto eſt Aulus. dat adultera cauſam
Uxor, & eſſe virum prædicat id quod olet.

Brachia.

HAſce viden' chelas, mea lux? non extat amati
Corporis, aut flammæ certior ulna meæ.

Eadem.

BRachia tenſa crucem faciunt cum corpore tenſo:
Diſcite nata cruces corpora nata Cruci.

Cubitus.

NI lectũ benè pranſus amas, dormire ſedendo eſt:
Qui cubitum non vult ire, eat in cubitum.

Palma & Pugnus.

MOllia ſunt palmæ, præ pugno, verbera: refert
Rhetoricè num quis vapulet, an Logicè.

Carpus.

UT collo caruiſſe caput, vel poplite crura,
Sic poterat carpum non habuiſſe manus.

Manus.

SI capere ingenii eſt; quid ni ſuper omnia membra es
Omnia cum capias, ingenioſa manus?

Digiti.

ANnulus includit digitum: qui grandior omnem
Includat dextram circulus, Annus erit.

Iidem.

NIl opus eſt famulis; ſervos natura cuique
Naſcenti totidem contulit ac digitos.

Vngues.

PRuritum ſi debellas, impunè recides
Quæ Deus extremis artubus arma dedit.

Vola.

OMnis homo eſt mendax. ego me reperîſſe putabo
Veracem, ſi cui fortè piloſa vola eſt.

Lineæ Chiromanticæ.

ILle tibi fidat, palmaris linea, qui ſe
Fortunam pugno claudere poſſe putet.

Dorſum.

QVid? plagas & onus? ſaltem Natura dediſſes,
Cum me ferre dares omnia, pauca pati.

Pectus.

FOrtius obtuſum eſt, ſi vera Matheſis, acuto.
Obtuſum Batavi pectus habete mei.

Os ſternum.

NIl opus impacti eſt homicidæ cuſpide teli:
Si ſternum poſſis ſternere, ſtratus homo eſt.

Venter.

VIvitur ingenio? facilis jactura cerebri eſt:
Per largitorem vivitur ingenii.

Vmbilicus.

SI polus humani quiſquam ſit corporis, hic eſt:
Arcticus an ſit, an Antarcticus, ambigitur.

Ilia.

ILia tractanti ſubeant incendia Trojæ:
Proxima ſunt flammis Ilia, Thaï, tuis.

* * * * *

PEr me ſunt homines: quâ me ratione pudendum
Appellas? pudeat, quem pudet eſſe, mei.

Vterus.

ME vide, & amentes animos natalibus infla:
Naſcitur obſcuro Rex, ut agyrta, loco.

Nates.

Nates.

UT quid iniqua τρυφὴ cycnææ prodiga plumæ eſt,
Pulvinar natas quæ ſciat eſſe nates.

Eadem.

NOlle manùm Nautæ piceos maculare rudentes,
Hoc eſt, quando nates, nolle madere nates.

Femur.

CÆſarei partus uteri ſint gloria ſecti:
Inciſi femoris partus origo Deûm eſt.

Genua.

SCirpus homo ex imo, ſine nobis, ventre fuiſſet:
In ſcirpo nodum fecit utrumque genu.

Idem.

EVclides capere hoc poſſit, vel credere ? flexo,
Quò pedibus nequeas, itur ad Aſtra genu.

Tibia.

COrporis harmonicè concordent artubus artus:
Eſto; ſed harmonicum tibia nomen habet.

Sura.

UT paria æquali ſuperis ſint ima quiete,
Credo datas etiam cruribus eſſe nates.

Calx.

IN ſtimulos calcem temerè qui nolit adactum,
In calcem ſtimulos cautior aptat eques.

Idem.

Calck. SI callus videas quam ſit res proxima calci,
De callo calcem nomen habere putes.

Pes.

QVinque pedis digiti: non indignabere, Lector,
Pentametris aptè verſibus addo Pedem.

Planta pedis.

NOn cedo capiti: Cynico ſi credere fas eſt
Plantanti, quod ſum nomine, totus homo eſt.

Pes opuſculi.

CVm Bove laſſo figo pedem: jam vade, Tabella;
Quando pedem potui ponere, tollo manum.

CONSTANTINI HVGENII

VARIA SVPELLEX.

Manica de vulpina pelle.

HÆc ſecli facies, Emblemata temporis hæc ſunt;
Vulpinâ rapidas pelle latere manus.

Candela candelabro inſerta.

VIs animæ tardis ſociatur vivida membris,
Qualis noſtra gravi in corpore flamma micat.

Tintinnabulum.

LIngua mihi, lingua eſt dominæ tam tinnula, ut ambas
Sæpè, puer mutas, ſæpe, marite, velis.

Chirotheca.

ALtera, ſi Solem ſtudeant arcere tenelli,
Altera, ſi Borean, hæc epidermis erit.

Aulæa.

SOrdida ſplendidulis velatur aranea lanis:
Hic tuus, hic Aulæ eſt, Quintiliane, color.

Parietes aulæis tecti.

SI ruris Jove nimboſo eſt præcluſa voluptas,
Huc, Here; textoris munere ſylva ſumus.

Pellis

Pellis Vrſina. Ad Herculem.

VAna leonini eſt & pondus inutile tergi;
Urſinâ poteras pelle domâſſe nivem.

Saccus è pelle Vrſina, fovendis pedibus.

NVlla tibi victæ debetur gratia brumæ;
Quod nequeas ſine me reddere, ſacce, meũ eſt.

Idem.

NOn moror ætherios, quos nulli ſenſimus ignes.
Certior in terris ſub pede flamma latet.

Idem ex pelle Lupina.

SI vel, ſacce, tuæ ſimilis ſit gratia fratrum,
Non malè nunc homini ſic lupus eſſet homo.

Teges fulta plumis Anſerinis.

MVta mei volucris melior cuſtodia Lecti eſt,
Quam Capitolinæ garrula rupis erat.

Scopæ veſtiariæ.

QVærenti dudum viſa eſt dubitare Batava
Veſtibus an ſcopis virgo carere velit.

Calceus.

SI malè cum pedibus ſutori convenit, arctus
In mediis etiam calceus urit aquis.

Idem.

DIſce dolore meo moderatæ providus eſſe
Cultor amicitiæ: ſtrictior urit amor.

Faſcia cruralis.

EGregiam libertatem! ſub more tyranno
In ſpecioſa dari vincula nemo dolet.

Roſæ,

Roſæ, calceorum vincula.

FOetenti pede non temerè contendo fuiſſe,
Qui primas calceîs applicuere roſas.

Caligæ byſſinæ.

SIt calor ut color eſt, quaſi nudæ ſerica carnis
Pictorem poſſit fallere mollities.

Clathra in feneſtris.

DEſine, fur, lacerare domum, ſpe vanus inani;
Ut vitream pellem fregeris, oſſa vetant.

Pileus.

MOs monet in momenta caput nudare levato
Tegmine: tempeſtas horrida ſtultitia eſt.

Idem.

NOn dubius fons eſt nudandi verticis, illud
Officii Medicos inſtituiſſe puta.

Idem.

QVi ſibi adulantem dicunt de more ſalutem,
Corda velim fratres, non aperire caput.

Idem.

PAr ratio eſt occurrenti nudare capillum,
Et patulâ intranti demere tecta domo.

Plumæ in pileo.

NOn eſt ridiculus plumæ mos; munere noſtro
Pileus horrendæ caſſidis inſtar habet.

Ocrea Anglicana.

MIrandum, ſi tota domi eſt; ocreata tot annos
Procinctæ ſimilis terra Britanna ſtetit.

Eadem.

Eadem.

MÆonides juret non ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Collatos populis eſſe, Britanne, tuis.

Zona Virginalis.

QVæ non invitæ geniali nocte ſoluta eſt,
(Neſcio quid, Thai, ſis) torrida Zona fuit.

Cingulum.

FRuſtra eſt innocuum vinclis includere ventrem,
Ni ſua cogamus vincula ferre gulam.

Tela muliebris arte perforata.

ARs hæc an furor eſt, telam properare forando
Perdere, quam poſſit longa forare dies?

Saccus in femoralibus.

GRandis origo mea eſt. dubitatis? ſcite, venuſti,
Me Jovis inciſum vos docuiſſe femur.

Idem.

OMni veſte placent, peras tantummodò vellet
Hoſpitibus caupo non placuiſſe ſuis.

Vinculum pilei.

QVæ nos cumque premat veſano more tyrannis,
Non decet hæc Batavos vincula ferre meos.

Forceps.

ME coquus & fabri poſſint contemnere, ſi, quàm
Ferrea ſunt hominum corda, ſit una manus.

Eadem.

NUlla meis bipedum par eſt audacia cœptis,
Sive pedes hos vis dicere, ſive manus.

Scopæ

Scopæ ſocariæ.

UT caleas, carbonis eges & ceſpitis uſu :
Ut nitidè caleas, me magis, hoſpes , eges.

Sella quadrupes.

SEſſorum fulcire nates mea maxima ; quid ni ?
Maxima nobilium eſt gloria quadrupedum.

Solea ferrata.

FErree Neptuni domitor, ſi ſaxeus obſtat,
Obſtantem ferro, Belga, natante doma.

Eadem.

VIncite, Victores Batavi, brumam quoque: vincant
Frigora, queis tellus ardet, arantur aquæ ?

Ephippium.

SI, quadrupes generoſe, potes me ferre , ferendum
Seſſorem dominum jam quoque victe puta.

Lignum.

SIve focus, ſive umbra placet; me ſtante, vel uſto,
Bruma tepens, æſtas frigida , neutra nocet.

Menſa.

LIgnea luſori, Lectori lanea laudor,
Linea eis qui, non êſſe , nec eſſe putant.

Eadem.

ME ſchola *declinat*: ſed enim quâ fronte, guloſi,
Quæ vultis pueros poſſe, nequitis avi ?

Lupatum.

ORe reguntur equi: turpe eſt ? hoc turpius , ipſos
Rectores bipedes hac quoque parte regi.

Lamina

Lamina ferrea camino præfixa.

SCutati flammas inter pugnate: puderet
Sumere, quæ lateres non pudet, arma viros?

Lectica, Vehiculum aulicum.

CAlceus è ſoccis, è calceîs ocrea crevit.
Omnia nunc, ingens ocrea Rheda, tegit.

Eadem.

GEſtaris, non longa trahis quod ſyrmata, ſed quò
Geſteris, mulier, ſyrmata longa trahis.

Eadem.

QVod noſtro melius mereamur crimine, tempus
Quatuor innocuum dilaceramus equis.

Eadem detecta. Caleſche.

PErtæſos corii Batavos geſtatilis arcæ,
Cum vacat, & ſudū eſt, en altera quæ vehat ὄχους.

Eadem.

RIdiculum eſt ſolum ſolus ſi viſis amicum:
Tota domus totas cœpit adire domos.

Eadem.

VAne furor podagræ, fruſtra me compede vincis:
Si claudum prohibes ire, ſedebo domum.

Mos aulicus retrò vehendi.

REs Batavûm retrò cœpit ſublapſa referri:
Neſcio quid pravæ ſortis in augurio eſt.

Idem.

AMbulat aula retrò: tanto prudentior Aulâ
Reſtio; retrorſùm rem facit, Aula nihil.

Idem.

Idem.

OCciput in fronte eſt; quid mox? exſpecto deorſum
Ut caput, ut ſurſum dirigat Aula pedes.

Idem.

RIdeor, Aſtronomi, caleā quod menſe Decembri?
Sol meus in Cancro Julia anatropica eſt.

Muccinium.

UT naſo careas, nec ſit pituita moleſta,
Non magè me careas quàm cute, pelle, poris.

Idem.

CAndida ſtillanti ſuccurrunt lintea naſo;
Naturâ meliùs præcipiente, manus.

Idem.

LInea quæ primo violavit ſtamina mucco,
Non ſatìs emunctæ natio naris erat.

Collare ſimplex.

TAndem quis melior mos eſt hodiernus avito,
Quando libri ſupplet pagina ſola vicem.

Manicæ replicatæ.

NOn homini ſit homo? parti pars invida noſtri eſt.
Ruſticior collo noluit eſſe manus.

Calcar.

DIſcite quem ſtimulum virtus innata requirat;
Si nec Equi juſtum gloria calcar habet.

Stapes.

STas Eques, an pendes? reſponde; ſtare ſedendo,
Seſſor, an hoc meliùs ſtando ſedere vocas?

Bracca.

INter utrumque femur collecto ſyrmate talis
Extiti, & incauto Bracca reperta fui.

Equi ſolea.

UNgula ferrata eſt. quid? eques magnete tenaci
Elapſum fræno ſiſtere poſſit equum?

Thorax feneſtratus.

QVàm malè, quo ſolo vitæ pretioſa teguntur
Viſcera, pertuſum, criſpule Galle, facis!

Idem.

QVi tremis illuſtri ſectus thorace, videris
Saucius è pugnâ, Galle, redire mihi.

Annulus purus.

CEdit gemma mihi, quantùm ſuperatur imago
Non brevis æterni temporis effigie.

Calceus more Gallico.

QVi primo, Sutor, ſtruxiſti ponte cothurnum,
Prime, ſuper crepidam non ſapuiſſe nego.

Crepida holoſerica.

CAlceus è pelle eſt; ego byſſea: dixerit ullus,
Cedere Bombycem nobilitate Capræ?

Dentati telæ limbi.

FLoribus ornatur pretioſæ fimbria telæ:
Fæminei textûs hæc quaſi Rhetorica eſt.

Interula.

QVantâcunque fient ove vel bombyce ſuperba,
Quantula ſint hominum corpora, lina ſciunt.

Eadem.

Eadem.

PEctoris ingenui virtus, interprete me, ſit
Proxima, candori proxima ſimplicitas.

Clava Hollandica.

PRævalet Herculeæ Batavûm diſcrimine clava:
Illa feras potuit vincere, noſtra feros.

Fides Citharæ.

SI ſua quid valeant bene norit viſcera, mirum
Nî mox harmonicè pedere diſcat ovis.

Emunctorium Lucernæ.

QVi lucere voles ellychnia, creſcere ramos,
Sollicitâ multum ſueſce putare manu.

Circinus.

STo pedes & gradior: ſi poplite flexilis eſſem,
Exſecti poſſes dicere crura viri.

Idem.

UNumquemque meo metiri ſe pede rectum eſt:
Unumquemque ſuo, rectiùs & ſatius.

Ligna fabrilia.

SYlva domus Batavûm eſt; ramis ornata feneſtra,
Arboribus ſtrata eſt area ſectilibus.

Penna.

PLena (quis hoc capiat?) vitâ plumiſque volavi;
Mortua & implumis vivo voloque magis.

Eadem.

ANſeris eloquio vivit poſt funera virtus:
Officium roſtri garrula penna facit.

Scalpellum.

MVneris hoc noſtri eſt, totum quod perſtrepis Orbem
Garrula, & elinguis me ſine, Penna, fores.

Theca calamaria.

SI ſcopus ante oculum eſt, ſi tendis Apollinis arcum,
Tenſis ingenii viribus, hæc pharetra eſt.

Atramentum.

DE bene quæſitis gaudet quod tertius hæres,
Sepia mille modis verbificata facit.

Arena ſcripturæ inſperſa.

QVantula vis hæc eſt, quod te, nigra ſepia, ſubdo!
Arctoum pelagus mollis arena rego.

Eadem.

O Curas hominum! quarum pariendo neceſſe eſt
Primos interitus pulvere prævenias.

Supercilium Camini.

PAllia nos dixit fumoſi ſepta camini
Quem ſua circumdant pallia fumus homo.

Follis.

QVis quibus imbutus ſtudiis, à folle monemur
Diſcere. qui ventos ore flat, aure bibit.

Idem.

FOllis, ad exemplum pulmonis ventifer, uno
Diſſidet: hic æſtum temperat, ille facit.

Vina

Vlna.

LEge coërcetur rerum menſura: quid hoc eſt,
Quod vitæ morum quisque ſit ulna ſuæ?

Eadem. In furem.

CHærea dives homo eſt: ulnarum quippe duarum
Amplexu quantum Chærea clauſit, habet.

Ventilabrum.

NOn eſt ſolorum decor aut pudor iſte Scytharum:
In Batavis ventum vendit hic, alter emit.

Ventilabrum Gallicum ex ebore ſciſſili.

QVo ventos excimus ebur, fateatur, opinor,
E dentiſcalpIs Æolus eſſe ſuis.

APPENDIX.

OTIORUM JUVENILIUM RESEGMINA.

DANIELI HEINSIO

Equiti,

Conſiliario ac Hiſtoriographo Regio,

Viro & amico incomparabili.

CVm in Republica, Vir Nobiliſſime, quibus illa feliciter incumbit, opellam meam apud exteros aliquoties dedignati non ſunt, gloriari apud amicum fas ſit, iis me officiis eâ fide ac ſolicitudine incubuiſſe, ut qui plurimis uſu vel ſolertiâ, ſedulitate certè atque eo erga Patriam affectu, qui bono in Cive perperam deſideretur, nemini conceſſerim. Relinquebatur ut quò illæ etiam horæ deveniſſent, quas vel foris curæ publicæ immunes, vel privatorum domi negotiorum expertes habui cum pluribus ne neſcirent, Quorum haud paullo magis intereſſe videtur, quo pacto ſubditorum ſinguli otientur, quàm quibus univerſi

negotiis attendant; ut ab otio ad malam frugem naturâ proclives ſumus, & brevi iſta ſpatio diſtare perhibentur, parùm boni agere, & mali multùm; ſive, ut ferociùs olim pronunciatum noſti, Virum otioſum eſſe, & malum Civem. *Faciunt eò potiſſimùm Libelli iſti; qui magnam partem iis ex abortibus compilati quos quotidiè obtrudi tibi quàm humaniſſimè paſſus es, ut de ſeveritate tuâ ſecuri eſſe didicerunt, clementiam plerique toties experti, nec alio vel tutore vel vindice publici tribunalis majeſtatem experiri debuerunt. Mea, inquam, refert, Patriæ univerſæ ut conſtet, eas me res egiſſe cum nullas egi, quas plerique cum agunt, ſummoperè id curant ſcilicet, ne quis eos otiari exiſtimet; quas verò tu cum ageres, ita te otiari credidiſti, ut nec bono Cive, nec homine quidquam erudito indignum ageres, at nec ab illo valdè alienum quidquam qui ſe uni Sapientiæ aliquando dicatum iret: ſi quis fortè ab ætate pari & Otio, ad eandem frugem ratiocinandum duxerit, & quantò ingentibus illis præludiis tuis præſtare conſtat*

immen-

immenſum eruditionis cumulum, quo te ſtuporem Orbis literati agnoſcimus, tantò ſerias olim cogitationes meas nugaciſſimis iſtis pro modulo potiores fore. Patere nunc ergo nomine me tuo tantiſper abuti, quàm exemplo uti neceſſe habeo. Spondeo non invitus, iis me ſenſim veſtigiis inſtiturum, quæ, ut infinito te ponè intervallo ſecutura ſint, nec ipſe tua eſſe negaveris. quin ſi te judice credi cœperit, hos etiam inter luſus otianti verbum excidiſſe non otioſum, ego verò is videri pergam quem à Rep. arceri Patriæ interſit, ejusmodi mox otio vacaturum, quod, ut iſta paucorum oblectationi, publicæ, nî fallor, utilitati conducet. Vale, Vir maxime, quique nec amicitiam meam hactenus contemſiſti, neque ſeceſſum ſcribentis, & OTIA *boni conſule. Hagæ-Comitis,* VI. *Cal. Iun.* cIↄIↄc XXV.

AD EVNDEM.

UNice flos vatum, cui me placuiſſe meaſque
Prima fuit pueri gloria quisquilias;
Proxima ſit placuiſſe viri, provectior ætas
Quòd bene, quòd meliùs tertia ſperet erit.
OTIA nunc rerumque inopes fero Carmina nugas,
Otia, ſi tanti eſt, paucula perde meis.

Fortè tuas pridem verſas in maſcula Muſas
Numina ais Veneres non niſi noſſe mares,
Cætera cum primi putruiſſe Cupidinis arcu,
Nec pia tam nihili ſeria ferre jocos?
Parciùs obtundo, veteres agnoſce tabellas:
Quam videor cramben nunc dare ſæpe dedi:
Excute perſonam, mutato nomine qualem
Hìc ago de veteri eſt fabula facta recens;
At ſpectatores bene ſperatura nepotes
HEINSIACA ſoſpes quì caruiſſet ope?
Hoc age, ne careat: quas nunc effaberis olim
Cenſuræ de me poſteritatis erunt.
Quamquàm ego nec metuo quos dant hodierna Catones
Sæcula, nec quos eſt ſera datura dies.
Algeo, nec pudor eſt; quem charior occupat æſtus,
Diſcat ab invidia nil timuiſſe mea.
Nec pudor eſt, nec erit, quòd nos impune puella,
Nos puer illæſâ virginitate leget:
Si tamen iſte, vel illa legent; quæ ſola futura eſt,
HEINSIADÆ rogo ſit gratia ſola mei.
Sin piget immeritæ punctum tribuiſſe Thaliæ,
Et videor theta dignior ire nigro,
Parce (Deûm, ſi quæ, ſoboles; clementia divûm eſt,
Nec titulum juſto detrahit illa Iovi;
Parce; tuo cum tecta volet ludibria nutu
Quæ ruet in plagas livida turba meas,
Sola crepet, tantique adeò, quâ vindice ſolâ
Turgeat, autoris deſtituatur ope.
En caream plauſu, jam nuda ſilentia poſco:
Fecerit ad laudes, te tacuiſſe, meas.

CONSTANTER.

AMARYLLIS.

Ecloga.

MOERIS. THYRSIS.

INdomitæ faſtus Amaryllidos, & fera ſempèr
Fulmina, non oculos, non iſthac lumina fronte
Digna, nec ore minas, fugiturus trans Mare Thyrſis,
Thyrſis ad aridulas Nerêi diffuſus arenas,
Flebat, & aridulas fletu maculabat arenas:
Cum Pueri latè complentes littora planctus,
Et ſparſas miſeratus oves & ovilia Mœris,
Thyrſidos alter amor, nec poſt Amaryllida, Mœris,
Talibus incauti rupit ſuſpiria verbis.
Thyrſi, viden' pleno ſubeuntem littora fluctu
Nerea? mox refluas idem revocaverit undas,
Mox Mare littus erit, & erunt mox Pontus arenæ:
Gurgitis una vices Phœbe regit, una puellas
Temperat, alternoque ciet præcordia motu.
Non, ſi dura Lycoris erat, confecit Amyntam;
Oderat hunc aliàs, & amat Galatea Menalcan;
Niſa ſupercilium fregit, faſtidia Phyllis;
Daphnidos hinc, illinc Lycidæ ſua gaudia fletus
Et lætæ ſubiere vices: Amaryllis habebit,
Crede, ſuas, & tunc Amaryllida Thyrſis habebit.
Crede; ſed hos alterna etiam ſine, Thyrſi, dolores
Intervalla regant, nec quos adſpexerit Eös
Humidulos, tales veſper deprendat ocellos.

THYR.

THYR. Charior hiſce Puer, quos quãdo adſpexerit Eôs
Humidulos, tales veſper deprendat ocellos;
Mœri, quid hanc toties iterato verbere plagam,
Tundis, & exemplis collatâ ſorte beatis
Bis miſerum eſſe jubes? Curetne Lycoris Amyntam,
Daphnida Phyllis, & agreſtem Galatea Menalcam,
Niſa ſuum Lycidam, curare Amaryllida credis?
Adſpice quæ rerum circumfert ſæcula molem,
Perpetuosque ſed & ſtabiles per inane rotatus,
Et vaga finito labentia ſidera calle;
Hos greſſus Amaryllis amat, hunc non prece, non vi
Flexibilem dicas animo obfirmaſſe tenorem.
Scilicet æthereos quò nemo negaverit ortus,
Et patrio ductum Cœlo genus, ætheris inſtar
Immotos animo decuit præſcribere motus?
Nec poteras, niſi dura, diis prognata videri?
Heu! poteras formoſa; & qui mortalibus exſtat
Cæleſtes decor addit avos. Ignoſcite Nymphæ,
Non damus hæc meritò veſtris cunabula ſylvis.
MOER. At facilis natura deûm eſt; ignoſcite ſtellæ,
Non damus hæc temerè veſtris cunabula cœlis.
Si tamen illa dea eſt & in illo lumine numen,
Nec ſpecie deceptus, amas; age, Thyrſi, reſurge;
Jam verbis invicta, moris ſuperabitur olim;
Et dabit hora quod hora negat. non omnibus omnem
Protinus advertunt Superi mortalibus aurem.
Non ego, ſi primos hodie de rure maniplos
Frugiferæ Cereri, non, ſi tibi, Cynthia, Cervam
Obtulero, tibi, Bacche, caprum, tibi, Faune, capellam,
Cras jubeo parere deos, placataque fumo
Numina præſentem votis deferre ſalutem.
Sæpe equidem, ſi multa pias infecerat aras
Victima, & innumeras populârat flamma bidentes,
Tantane vos tuguri cepiſſe oblivia noſtri,
Dii ſuperi, dicturus eram; cum dexter ab ortu
Cœlicolas corvus monuit ſperare faventes:

Spera-

Speravi; mollesque deos à tempore ſumſi.
Diſce breves in amore moras, potieris amatâ.
THYR. Adde graves in amore moras, occidis amantē.
Omnia perpeſſos annorum tædia porrò
Perpetienda mones? heu! paſcere Thyrſida ſylvam
Queſtibus, hirſutum flammis Amaryllida Mopſum!
Mœti, fatebor enim, poterant faſtidia ferri,
Atque oculi, tot flagra, truces, niſi Mopſus ab illis.
Mopſe quis es, qui noſtra tuis componere certes
Carmina & hiſce tuas, Parnaſſo judice, cannas?
Me Satyros, nemorūq;, nec ultima numina, Faunos,
Me Dryadas, mariūq;, nec infima numina, Nymphas,
Ad modulos, tua dona, meos, teſtabere Clio
Non ſemel æſtivâ circumfudiſſe choreâ.
Invideas Rhodope, ſectatos Thyrſida montes,
Saxa, feram, volucres, volucres, fera, ſaxa loquentur.
Dicite Pierides, quid amarunt numina Mopſi?
Me pius, & ſacrâ redimitus tempora Lauro
Sylvander, tuus à teneris Dictynna Sacerdos,
Ille Caledoniis tandem memoratus Hybernos
Confudiſſe greges, & confudiſſe Britannos,
Sylvarum Sylvander amor, laudaſſe canentem
Non neget, & docuiſſe ſuas Amaryllida ripas.
Da veniam, venerande Senex, tua rura, paternos
Pertæſi remeamus agros, Amaryllida ripas
Nunc quoque, ſed duram docturi Amaryllida ripas.
Sat miſeros vixiſſe domi, juvat eſſe Britannos,
Si ſterili Batavos decet inſudare furori.
Da faciles in vela Notos, ſubſterne benignas,
Salſe Sali dominator, aquas, deducite mœſto,
Nereïdes, paſtore gravem per cærula puppim:
Thyrſida vectorem vehitis, ſubſidite fluctus.
MOER. Thyrſida paſtorem rapitis, ſubſidite venti:
Æole ſecluſos cohibe compagibus Euros;
Objice retrorſum Zephyris Mare Neptunine;
Da remoram, Melicerta, rati, da monſtra procellis
Cymo-

Cymothoë, da Glauce breves in gurgite Syrteis.
Annuitur. commota pari conamine crimen
Numina ferre negant: &, ne quà conſcius eſſet,
Fortior adverſas Tamiſis devolvit arenas:
Plura minatur Hyems; jam te, timet ipſa videri
Cynthia, ne videat; condunt pia nubila Cœlum;
Thyrſi, nec hunc Solem, nec habebis ſidera teſtes;
Quid juvat adverſos rapere in tua funera divos?
THYRS. Mœri, per hunc Solem, per quæ mihi ſidera teſtes,
Objicis adverſos paſſis Amaryllida divos?
En ego poſt ignes undam, poſt Cypridis iras
Deſpicio, Theti cana, tuas; ſi fata jubetis,
Naufragus extremam ſubiturus in æquore ſortem.
Ut videas, Amarylli, tamen; Sceverinaque paſſim
Securos comitata greges per littora ſpectes,
Si pote, non duro morientem Thyrſida vultu.
Quæ pelagi pietas, miſerebitur unda perempti:
Forſitan illa eadem quæ rettulit unda peremptum
Alcyonæ Ceyca ſuæ miſerebitur, & te
Invitos ſuper ora pedes inviſa jubebit
Ponere, & has etiam; Miſerandum Thyrſida! voces
Addere, & has etiã, Quid erat præ Thyrſide Mopſus?
Plura Puer fudiſſe parat, cum plura paranti
Nunciat optivis intendi carbaſa ventis
Ponticolûm clamoſa cohors; levat anchora dentem,
Vela viri; fugiunt ripæ; volat ocyor Euris
Ipſa ratis; ſummâ miſerum ſua littora puppi
Thyrſida ſpectantem ſolatur Mœris, aditque
Vocibus, ingeminatque procul, Reminiſcere Thyrſi,
Spreverit una, ſed una, tuos Amaryllis amores.

cIɔ Iɔc xx.

Miſoga-

ΜΙΣΟΓΑΜΟϹ.

SATYRA.

Conjugii malè fauſta dies, malè feſta viris nox,
Neſcio vos, neque ſcire libet. Dos lauta, ſupellex,
Prædia diſpliceant, domus & grex? Tolle quod adſtat
Fæmineum caput & triti pia tædia lecti,
Sum deus; adde, necas. O quâ ſumus, & Batavorum
Nomine turgemus, pretio pretioſior omni
Libertas, oriunda diis, optanda viris dos!
Quâ ſubeat mercede tui caruiſſe? quis ultrò
Excutiat ſibi te patriisque eliminet arvis?
Ducimus uxorem: Superi, quam cara voluptas!
Ducimur, hæc ſumma eſt; & fluxerit alter ab illo
Qui tuus eſt, Hymenæe, dies; vos advoco teſtes,
Quæ volucri volitatis ad hæc pede ſacra, Puellæ,
Quantillùm, cui ſerus equos diſjungere Titan
Viſus & hærentes producere Veſperus horas,
Heſterna teneat reliquum de fronte Maritus.
Rideat, exultet, fundatur in oſcula, quorum
Nec potiora Neæra tulit, nec Lesbia poſcat,
Roſſa ſuum potiora neget geminaſſe Poëtam;
Vidimus & mœſto feſtivum gutture Carmen
Exprimier; ridere foris, quem flere domi lex
Naturæ, gemitumque rogo libare paterno
Iuſſerat, hinc alacrem ſcenâ poſcente Bathyllum.
O miſer! illud heri feſtum Comœdia nunc eſt;
Spectator, conviva, venis; qui ſeria nuper
Gaudia, perſonatus agit non ſeria ſponſus.
Hinc animo gemit, hinc tremulo ſimulator ocello
Ridet & admoto convivam fallere Baccho,
Si potis eſt, ſeſe ipſe parat: invita cachinnos
Labra, ſales invita docet; dum flebile preſſo
Pectore Pænituit roſo fovet inteſtino.
Tolle graves, Hymenæe, faces, fuge tecta, Diones

Cum

Cum telo pharetraque Puer; duxiſſe triumphum
Sat ſit, & hàc fatuo tenus illuſiſſe veneno.
Intereà ſubiti variatâ pelle ſtuporis
Cauſſa rogatur, & in rerum libet ire latebras.
Nempe oculos nox una dedit, cum nocte refugit
Faſcinum & Idalii blandè vaga ſomnia Morphêi.
Omnis ut in ſummo, quantùm pote, culmine rerum
Res ſtetit, inſtanti nutat vicina ruinæ;
Stare vetat Natuta quod uſquam vivere juſſit.
Fac voto potiatur, & omnis ad interitum ſpes,
Omnis it ad metam fervor, venus, ira, cupido.
Hinc animi ſubitò facies diverſa, colorque
Diſcolor, hinc quod ſperat amat, quod poſſidet odit,
Et ſatius caruiſſe putat. Miramur? at ille
Impetus in ſummo graduum ſtetit, ulteriùs quà
Non datur; inde cadat, ratio docet & monet ordo.
Credibile eſt arſiſſe Jovem Junone, quouſque
Ivit in amplexus precibus mollita cupitos:
Vix totâ gaudere datum, vix facta Tonanti,
Quæ Soror, & Conjux; quid agis Pater atque hominum Rex?
Languet,& ad nova clauſtra recens ergaſtulus horret,
Et cuperet non eſſe quod eſt ſine fine futurus.
Jam Danaën ærata (cave Saturnia) turris
Non tenet. excubiæ prohibent? erit imber adulter;
Quì nequit ire, pluet: jam Taurus Agenore natam
Avehit, illicitos Cretâ ſatiante calores;
Jam Cygno decepta duos promittit ab ovo
Tyndaridum pellex ſimulandos nomine fratres;
Jam novus Aſterien roſtro premit ales adunco,
Mnemoſynen paſtor, Satyri Nycteïda talo
Ludit, & Alcidæ mentito conjuge matrem.
Te quoque, fallacis tremor, Ennoſigæe, profundi,
Nonne ducem ſimulare gregis, delphina, juvencum,
Defraudata ſuis amplexibus Amphitrite
Vidit, & eſſe ſuas tum pridem tædia tædas?

Ergo diis quod habent vile eſt; & finis amorum
Conjugii nox prima fuit: vos, dicite, ſponſi,
Copula quì faciat nunquam ſolvenda beatos?
At lucri mellitus odor quâ compede dignus
Non ſit, & in qua non adigat ſudare palæſtra?
Diſpliceat nova Nupta, placet peplus, arca, domus, res;
Hac miſeri mercede ſumus; ſpontanea gratìs
Vincula non ſumuntur, habet ſua commoda carcer.
Prô pudor, & virtute parùm condigne Batavâ
Sermo! rei ſervire virum! proſternier auro
Cui pedibus calcare dedit Natura quod uſquam eſt!
Fœmineos faſtus pretio conductus adoret
Ille ſolo, ille ſalo latè datus arbiter! audi
Fœmina de magno cui tollere forſan acervo
Contigit, & grandes auro ſubducere nævos;
Celſior his animis ſedet & generoſior ardor,
Nec pretio proſtant; facilis jactura peculI
Fortibus & (quis it inficias?) ſuper omnia natis.
Macte virûm virtute vigor; niſi deſumus ipſi,
Nil deerit: Fortuna fabrum ſi fecerit, euge,
Uni dives ero manibus quod ſufficit; adde,
Liber ero, propriiſque laboribus imperitabo,
Ipſe meæ rector, remex, antenna carinæ.
Das melior fortuna togam? dabit Aula clientes,
Hæc quæſtum mihi turba; quod auri fortè fodinam
Dixeris haud ſine mente: quid ampliùs? otia, rerum
Perniciem, fervente manu vel voce fugabo:
Nec fœdè vacuus languebo, nec undique curis
Impediar; ſumma eſt, dominabor cœlibe toto:
Nec rugas frendentis Heræ, nec probra timebo
Pallidus, aut ſoleam; nec quà libet urbe vagari
Ponè traham malè formatos, mea viſcera, partus:
Nec famulæ ſervus furtivâ nocte cubile
Concutiatne, & ridiculo ditauerit ædes
Fœnore, curabo: nec (ſi licet addere quantum
Suggerit importuna trucis compunctio veri)

Diſcruciabor ad abſtruſam lenone feneſtram
Deprenſo; quia nempe crepuſcula diligit uxor,
Poſtponitque tuo fraternum Cynthia lumen:
Nec peregre per longa graves inſomnia curas
Sudabo, nec mente ferar quo corpore latum
Suſpicio non vana notet qui ſemina noſtris
Spargat adulter agris, &, quo profecerit abſens,
Propatulum reduci cornu paret Amphitruoni.
Sed Satyros pridem Satirâ ſaturavimus; & jam
Fallor, an hìc aliquâ pruritum fronte notavi?

cIↄ Iↄc xx.

EPITHALAMIUM

Cæſaris Calandrini, *Eccleſiæ Italicæ, quæ eſt Londini, Paſtoris*, & Elizabethæ Harderét.

SIve per antiquos retrorſum turgida Faſtos
Exſpatiata meas, tumidumque nepotibus Olim
Obtrudis, veteres animo commenſa Quirites,
Roma, nec invidiam Gentis meruiſſe Britannæ
Diceris, neque Cæſareis gaviſa triumphis
Una, nec hanc ſolidè (quæ nunc ſunt ſæcula) laudem
Londino patiente feres; ſublimior illa
Se videt, & negat eſſe nihil non Cæſare majus,
Sed negat eſſe ſuo: Videt hunc de frigore duri
Pectoris, & glacie quæ mox penetrabilis ulli
Non fore viſa, licet fuerit penetrabilis uni,
Læta Cupidineos ducentem rite triumphos.
Nec minùs iſta ſuo viridem victoria laudem,
Victori, nec inauratas debere quadrigas
Viſa minùs, quàm cui Dacos, cui barbara Thraces
Pectora, Sauromatasque truces, Garamantas & Indos
Obtigit uni omnes ſemel incluſiſſe trophæo.
Sive quod es libet eſſe, & qualem illudere ſæclo
Miramur, ſacro moderantem Regna capiſtro,
Et modò non totum ſubigentem Collibus Orbem
Heſperiis; Schola diſſidii, fœcunda malorum
Mater,

Mater, & erroris quantùm capit orbis origo,
Pone ſupercilium, feſtum cui laurus adumbrat
Circumflexa caput, Paſtorem Καίσαρα ſpectas,
Paſtorem, cui cura lupos quot fœda pudendo
Emittis gremio, quot humo depromis Erynneîs
Pellere nil merito (da, Cœlum, poſſit) Ovili.
Καίσαρα, cui Fidei ſcutum, cui caſſida Vitæ,
Juſtitiæ loricam & Verbi cœlitùs enſem
Induit armipotens Deus, indefeſſa per Orbem
Selecti tutela Gregis, quò, perdita, quò te
Concutiat, ſceptrumque manu, triplicemque ſuperbâ
Cæſarie, quâ regna premis, quatis aſtra, tiaram
Auferat, & Romæ diſcat poſt ſæcula Romam
Reddere, & haud vanum priſcæ pietatis honorem.
At tibi, quò tantæ felix bellator arenæ
Sufficias, valeaſque forìs in prælia, Cæſar,
Pax niteat ſincera domi, Concordia lectum
Sepiat, æternoque liget præcordia vinclo,
Junctaque divinum ſcandentia vota tribunal
Proſpera concilient communi Numina ſorti;
Nec priùs importuna toro levet Elizabetham
Cæſare, nec priùs hac ſubducat Καίσαρα Clotho.
Auferat una dies quos junxerit unus (at ô tu
Sera tamen luceſce dies) Hymenæus amantes.
Concordes animæ, beate Cæſar,
Felix Elizabetha, par ſuave,
Dulcis copula, turtures gemelli,
Reſtant ultima vota, ſumma reſtant:
Fœcundos thalamo ſuper precari
Luſus, gaudia, baſiationes.
Vos amplexibus oſculiſque centum,
Vos implexibus oſculiſque mille
Non ſemper vacuos dies beate,
Non unquam ſteriles beate noctes,
Sic ter tertia prole ter beatam
Ditet Cæſareâ domum Selene;

Sic augur conviva ſiet, ſic omine vero
Cantet diſtendens Hymenæum turba choraulen.
Quàm bene, quàm dignas junxiſtis, Numina, tædas,
Si decus ingenii pariter, ſi frontis honorem
Cæſar Cæſarulis dabit, Elizabetha Kalandris!
cIↄ Iↄc xxi.

Ad juventutem Ziricæam
ELEGIA APOLOGETICA.

CIrcæi Juvenes, facibus devota Cyprinis
Pectora, par telo ſaucia turba pari;
Per geminas Dominæ, totidem tua fulmina, ſtellas,
Prima pharetrati, quem colis, arma Dei;
Per Paphiæ delubra Deæ: per tela, per arcum,
Cujus in accenſo pectore vulnus habes;
Deſine rivalem temerè commota Batavum
Innocuique dolos ſubtimuiſſe viri.
Non ego Mattiacis obrepſi proditor oris,
Non ego Circæis diſſimulator agris.
Pone metum. ſpernenda times. impune Batavis
Creditur, & fraudum neſcia turba ſumus.
Non Helenam, ſi qua eſt, (neque ſum Paris) ambio veſtram;
Hoſpitii cultor, non violator ero.
Non mihi fallacis plaudo ſub imagine voti,
Non mihi tam grandis vindico jura ſpei:
Mecum habito, & quàm ſit novi neque ſerò futurum
Ut cadat in caſſes caſta Venila meos:
Illa quidem (& voveo) feliciùs eliget, olim
In magè ſe dignos introïtura toros.
Audiat intereà, quisquis prior ille procorum
Occupat adventum ſuſpicione meum:
Fallier humanum eſt; ſumus in caligine cuncti,
Nec minùs hic tenebris, nec caret iſte magìs:
Nî tamen inſignis dementem decipit error,
Neſcio quid miſeri nomen Amantis habet.

Non

Non mihimet comperta loquor, ſed naufraga ſaxa,
Naufragium paſſo præmonitore, noto.
Quas dubio lachrymas, quæ non ſuſpiria amanti
Moverit aſpectu torva Puella ſuo?
Quis miſero pallor, quis non furor occupat artus,
Si, ſibi poſtponi quem velit, ille præit?
Et tamen has aliquis (quid non mortalia cogis
Corda, Tyrannorum maxime, parve Puer?)
Has aliquis riſum lachrimas, hos gaudia fletus
Dixerit, Elyſios poſthabiturus agros.
Vivite felices, quibus importuna calenteîs
Flamma vorat fibras; Me meus ardor agit.
En dudum Patriis animo procul evehor oris,
Jam mare, jam terræ mente remota lego:
Heſperidum hinc Populi, hinc Phœbo ſubjecta recēti
Regna manent oculos conſpicienda meos;
Parthenopes jam nunc avido obverſatur imago,
Et cinis Imperii, perdita Roma, tui;
Et quæ Cæſareo pares Germania ſceptro,
Et modo fœmineâ Gallia quaſſa manu,
Quique per Occiduos Tameſis devecte Britannos
Juncta Coloſſeo littora Ponte lavas.
Aurea libertas, quæ non luſtrabimus arva?
Quanta ſub hos oculos, te comitante, cadent!
Aurea Libertas, priſcis adamata Batavis,
Cum ſocias junxit fœdere Roma manus,
Aurea libertas, Superûm data munere Terris,
Quis tibi, quis ſanus, vincula prætulerit?
Aurea Libertas, tibi me voveoque dicoque,
Tu quoque ne greſſus deſere, Diva, meos.
Circæi Juvenes, per me licet eſſe maritis;
Ite ſub optatum, ſi volet illa, torum;
Subdite colla jugo, cippo date crura beato;
Non facit ab Batavum calceus iſte pedem.

Ziricaæ. cIↄIↄcxix.

ACADEMIÆ OXONIENSI

perpetuum florere.

OXonii colles, & quæ neglectiùs olim
Feſtino pueri preſſimus arva pede;
Credite (ſi qua tamen fidei fæx licta Batavis,
Nec Muſis etiam perfida turba ſumus)
Credite, Muſarum virides palatia ſylvæ,
Sylvæ numinibus vota ſacella meis;
Credite, qui, quot onus geſtat paritura, Britanno
Viximus, inviti viximus orbe dies.
Viximus inviti, quia nam quæ ſumma videndi
Vos fuit, & tantùm ſpes fuit, illa fuit.
Nec reditura fuit, ita nunc proclivis adegit
Præcipiti pronam Cynthius axe rotam,
Et modò multa nimis cœlo bacchata Noti vis
Eripuit cœcas imbribus aucta vias.
Nec, ſi ſumma quidẽ placeant incommoda, vel nunc
Annuat officiis blandior aura meis.
Carcere torpendum eſt(ſic Dii voluiſtis) eodem,
Sola nec exilii credita plaga ſatìs.
Bis miſerum jubet eſſe, cui ſemel eſſe Batavo
Sors dedit, & geminæ mortis obire necem.
Sic ego, Brutiadum pariter ſummotus Athenis,
Summoveor Tempe, dulcior Haga, tuis:
Sic patriæ vicinus agris, ſic proximus idem
Oxoniis,iſthinc exul & inde vocor.
Qualis ad Euxinos (rubuiſti Romà) Tomitas
Perdidit in Scythicas irrita verba nives,
Qui patriâ voluit Vates ubicunque carere,
Ne modò non gelidis fas caruiſſe Getis.
Da veniam veneranda tamen, da, magna Britanni,
Londinum,Imperii gloria, magna domus:
Maxima majoris, quantus patet, Orbis imago,
Da veniam, regni regia congeries:

Non

Non ego Sauromatas Tamiſi compono paludes,
  Non ego vel celebres, quas vehit Iſter, aquas.
Non ego Ponticolûm demens tua marmora caulis,
  Non ego tam populis barbara terga tuis.
Saniùs inſanimus, & unus tædia (ſi fas)
  Oxonius veſtri movit & auxit ager.
Illa meis unquam ſi non occurrat imago
  Senſibus, immemorem quò ſinat eſſe ſui;
Forſitan eſſe tuas aliquid tum turbida turbas
  Aula minùs dubiâ ſuſpicione rear;
Et tenerâ nec dum demulſi fruge palati
  Emicet ad glandes mota ſaliva tuas.
Nunc mihi tam memori tam blandas undiq; circum-
  -geſtanti mecum pectore relliquias;
Et modò Woolſeias recolenti cœpta ruinas,
  Marmora de domini ſorte notata ſui;
(Quàm bene, quàm ſubitò, quantùm veſana levârat
  Gratia, contrivit Cæſaris ira caput!)
Et modò Bodleias, congeſta volumina, gazas,
  Rufe tuis pariles, vel Philadelphe tuis,
Pulpita Lutetiis tam nil debentia capſis,
  Quàm Vaticano proxima, Roma, tuo;
Quæque ſuperba novo ſtringens laquearia cruſto
  Pergula Bodleiam poſcit & illa manum;
Et modò luſtranti tot in illo lucida cœlo
  Sidera, tot limo de potiore viros,
Illuſtres animas, deductos æthere cives,
  Reddendum ſtellis (tarda ſit hora) genus,
Palladii Myſtas, quorum ſe tota recluſit,
  Tota ſinum votis Virgo-virago dedit,
Quorum ſi totidem ſileant oracula linguæ,
  Intuitus quiddam quo doceamur habet:
Et modò Woodſtochios peragranti mente receſſus,
  Et loca Virgineo carcere nota nimis,
Heu! indigna tamen, quis enim Te vincula Minos,
  Quis te Diva ferat Elizabetha pati?

Ut tulerit Soror, illa Soror, nî fata vetâſſent,
 Suppliciis poſt Te credita digna tuis:
Denique nunc vicina vagos per cædua ſaltus,
 Nunc vada pervecto, nunc juga ſumma mihi,
Oxoniis obverſanti per ſomnia clivis,
 Oxonii pleno, quantus ubique feror,
Quis plateæ turbas, ſubigentes ſaxa covinos
 Objiciat, carros, eſſeda, plauſtra, trahas,
Calcar agaſonis, gemitum obrudentis aſelli,
 Hinnitum ſtabulo profugientis equæ,
Cauſidicûm turmas, ſpumantes jura patronos,
 Illapſa in pavidos nomina dura vades,
Chryſidis ante fores extincta cum face carmen,
 Ante diem ſurdas Chryſidis ante fores,
Importuna popinales in prandia bombos,
 Fercula clamores ſingula nacta ſuos,
Compita peſtiferis paſſim conſepta cloacis,
 Fuſa per anguſtas vaſa pudenda vias,
Contiguas quoquò versùm, quot tecta, tabernas,
 Murmura, ſtridorem, ſibila, flagra, minas?
Quis populi phaleras, torto velaria byſſo,
 Pocula de Samiis gemmea facta ſcyphis,
Interfuſa per auguſtas aulæa feneſtras,
 Jàmque graves auro, non elephante, toros,
Balſama, paſtillos, thalami diapaſmata, fumos,
 Cinnama, odoratas, Perſica thura, dapes,
Coccina, pelliceas, ſtrictos adamante capillos,
 Et vario ſemper more, colore peplum?
Quis rerum ſalebras, civiles jurgia ſpinas,
 Aurea perpetui ſemina diſſidii,
Indigno Batavis commiſſos Marte Britannos,
 In ſe fraternas ſigna reverſa manus,
Prœlia retrorſo longè contermina Gangi,
 Eoo triſtes littore naumachias,
Et piper & palmas & aduſto cinnama libro,
 Et laſer, & calidas, lignea pruna, nuces?

Sin-

Singula certatim nec iniquâ lance pependi,
Multa nec ætatem non ſubiere meam,
Ætatem, niſi vana fides, cui non malè rerum
Exacuant juvenem ſplendida quæque ſitim.
Oxonii fontes, & vos tamen una videndi
Deficiat nullo ſpes rediviva die,
Et modicos inter Patriæ meruiſſe Poëtas
Dictus, abhinc nullo, nec novus, ore legar,
Nî veſtris habitare jugis, nî veſtra ſupremos
Ad *Vada* prætulerim conſenuìſſe dies,
Laſſa ſuper veſtro componere tempora muſco,
Eſſe ſoporiferas murmura veſtra dapes,
Neſciri mundo, mundum neſcire, latere
Perpetuùm inſtabiles, turbida fata, vices;
Me quoque quà fas eſt, nec quas collegerit angi
Quando reſolvendas quiſque Cometa minas,
Quid moveant Reges, quid ab Heſperio Hymenæo
Concipiant Britones hinc ſpei & inde metûs;
Quatenus eſſe noverca ſuos ſua viſcera cives
Perget & inſanum Gallia poſſe nefas;
Summane inabrupto ferient impune volatu
Sidera Pannoniæ ſigna gemella Ducum
Victrices Aquilæ, nec erit cui longa ſuperbi
Proſperitas môrit nominis invidiam,
Vel Patrio procul orbe alieno proxima Regum
Poſteritas exul juſſa latere ſolo;
Ullane pacato poſt longa incendia Belgæ
Luxerit haud ſocio ſparſa cruore dies,
An Batavas iterum, tam culta novalia, ripas
Barbarus infando Marte reviſet Iber,
Et lacrymis iterum & ſanie turbatior ibit
Rhenus, & infames evomet ater aquas:
Sed virides variare toros, proſternier umbris,
Languida fragranti condere membra thymo,
Hìc violas amplecti, hìc perpetuos amaranthos,
Hìc crocon, exuvias hìc, Hyacinthe, tuas,

Hìc Satyros, Dryadeſque, & alacria numina Faunos
   Concutere ad Batavam, quà patet umbra, fidem,
Securos inhumare dies, deſtertere noctes,
   Sidera Phœbææ nectere ſera faci,
Otia deglutire: horum ſi largior olim
   Suaſerit alternas copia delicias,
Tum tua, tum verò, Bodleje, in fercula ferri,
   Æthereos animi, mella meraca, cibos,
Ambroſiam ſæcli, monumenta tot ultima tecum
   Pervicturorum ſæcula ſemideûm,
Palladios, totidem cerebrorum ſemina, partus,
   Mille ſui verſos in ſimulacra viros.
Heu! mea continuis æternùm ſaucia plagis
   Belgium, & ærumnis nunc quoque ſtrata novis,
Si bene natales quiſquam contemnere cunas
   Suſtinet, & patriæ vix memor eſſe ſuæ,
Hac Batavas mercede queam contemnere cunas,
   Hac valeam patriæ vix memor eſſe meæ.
Sed pudor hoc & fata vetant, crudelia fata,
   Candidus ingenui gloria prima pudor:
Iſte domum vocat, illa forìs impune morantem
   Pacato Batavum claudier orbe vetant:
Dum totus furit ungue Leo, dum proximus ardet
   Gelder, & ancipiti ſternitur enſe Brabas.
Audi, Brutiadum Pater; audi, maxime Regum,
   Improperant nimias fata pudorque moras.
Si ſatìs Heſperios imbelli Marte cachinnos
   Movimus, & calami ſtrinximus arma ſatìs,
Solve tuo Belgas Tamiſi, poſt penè quot anno
   Conſtituit menſes Romulus ire ſuo.
Poſcimur altroversùm, &, quæ nunc nubila nigrent,
   Exulibus miſerâ non vacat eſſe domo..
Oxoniæ valles, en quàm diſcordia votis
   Obvia conveniunt undique vota meis!
Quàm triſtes patriæ ſimul aſpectare ruinas
   Eminus, & civi non datur eſſe pio!

Avehor,

Avehor, opto, tremo, feror in contraria, findor,
Quò decet ire piget, quod libet eſſe vetor.
Bellorum Paciſque Dii, Laurique potentes,
Omnis in hoc unum turba voluta caput;
Arma citant, pietas urget, ſpes, vota reclamant,
Par agit in partes ardor utrinque pares;
Prævaleat pietas, fuge ſpes, ignoſcite ſylvæ,
Veſtra minùs quaſſæ gaudia mentis erunt.

Londini. cIↄ Iↄc xx.

ITALIA DECOLOR.

HEſperii Manes, Mundi morientis imago
Prævia, fæx rerum, ſplendida barbaries,
Marcide flos, cinis, umbra tui, ſalve Itala tellus,
Indigenam Patriæ frigidioris habes;
Inferioris habes, non deterioris alumnum,
Hoſpitii ſociâ qui rogo jura fide.
Illa per ingenteis olim dilapſa triumphos,
Illa ſuper geminum Fama levata Polum,
Quâ caput atque Orbis latè dominator ocellus
Diceris, hos oculos impulit, hoſce pedes;
Juſſit ab Arctoïs diſcedere littoris undis,
Quà Batavi fontem neſcit arena ſoli;
Scandere monſtroſum per inhoſpita nubila culmen,
Ferre per æſtivas torpida membra nives
Juſſit, & ô vanis utinam ne lapſa revolvens
Luſerit ignarum rumor imaginibus!
Infelix, at enim quàm priſci rara decoris
Semina, pauca virûm, nulla vigoris habes,
Nulla pudoris & ingeniti (fas dicere) bruto
Luminis, ingeniti, quas alis ipſa, feris.
Impia, divinos, ſpecie pietatis honores
Eripis immenſo, qui videt iſta, Deo;
Quod colis ipſa creas, quod edis colis, horreo dictis,
Mente Creatorem non capis, ore teris,

Cui

Cui gemitus de corde pios, cui viſcera debes,
   Contritique ſacras pectoris exuvias,
Dona viris, pueris ſpernenda crepundia profers,
   Æra, faces, tabulas, marmora, thura, ſonos.
Improba, cognatas agis in ſua viſcera dextras,
   Tota rubes fratrum ſanguine, tota Patrum:
Sicas, flagra, aconita doces, non prælia, civem,
   Ivit in acceptos fraus homicida jocos.
Luxu, fœda, fluis; quicquid congeſta dederunt
   Sæcula vel patras una vel exſuperas;
Non gladium raptor, non novit adultera legem,
   Non Sodomæ ſordes, non pice digna Venus.
Plura jubet calamus, jubet indignatio plura,
   Nî vetet ingenuus plura referre pudor.
Siſto manum, pede linquo tuos, indigna, Penates,
   Forſitan his olim qui capiatur erit,
Quo ſociæ veteres Romæ placuere Batavi
   Candor, & egregius mentis ad alta vigor
Fervet adhuc, ſtudiisq; idẽ CONSTANTER abhorret,
   Roma, ſed heu! quàm nunc altera Roma tuis.
En reducem dilecta tenes Hollandia Civem;
   Da ſubeat veteres non novus hoſpes agros.
Rettulerint alii inſanæ novitatis amorem,
   Italiæ ſolus tædia ſola fero.

Clavennæ in Rhætis.

CIƆ IƆC XX

EX ITALIA REDUX.

Ignoſcite viri magni, Pii atque eruditi, quorum in tanta barbarie ingentem numerum relictum eſſe oculatus teſtis aſſero. Sæculi apud vos vitia perſtrinxi, cujus adeò vos convitia non tangunt, ut ad laudem inprimis facere videantur: vos autem

Infractâ Cœlo meriti virtute locari,
   Nî foret in ſtellas aſtra referre parùm.

Itine-

Itinerarium Legationis ad Venetos
Autographum Lectori.

CVm Batavis Venetas ſocialis dextera vires
 Jungeret, & geminus mutua ferra Leo,
Tanta cui Proceres voluere negotia curæ
 Tranſiit has peregre me comitante vias.
Hinc levis in modicam crevi cum fœnore molem,
 Qualis in affixas maſſa voluta nives.
Qui totidem pernôſſe volet, non viſere, fines,
 En teneat domini ſedula ſcripta mei,
Et ſine dente jocos, expertes criminis horas,
 Innocuas noctes, & ſine labe dies.
Vidit hic, ille ſciet; tulit hic, fugit ille laborem;
 Quæro cui cujus gaudia pluris erunt?
Fallor, an ex trutinâ feret æquior arbiter æquâ,
 Ille tulit mentem quò tulit iſte pedem;
Sed Patrios poſthàc fugias præpoſterus agros,
 Si potè quos nôris non adiiſſe locos.

Baſilea.

cIↃ IↃc xx.

Pro eodem.

QVi negat hoc tam multa libro tam diſſona poſſe
 Dicier, & mixtos ſeria ferre jocos;
Quò ſibi tam veteres avias pulmone revellat,
 Audiat, hos Matri ſcripſimus, iſta Patri.
Qui duo ſunt & idem, quibus eſt mens una duobus
 Iſta legent, geminum quid vetet eſſe librum?

Spira.

cIↃ IↃc xx.

In

In Litem Poëticăm GROTII & GVIETTI,
ſuper vini atque cereviſiæ præſtantia.

Pindari vaticinium.

NEſcitis quod ſaxa ſciunt, qui ſola ſupremum
Fertis honorandi Carmina Vatis opus;
Celſior has animas vulgo diſcriminat ardor,
Et minùs immensùm Vate Poëta ſapit.
Fari facta leve eſt; infecti præſcia virtus
Illa dedit frondem Vatibus, illa fidem.
Sufficit indicio quo non ſublimior alter
Thebanam docuit Dorica verba Lyram:
Ille futurarum trans centum ſecula rerum
Proſpiciens oculo vaticinante rotas,
Et fore qui largo cerebrum turbatus Iaccho
Tolleret inſanum Gallus ad aſtra Deum,
Et quibus innocui, quantùm Dea miſta, liquoris
Sedat inexcultam ſobria gutta ſitim,
Impeteret ſiccas vinoſo ſcommate gentes,
Nominaque infami ter veneranda mero:
Cui Batavus (non ille quidem, ſi cædere, ſi fas
Pungere, vel pugno vel cariturus acu)
Blandior, aſſertique recens à Nectaris hauſtu
Redderet & ſapidas & ſine felle vices,
Verba laceſſitum non accuſantia pectus,
Nec ſine dente quidem, ſi ſine bile, ſales,
Ille ſacro madidam decidit carmine litem,
Ille Deo plenus dixit, ἄριστον ὕδωρ.

Londini.

CIↃ IↃC XXIII.

ACA-

Academiæ Lugduno-Batavae incendium.

Propr'id. Id. Novemb. cIↄ Iↄc xvi.

Vidimus horrendas ſubitò ſacra pulpita flammas
Tectaque Cecropiæ lapſa vorare Deæ;
Pulpita non flammis, non talibus illa ruinis
Auriacâ quondam tecta ſacrata manu.
Magne Deus! quas mente, Pater, quas concipis iras?
Quas rapido Terris incutis igne minas?
Si quid in humanos valeant præſagia caſus,
Arguit hoc turbas, turbida Leida, tuas.
Heu Sophiæ ſine lite olim, ſine crimine Mater,
Heu Batavi quondam floſcule, Leida, ſoli!
En quid agis? proprio laceras præcordia morſu,
Diſſidium, rixas, jurgia, bella foves.
Scilicet, hoſtilis cecidere incendia flammæ,
Uſtor Iberus abeſt, ureris igne tuo.

Coràm Rege Britan. Citharâ canturus.

Applicat auguſtam Regum ter maximus aurem,
Suggere non ſolitos, dextra Thalia, modos.
Quid pavido prodis paſſu tremebunda? quis iſte
Virgineo ſubitus funditur ore rubor?
Regius, agnoſco, percellit lumina ſplendor,
Torpida præſenti Numine lingua riget.
Cui tamen ore loqui Batavo datur, ille Britannos
Deſperet faciles in ſua verba Deos?

cIↄ Iↄc xiix.

Ad IACOBUM GEVARTIUM

Sen. Antv. à Secr.

In effigiem Cylindri glacialis, qualem paullo ante Antverpiani quidam vario poſt illum carmine ad miraculum elatum ad me miſerant. Meæ autem picturæ inſcriptio ſic habebat.

MIRA DE LENTE.

HORRIBILE PORTENTUM

HAGÆ COM.

V. KAL. FEBR.

PROCUL OMNI INDUSTRIA

EDITUM,

TOTA HUGENIORUM DOMUS ADSPEXIT,

TOTA DESPEXIT.

cIↄ Iↄc XXIV.

TAle ſuper tali ſurrexit marmore marmor,
 Talis ab Hollando ſubſtitit unda gelu,
Hìc ubi candidulos inter, ſua mœnia, colles
 Proſpicit Arctoüm nobilis Haga ſolum.
En iterum, Atuatici, rapite in miracula ſtillas
 Prodigii nobis non habitura locum.
NIL ADMIRARI prope res eſt una Batavos
 Quæ docuit temere nil timuiſſe viros.
Si tamen admotas eluſit ſtiria prunas,
 Si calidis algens ignibus arſit apex,
Qualis in Ætnæo (capitis portenta, Brabanti ?)
 Miſta nives didicit ferre favilla jugo,
Proſit aruſpicium, conſtent ſua fata cylindro;
 Ilicet, & ſtupidi quod ſtupeamus erit.
Cætera nec pueri ſuſpeximus. Ergo, Gevarti,
 Te quoque tantillo diriguiſſe gelu !

AD PATREM,

cum ipſi

QVERELAM BATAVIÆ

Cantionem hexaphonon

Cal. Ian.

offerrem.

SI Patriæ dubius (quam Dii prohibete) ruinam
  Intueor, lachrymas poſcere viſa fuit;
Si ſubit optatas referens feſtiva Calendas,
  Carmina, concentum viſa jubere dies;
Si lubet in ſuperas oculum convertere ſedes,
  Torva jubent humiles fundier aſtra preces:
Hinc triplicem (nam ſic Hollanda Tragœdia ſuades)
  Perſonam triplici munere functus ago.
Ploro, celebro, precor, Patriam, Dionyſia, Divos,
  Flente, ſacrâ, geminâ, lumine, voce, manu.
Accipe riden teis, rerum dulciſſime, fletus,
  Cantanteis lachrymas (vix mihi credo) damus.

cIↃ IↃCXIIX.

Mimeſis Grotiana.

BERGOPZOMIVM.

AREa magna ducum, furias fruſtrata facesque
Una ter Heſperias, & quam damnare ſupremæ
Ter voluere Dii, ter non voluere ruinæ,
Poſt tantas immota vices, interrita perſto.
Tertia Luna ruit, toties concuſſimus hoſtem,
Concuſſi toties; non eſt ſine ſanguine ceſpes,
Sævit atrox per ſumma, per ima, per infima fulmen:
Et minimum profecit Iber; præſtantior illi
Eripuit metator agrum. Fortuna, peractum eſt:
Sæpius hàc illude; tuus vix hoſte perempto
Qui tenet hos complexus Iber cum funere muros,
Sæpe ſit, ut non ſit, ſterili de pulvere victor.

cIↃ IↃCXXII.

Poſt diſputationem Iuridicam,
Lugduno diſcedens.

ET jam, Leida, vale: Patrias revocamur in oras,
Leida vale, Patrio dulcior una ſolo.
Hactenus alma tuo pendemus ab ubere Mater,
Portio Palladii quantulacumque tui;
Hactenus eſt doctis patulam dare vocibus aurem,
Hactenus eſt avido condere verba ſinu,
Hìc ubi Cecropias, Flandro præcone, per arces
Cornelius tacito deſiit ore loqui.
Nunc aliò trahit aura ratem; nunc altera mentem
Cura movet. Quæ, quæ meta laboris erit?
Te ſequimur, ſequimurque tuas mox, Curia, lites,
Curia curarum mater, alumna, penus;
Pulpita, roſtra, forum, ſententia, cauſa, clientes,
Nomina erunt ſtudiis non aliena meis.
Heu! rerum ſubito mutatam turbine veſtem,
Heu! citò Pieriis laurea fixa jugis.
O mea, ſed quondam, faciles in vota Camænæ,
O mihi Thymbræi numina culta Dei!
En ego, ſed primâ vix obrepente juventâ,
Eripior ſacris, turba ſacrata, tuis;
Eripior, nec ſponte feror, nec transfuga dicar,
Nec tibi perfidiæ criminis eſſe reus.
Quos modò per Patriam licuit tibi trivimus annos,
Quod ſupereſt ævi vindicat Haga foro.
Sic tibi, ſic, venerande cohors, damus ultima verba,
Relliquias priſci verba caloris habe,
Ne neger Aönios ægro pede linquere fontes,
Ne neger invitus dicere, Leida vale.

cIↃ IↃc XVII.

Epita-

Epitaphium RUTINGII *Eccleſiæ Belgicæ, quæ eſt Londini, quondam Paſtoris.*

DVm colit agrorum Domini Rutingius agros,
Chriſticolaſque ſacro gramine paſcit oves;
Sed ſuper ipſa pias extendens ſidera curas
Cœlica præ vili paſcua laudat humo:
Invida Mors (non eſt inopinam dicere: Certè
Invida delitiis Belga-Britanne tuis)
Evocat orbe virum. Sequor, innuit ocyor ille;
Et ſequitur. videas îſſe, nec îſſe putes.
Æquus Amor fuit, æqua Fides: hàc vivus eundum
Dixerat; excedens, hàc abeamus, ait.
Sic vitâ dubitare vetat, ſic morte, docere
Qui vitam valuit, non voluiſſe viam.
Quiſquis es (& voveo moneant exempla) Viator,
Sic, abiturus, obi; ſic obiturus, abi.

Lond. cIↄ Iↄc XXI.

Concordia diſcors.

cIↄ Iↄc XVII.

ILicet, partæ Batavum quietis
Tæduit Civem, pudet otioſæ
Deſidem gentis, pudet & beatæ
Ducere nomen.

Quiſquis ingentes animo triumphos
Exterûm volvis, quibus inter ipſas
Verticem, vel tunc miſeranda, fixit
Belgica nubes:

Quisquis indignum Populo ſubacti
Reris Hiſpani domitore feſtâ
Caſſidi natos redimire lætum
Fronde capillos;

Heu ! parùm noſtris agitate turbis,
Heu ! parùm noſtris tepefacte felix
Arbiter flammis ; age bellicoſam
Excute gentem.

Fervet, externo vacuum timore,
Belgium rixis ; metuenda plebi
Convolat plebes, bene ferre magnam
Neſcia ſortem.

* * * * *

Ex Anglia redux. cIↃ IↃc XIIX.

ANnuit cœpto Deus, & remotis
Exulem terris per aperta ſalvum
Rura, per ſilvas patriæ trementem
Iurgia vexit :
Annuit Sceptri Triados Britannæ
Triplicis Rector, tetigit Batavum
Quâ nihil noſtro viget orbe majus
Dextera labrum :
Annuit magno ſoboles Parente
Carolus vix nunc minor : annuiſti
Digna quæ tanto ſociata vivas
Anna Maritò.
Ecquid ingreſſum reduci, Penates
Patrii, lætum datis ? equid olim
Qui meos in ſe Batavos adegit
Excidit ardor ?
Ecquid, ut voces lachrimæ rigarunt
Ultimas, voces lachrimæ rigabunt
Denuo primas ; madidumque Salve
Patria poſcis ?
Ecquid . . . .
. . . .
. . . .
. . . . .

Veritas fuco pia ceſſit: heu, heu
Sæculi mores! Ego, nequid errem,
Cedo; quid tecum mihi publicarum
Sarcina rerum?

* * * * *

Epitaphium

IACOBI GRUSII.

QVicunque fluxas temporum exoſus vices,
Et ſempiternam mente præmenſus diem
Delira rerum deſpicis crepundia,
Ades Viator: iſta jam pridem mihi
Detexta tela, vel peracta eſt fabula:
Pridem illa Syrtis, illud omni torvius
Fretum Charybdi puppe trajectum meâ
Vix præteractæ fervet à veſtigio.
Vixi; iſta ſumma eſt: quantus aut quantùm rogas?
Spes Gruſiorum prima, Patris corculum,
Pupilla Matris, utriusque mel merum:
Formâ, lepore, præter annos indole
Par penè nulli, plurimis provectior,
Ter quinque paucos meſſibus junxi dies,
Cum parca pronam Parca deduxit colum.
Quid evocantis increpas Cœli manum?
Quid ampliores exigis, Pater, moras?
Præmittor. ecquid invides compendium?
Sequeris. ecquid ingemis functo viâ?
Fletus malorum buſta, non meum decet,
Matura vitæ nulla non finis bonæ.

cIↃ IↃC XX.

Ad IACOBUM CATSIUM,
Syndicum tunc Middelburgenſem.

NVm noſtri memor, Erudite Catſi,
Num noſtri memor uſque & uſque vivas,
Diverſo quoque nuper intuentum
Litus litore cive te ſuperbum,
Quantùm certior eſſe concupiſco,
Tantùm quærere diſplicet, pudetque.
Tactum floſculus horret, uva flatum,
Charitas violatur ambigendo.
Ecquid veſtra tamen Batava nuper
Viſum eſt commeruiſſe præla Tempe,
Vel de luſibus eruditiorum
Quæ ſententia ſtet ferenda noſtris
Curatum venio monere cures.
Deformes quoque Simiæ nec Urſæ
Foveri minùs ac placere partus.
Non auſim quaſi neſcias timere
Qui neſcis nihil, Erudite Catſi.

cIɔ Iɔc XXI.

Navigans Britanniam versùs.

In effigiem Patris.

HVgeniorum prole bis ternâ Patris
Blando ſeniles vertici ſparſæ nives,
Quantùmque vivi poſſit occurrit viri:
Qui candor intus, quanta virtutum ſtrues,
Quantùm decoris incolat, quantùm pii,
Non omnis ævi penna, non linguæ dabunt.

Ad D. R. THORIUM, *ſi fortè in has nugas incideret.*

DEſpecture parùm ſtabili titubantia metro
Scripta, parùm ſtabili gurgite nata ſcias.
Indignare tamen, vatum digniſſime Thori,
Nil, vel pontigenum, carmen habere ſalis.

Londini.

cIↄ Iↄc XXI.

THORIUS *ad me.*

NOn nova res dulces è ſalſo ſurgere verſus,
E tumido quales æquore Naſo dedit:
Non res mira tuis veneres in verſibus eſſe,
Ipſa ſit in medio cum ſale nata Venus;
Sed nova res, quo plura bibo, me plura ſitire,
Nec nova, ſi faciunt carmina ſalſa ſitim.

De effigie D. HUGENII *Patris, à filio delineata.*

HVgenius *ille Filii talis Pater*
Cum civitati filium talem dedit,
Seſe in tabellâ civibus pictum dedit,
Vt non Appelles efficaciùs queat.
At tu Parentem penicillo tam bono
Dum pingis, ipſum te tuendum publicas
Coloribusque lineisque tam bonis,
Imaginem ut quisquis videbit alteram,
Vidiſſe utramque jure ſe optimo putet.

R. Thorius.

Ad THORIUM.

QVod imperiti comparas Apellææ
Manum Batavi; quod ſales, quod & ſalſæ
Veneris lepores carmini bis inſulſo
Penituſque noſtro ſponte vadis aſſertum,
Thori diſerte, ringar, anne ridebo?
Ridebo certè candidæ dolum fraudis,
Blandâque paſcar veritatis offenſâ,
Formare quas Natura noluit formas,
Celare quos Natura protulit nævos,
Id eſſe vatum gnarus, hoc amicorum.
Thorius ut noſtrâ vidit nihil eſſe Poëſi,
Nil penicillo ſcivit illaudatius,
Riſit, &, ut par eſt parium præſtantia! dixit,
Quantùm hic Apellis, iſta Naſonis tenet.

Ejusdem ad me.

ESt ergo mendax Thorius? eſt adulator
Cenſore ſano, cuncta cui licent, Vate?
Quod riſit, & laudanda laude donavit,
Ac ſi nefas ridere, & eloqui verum?
Non ſic abibis; contumeliam tantam
Muſſare nolo: Hugene, dic locum & tempus,
Vtrimque decernamus ut pares armis.
Quamvis juventâ fervidus Dares adſis,
Alterque Proteus induas modos omnes,
Nunc claudicante, nunc gradu irruens recto,
Modò enſe ſex pedum, modò brevi ſicâ,
Ego gravis ævo, ſanguinis gelu tardus
Audebo magnum facinus & cothurnatum,
Audere quando cuncta vatibus fas eſt.

Quos-

Quoscumque incipies imitabor carmine motus,
Vt me eſſe factum intelligas umbram tuam:
Docte Hugene, tuam quoties pugnabis in umbram,
Plagas feres quot dederis, at minùs graves.

R. Thorius.

Ad eundem.

P*Vgnabo, quia Thorius vocavit,*
Deſpectâ modò turgidus ſenectâ,
Turgenti modò fervidus juventâ,
Ferventi modò nixus æquitate
Erupi, calamumque & ipſa movi
Quæ furor dedit arma; nec ruenti
Credas ocyùs evolaſſe tecto,
Cum flammas bibit Ilion Pelaſgas,
Et ſe Pergama nocte, ſed ſupremâ,
Viderunt mediâ, facemque victis
Idem contulit ignis & ruinam;
Nec nocturna viros ad arma, ad arma
Credas ocyùs evocaſſe, qui, ſe
Salvo vix ratus exſulem Parente,
Preſſit pondere verticem ſenili,
Dignum perpete verticem coronâ.
Mox ut preſſiùs uſque concitatæ
Occurrit furor inſolens ſenectæ;
(Naturæ placuit rapi quod uſquam eſt
Vicinâ violentiùs quiete)
Ut formis neque Proteo latere
Mentitis animum Viri manumve
Infenſi pote, nec Jovi latere
Sperandum, ſubeatne vel Iuvencum
Obtruſiſſe, vel Alitem, vel Imbrem;
Vt ſicâ nihilo vel enſe tutus
Occurras magìs, huic parem vel illi
Nacturo clypeum vel arma telo;

Hem ! dixi pede pallidus regeſto,
Pugnarem, niſi Thorius vocaſſet.

At tu parce minis in meritos minùs,
Pœnarum dedimus ſic quoque plus ſatìs:
  Deſint verbera verbis,
  Iani jam polliceor fidem.
Quotquot mundus habet corpora, ſi jubes,
Umbras credidero; denique, ſi jubes,
  Vel te, lucide Thori,
  Nî Phœbi nimiùm tenes.

cIↃ IↃC XXII.

Ad me THORIUS.

IActa eſt alea: pœnitere ſerum eſt,
Cum tuba inſonuit micatque ferrum.
I puer; Venuſinâ ab officinâ
Et binas pete Bilbili machæras,
Deterſis bene ſordibus nitentes.
Feſtina: en video gradu citato
Pyrrhum incedere flammeis ocellis
Spectandum, & patrius ferocem in armis
Enſem fulmineum manu rotare.
Nunquam iſthæc erit incruenta pugna.
Eho! cur genua & cutis tremiſcunt?
Non eſt hic metus, ut puto, ſed imis
Sic fervet mihi ſpiritus medullis,
Dum ſe colligit impotens in iras.
At moræ nimis, & nimis minarum;
Leges ponere tempus eſt duello.
  Cæſim, nec liceat ferire punctim,
Sed tuſim in latus enſe varicato:
Ante ictum moneant uterque amicum,
Totis nec chalybem vibrent lacertis:

Quod

Quod ſi longiùs evagantur iræ,
Bellum finiat Arbiter Bruartus,
Hærenteſque cuti duos Poëtas
Fuſo dividat affatim Falerno.
Tutæ hæc poſcimus æqua jura pugnæ,
Leges condere nam decet ſenectam.
Ergo Marte bono: hem, tibi caveto,
Hugeni optime: prorsùs efficacem
Paro in brachia verberationem,
Illa brachia, quæ mihi ſenile
Nodoſâ caput obtudere clavâ.
Iam feri ordine quos libebit artus,
Iucundum fuerit modò loquaris.

Quid fingis trepidos voce humili metus?
Anne ut lætificis excutias jocis
Splenem & pectus amicum
Armati ad ſpeciem ſenis?
Viſo ſic Priamo, cum galeâ caput
Et vinctum gladio deprimeret latus,
Illudebat Achillis
Natus non melior patre.
Sed fortes animos flectere neſcius
Contemnis ſenii nixibus irritis
Triſtes miſit ad umbras
Caſſum robore militem.
Tu cedente magis compoſitus luto
Audacem temere canitiem vides,
Imbelleſque tumultus
Et vento ſimiles minas.
Ætatis vitium diſſimulas tamen,
Et nudo lateri parcere providus
Bellum umbratile vitas,
Non me, ſed metuens mihi.

Meus

Meus ad I. BRUARTIUM D. M.
Receptus.

O He! minarum fulmineus modò
Quà rupit æthram detonuit fragor,
Et nubis horror Thorianæ
Decidit in pluviam Falerni.
Adſta, Bruati, perplacet, arbitro
Tali, duellum tale; ſed ut novis
Quàm ſæpè flammis concitati
Sæpe novo dirimamur imbre.

Fœdus firmatum.
THORII.

EN acquieſco; quippe mihi decus
Redintegratum eſt; non ego ſum ſitim
Salesque mentitus, meraci
Quando opus eſt fluvio Falerni.
Ferrum recondo: da mihi & accipe
Manum quieti pectoris indicem:
Ferrumen hæ lites honeſti,
Qui bene cœpit, erunt amoris.
O ſi Indiarum ſic querimoniæ
Componerentur! ſic Capitolium
Iunctum Lemanno, Hiſpanus acres
In Batavos aboleret iras!

R. Thorius.

SIC NOS SERVAVIT APOLLO.

Ad eundem,

Poſt obitum optimi Parentis Londinum reverſus.

THori candide, chare, clare Thori,
O non ultima tertiùm Britannos
Viſendi mihi cauſſa, penè quartùm
Prima, poſt Patriæ imperata Patrum;
Si priſci ſubeunt ſenem furores,
Si priſci memor uſquedum Duelli
Illos candiduloſque blanduloſque
Et ſe propter amabiles ocellos
Condis nube feroculus coactâ;
Heu, heu! parce minis & impotenti,
Imbelli, neque qualis olim amico:
Non ſum quem Batavi fuiſſe dicent,
Quem dicent Britones fuiſſe non ſum;
Languet priſtinus ille, languet ardor,
Defecit juvenem juventa, dicas
Imberbi puero gravem ſenectam.
Talem perpetui per ora rivi,
Talem inſomnia pallidæque noctes,
Nocturnique dies, & una ſemper
Curarum ſeries & unus horror
Perculſæ faciem dedere menti,
Ex quo me mihi fata chariores
Somno perpete condidere luces,
Illam illam ancipitis Pharon juventæ,
Quâ me ſoſpite ſoſpitem ſupremam
Dixi non malè non timere ſortem;
Quâ raptâ mihi ſorte nunc ſupremâ
Supremam libeat ſubire ſortem.
Quid cenſes animi, miſerte Thori
Rerum olim quoque non ſatìs mearum
Voto de meliore, quid relictum?
Si pugnans placui, placere nolo;

Nî nolim, nequeam; placere ſolâ
Quâ nunc parte datur placere fas ſit,
Hinc planctu, hinc lachrymis, utrimque queſtu;
Fac ſuſpiria quæ loquetur in ſe
Contortus dolor introïre pronam
Circumfuſa tibi ſinantur aurem:
Forſan qui valeat liquare cautes
Et ferro lachrymam imperare mœror
Non ferro tibi lachrymam imperabit,
Et ſolabere quem pudebit armis
Imbellem petiiſſe, inermem amicum.
Sin faxis; agedum, valeto longùm
Vano nomine vana Numinum vis
Vano culta mihi, valete Divæ,
Divæ Theſpiades valete longùm.
Stat ſententia; non placet Dearum,
Non ultra libet aſſeclam videri,
Quæ mores oculoſque ſpiritumque
Tam cultæ tibi tam ſinant ferocem,
Thori candide, chare, clare Thori.

Mari: in Angliam navigans.

CIↃ IↃC XXIV.

Ad eoſdem Hendecaſyllabos.

POntigenæ partus, faciles mea verba, Phalæci,
En ſtetit optatis fixa carina vadis:
Ite leves ubi docta pius medicamina miſcens
Suſcitat ingentem Thorius Hippocratem.
Salve, prima, Vale multùm, vox ultima ſunto;
Cætera non doceo, ne docuiſſe neger.

Epita-

Epitaphium Nomnæ de Lintelo.

TOlle pedem ſaxo, meus eſt cinis iſte, Viator,
Tolle pedem, nunquam deſiit eſſe meus,
Ut mea deſieris æternùm, Nomna, videri,
Ut procul orbato turture turtur agas.
Nil viduo divina toro, nil imperat ira
Sævius, hoc ſibi dant vulnere Fata ſatìs.
Pacato lachrymis, placato funere Cælo,
Quod ſupereſt, miſero vendico jure mihi.
Dulces relliquiæ, tanti tantilla peculI
Portio, quas Livor dixerit eſſe meas,
Vos ego, vos fontes jubeo potare perennes,
Vos hodie, vos cras parte madere mei.
Eſte mei cineres; donec qui gaudia noſtra
Semeſtri voluit limite ſepta Deus,
Quâ cœli ſtatione levis ludibria Mundi
Deſpicis, & nihili nomina, Nomna, vocas,
Congreſſus iterare dabit, quos limite nullo
Terminet æternâ Luce beata Dies.
Tum quoque credibile eſt communi membra ſepulchro
Eruta diverſum nil habitura ſui,
Et cineres ego, chara, tuos diſcrimine cæco
Veſtiar, & cineres tu quoque, chara, meos.
Jam ſaxo demitte pedem, meus iſte, Viator,
Eſt cinis, & nunquam deſinet eſſe meus.

cIↄ Iↄc xxv.

Nobi-

NOBILISSIMÆ

NOMNÆ A LINTELO,

QUAM SUAVI

CORPORIS ANIMIQUE FOEDERE

CONIUGATAM SIBI

VII°· POST MENSE,

HEU!

FATO PRÆCIPITI,

MORS ERIPUIT,

RVTGERVS HVYGHENS

VXORI INCOMPAR.

P. M.

OBIIT MIDELBURGI IN ZELANDIS

IV°· NON. NOVEMB.

---

cIↃ IↃC XXIV.

In

In Pætologiam.

Raphael. Thorii.

Quod jam ſumma procul villarũ culmina fumant,
Quod fumos bibit omnis ager, bibit omnis ab Aula
Ad caulam fumoſa domus, quod paſcere fumos
Fumoſos Equitum cum Dictatore magiſtros,
Quod pueros fumare juvat, fumare puellas,
Molliùs indignor. quin tecum ignoſco puellis
Et pueris, aula, caulis Equitumque Magiſtris,
Prime pater Pæti, fumantum gloria, Thori,
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Sedule; Te prætore magis lippire decenter
Quam lachrymâ ridente putant; jucunda cuique
Te Medico tuſſis, cui nec pituita moleſta eſt,
Creditur inſtantes membris emungere morbos.
At mihi quod ſacrâ latet in vertigine multò
Præcipuum eſt; hos te calices feciſſe diſertum:
Hæc aliquid certè fumo facundia debet.
Fæcundi calices, felix vertigo, ſaliva
Nobilis, inſignes lachrymæ, gratiſſima tuſſis,
Me quoque, ſi parcè videor laudare merentes
Inſolitas calicumque ſuper præconia laudes,
Me quoque vicinis afflatum credite fumis,
Et ſicco titubare mero; brevis iſte futurus
Eſt furor, exierit ſenſim veſania primi
Turbinis, aggrediar ſtabilis de nare tepenti
Fundere cum fumis quæ vos per ſæcula vectent
Verba, vetentque mori, nolint Iovis ira vel ignes.
Pro fumi! ſed & hic furor eſt; ignoſcite vobis,
Fumoſoque mihi; ceſſem fumare, tacebo
Sobrius, & ſapiam; labris encomia, linguâ,
Dentibus occludam. quid enim, ſi Thorius unum
Arguit ipſe ſui reliquum feciſſe ſtuporem?

In eandem.

CArmina ſputantur fumi potoribus,audi
Maſſiliæ ſi quem fumea vina juvant.
Thorius exemplo docuit ſpumantia multùm
Pocula, fumantes omnia poſſe tubos.

In hyemem ejuſdem.

SIc Medicè decuit,ſic ſe curaſſe Britannè ;
Poſt fumos nidore frui,meliore culinâ
Poſt lachrymas avidæque irritamenta ſalivæ.
En ego me, Thori, convivam ſiſto, vel umbram,
Qualemcumque vocas. juvat in tot fercula fundi,
Et faciem variare gulæ ; juvat eſſe lepores
Et lepores. juvat omne tuis condire meracis,
Brumaleſque dies,niveas, te judice,noctes,
Noctibus & dubias confundere Solibus umbras.
Tu modò,livor,ades, nec prandia diſce Galeni
Semper fœtida,nec putâ Permeſſide ſemper
Paſcier,aut ſolo veſci nidore Poëtam.
Hem ! tales nec aquæ pariunt,nec ἀδειπνία Brumas.

CONSTAN-

CONSTANTINI HUGENII

EPIGRAMMATUM

Lib. X.

cIↃ IↃC XLIV.

In Natalem meum.

SEptember idem venit & Septembrium
Quartus dierum, quo novellum ſæculi
Civem Batavis Haga me dedit meis.
A lacrymis cœptum eſt iter quod exigo;
Per lacrymas perrexit, & ſic deſinet.
Interpolatum gaudio ſi quà fuit,
Parùm perenni, ſemper infido fuit,
Et quale Solis ſæpè momentaneum
E nube rorida micat nimium iubar;
De cætero μόχθος fuit, κόπος, πόνος,
Et ſumma merces livor, aut ingratiæ.
Vitâ priori ſi frui bis vivere eſt,
Ne cogitando bis quidem vivam libens,
Minus revivam, vel peractis denuò
Spinas roſaſque permeem veſtigiis,
Primaſque retrò fabulæ ſcenas meæ.
Si, quod futuri conditum nigrâ ſpecu
Producet in diem dies, vultu venit
Non lætiore, non minus claudo pede;
Volate cœli & ſiderum volantium

Cum ſorte noſtra & morte vectrices rotæ:
Nec admovete ſtamini parcas manus,
Parcæ ſorores, quo peracto deſinam
Spei metuſque, gaudii & luctus, mali
Bonique ferre reciprocè fœdas vices:
Quæ ſumma voti eſt, deſinam ſummè malus
Summè bonum irritare peccando Patrem.
Properate Septembres mei, non abnuo
Mutare ſedes, & rebelli ſarcinâ
Exutus æternum Deum, æternam diem
Adire per breviſſimas vitæ vias,
Et, quod timere nemo ſobrius poteſt,
Mortalitatis ultimum ſuſpirium.
Audebo magnis parva votis addere?
Non abnuo videre quamdocunque ſit,
Quàcumque ſit, Dei, ac diei compotes
Mauritium ſimul meum & Stellam meam.

In Heinſii lectulum, mediâ Bibliothecâ collocatum, Mathematicè.

MAximus illuſtri metatus caſtra Lycejo
  HEINSIUS in mediâ Palladis arce jacet.
Non poterat meliore loco, liber ipſe librorum,
  Et ſpirans uno Bibliotheca Tomo.
Quæ circumſiſtit ſpatiis æqualibus ingens
  Ingentem, doctum docta corona virum,
Indicat hoc unum, nullo diſcrimine, cunctos
  Æquali punctum tangere amicitiâ:
Indicat hoc unum, nullo diſcrimine, quidquid
  Omnia ſciverunt ſæcula, ſcire caput.
Nempe quod à centro par eſt diſtantia cuique,
  Hùc ſimul, hùc æquo tramite quiſque ruit.
Si facies oblonga tamen pugnare rotundæ
  Creditur, & non hic circulus eſſe locus,
Excute ſublimem potiori parte Matheſin,
  Quæ conſtanter idem forma loquatur habes:
Conus

Conus hyperbolico diviſus ſegmine Centro
  Fulget, & hi Radii, ſcilicet, hic focus eſt.
I nunc & Meccæ lapides & pendula vani,
  Quæ non invenies, ſomnia vatis adi.
Hic ſe magnificis medius magnetibus, hic ſe
  Divinus dubio pondere librat homo.

Ad Iuliam è Cancro ægram.

HÆc eſt illa feræ tandem vindicta juventæ;
  Quâ me læſiſti tu quoque tacta lue es.
Diſce age quid per te, quid non, retrograda, ſenſi,
  Quæ tum tota meus, Iulia, cancer eras.

De eâdem.

QUi leporem nequeat Cancer, capit ecce lepôrem;
  Nempe quod eſt uno tardior iſte pede.

Poëtæ examen ad tria Iuris præcepta.

PUngere qui Satyrâ cupis & vir honeſtus haberi,
  Nulla quod evites Regula Iuris habet.
Crede, licet ſtatuas alium non lædere, magnâ
  Libertate dari poſſe cuique ſuum.

Ad magiſtellum ſolæciſmus excuſatur.

O Facinus dirum! petii cum pane butyrum:
  Da, dixi, BOTERAM. num melius poteram?

Ad Adolphum Vorſtium, Cimeliorum Americanorum Principis Mauritii Naſſovii mecum ſpectatorem.

AMice VORSTI, qui comes grandis viæ
Perambulabas, aſſidens foco, mihi
Et Occidentis arbitro, blandè gravi
Et eruditè nobili Mauritio,
Ipſum Occidentem, cum ſtupore ſaxeis
Oculi dolerent intuendo; quid tibi
Et ipſa res & ipſe viſus eſt Herus?
(Heros, volebam; mos Iambo metricè
Fuit gerendus) vis meam ſententiam?

Non miror hunc tot monſtra, tot miracula
Qui continentem, diſſitam vaſto mari
Et inſularem adiverit, periverit,
Ornaverit, ſubegerit Americam.
Hunc miror, hunc amplector, hunc abſentibus
Qui grandem Olindam voce præſentem, libris,
Manu miniſtrâ præſtet, hunc Americam,
Hunc Inſulam tot monſtra, tot miracula
Qui continentem, continentem fecerit.

Conſilium Viatori.

SI pluat & nudis Arabum deprenſus arenis,
Non ſit quò fugias, nec ſit ubi lateas:
Exue & exutas toto tege corpore veſtes:
Si totus timeas nempe madere, mades.

Impar congreſſus.

SI comitem parvo magnum contemplor amicum
Otia fraternis fallere colloquiis,
Succurrit par non impar, diſcordia concors
Hexametro miſti carmine Pentametri.

Ad Phyllidem.

PUlchra places: ſed Phylli, mala es; ſic nolo maritam:
Virtus eſt placitis abſtinuiſſe malis.

In munitionem, Rebus, à Gallis in confinio Flandriæ occupatam.

NEc modus in Rebus, nec certi denique fines:
Spes modò quas habuit Gallia Rebus alit.

Ad implacabilem Parentem.

DUre Pater, quâ fronte negas ignoſcere natæ
Humani culpam criminis? ecquid homo es?
Peccati veniam ſolus, ſi fortè quis extat,
Qui non peccavit, non dare jure poteſt.

In præſtantiſſimi Poetæ Gallici Cornelii Comœdiam, quæ inſcribitur Mendax.

GRavi cothurno torvus, orcheſtrâ truci
Dudum cruentus, Galliæ juſtus ſtupor
Audivit & vatum decus Cornelius:
Laudem Poetæ num mereret Comici
Pari nitore & elegantiâ, fuit
Qui diſputaret, & negarunt inſcii;
Et mos gerendus inſciis ſemel fuit;
Et, ecce, geſſit, mentiendi gratiâ
Facetiiſque, quas Terentius pater
Amænitatum, quas Menander, quas merum
Nectar deorum Plautus & mortalium,
Si ſæculo reddantur, agnoſcant ſuas.
Tandem Poeta eſt: fraude, fuco, fabulâ,
Mendace ſcenâ vindicavit ſe ſibi.
Cui Stagiræ venit in mentem, cui?
Quis quâ præivit ſupputator Algebrâ,
Quis cogitavit illud Euclides prior,
Probare rem veriſſimam mendacio?

Ad Barlæum.

AMpullatarum vægrandiloquentia vocum,
Amſtelredamum ſeſquipedale nimis
Non facit ad noſtrum, fateor, Barlaee, palatum:
Eſt in magnifica voce modus, ratio.
Laudo leves ſine felle, graves ſine folle loquelas:
Rumpatur quiſquis rumpitur eloquio.

Ad liberos, cum exanthematis contage domeſticâ ſucceſſivè decumberent.

QUina Patri proles animâ dilectior; audi,
Communis papulæ quid ſibi plaga velit:
Fraternos animi motus, ſociamque ferendi
Quidlibet harmoniam denotat iſta lues.

Sic mater Natura docet, quæcunque cuique
Acciderint, omnes omnia velle pati.

In controverſiam de Coma, in Batavis agitatam.

OCcupat illuſtres calamos, ſuggeſta, ſcholaſque
Res hodie, quid res? recula; nempe Pilus.
Parcite materiâ dignæ meliore papyro:
Decidi verbo lis malè mota poteſt.
Eſt ubi longa viros veſtit coma, lege receptâ?
Eſt ubi non longo fæmina crine nitet?
Eſt ubi conſuetudo vetus non grande marito
Imperat, uxori grande capillitium?
Quidquid in his ſexûs turbat diſcrimina, quidquid
Vim patriis infert moribus, in vitio eſt.

Ad Ioh. Beverovicium, urbis Dordracenæ Senatorem & Archiatrum.

VNde fit hoc, BEVEROVICI, quòd Epiſtola multi
Nominis, & tantùm ſpe mea, nulla venit?
Unde quod infami penſas quaſi damna libello,
Qui, facie intortâ, deſiit eſſe meus?
Non quo ſub prælo ſudaret Epiſtola, ſed quod
Quis per Epiſtolium quæreret, illud erat.

In obitum Ioannis Albert. Banny I. C. Muſici.

BANNIUS, humanos moderatus lege magiſtrâ,
Correctum ſuperos ivit ad aſtra modos.
Poſthac, Aſtronomi, Cælis confidite; tandem
Veſtra ſolæciſmum ſidera non facient.

Epitaphium ejuſdem.

BANNIUS hic ſilet. ô triſtes epicedia Muſæ
Dicite, nec Charitum de tribus ulla ſile.
Quid vero? tacet illa cohors, nec præfica magnis
Funeribus, magno in funere plectra movet.
Hæſitat; hæc ratio eſt; poſt Banni fata choraulæ
Neſcia quâ leſſum lege modoque canat.

De-

De Gravelinga capta.

QUæ ceſſat grave lingua melos,captâ Gravelingâ,
Dicere, grande nefas & grave lingua facit.

In hortos Toparchæ Spyckii grandi impensâ ſactos iniquo ſolo.

ADdidit hoc decus his arvis illata potenter
Naturæ tantùm non violenta manus.
Arſſenius, prædI gratus poſſeſſor aviti,
Ne pereant natis parta labore Patrum,
Queis alius Veſtæ ſpoliavit viſcera foſſor,
Condit hic in Veſtæ viſcera foſſor opes.
Appoſitum eſt,quæ ſunt Terræ committere terræ,
Qui cinis in cineres ipſe redibit Homo.

Ad ditionem Waſiam Comitum Hollandiæ olim caſtrenſe peculium.

PRiſca redit rerum facies : ſubmittere Fatis:
Iure ſuo Batavis, Waſia, cede meis.
Cede libens quod, ſi non ceſſeris, ultima coget
Invitam clades, ultima flamma dare.
Si quid ab anguſto ſperas improvida rivo,
Et Vahalim & Moſæ vaſta fluenta vide:
Quod Batavi toto nequeunt Tiberique Padoque,
Intima terrarum tu Rubicone tegas?
Crede mihi,quos accenſum prodibimus ignes
Pluribus obſtandum eſt, ut reprimantur, aquis.

In Saſſam Gandavenſem eodem ex ſolo inſtaurari & muniri cœptam quo expugnata fuit.

PRô ſuperi, quibus Hiſpano ſunt perdita glebis
Servari Batavis mænia poſſe meis!
Si, quâ ſunt laceræ, coëunt virtute ruinæ,
Si, modò quæ fecit vulnera, ſanat humus.
Si valet ante alias, & in ævum ſaxea durat
Herôo multùm ſanguine terra tepens,

Amiſſi ſpem ponat Iber, quòcumque Batavos
Victores victrix poſſit arena ſequi.
Tu verò quæ ſulphureo nigra fulmine, tota
Vulnus es & lacerâ virginitate ſedes,
Saſſa, Philippinæ tandem ſoror, exere vultum;
Nec pudeat primi criminis eſſe ream;
Auriaco compreſſa, etiam non virgo, pudica es:
Effugit invictum nulla puella procum.
Nec pellex, neglecta, time; nec adultera dici:
Uxor es & fido nupta marita viro.
His operis docet, hoc tanto munimine conjux,
Quàm te perpetuò pervelit eſſe ſuam.
Mox ubi tot Lauros paries quot Flandra quotannis
Oppida, conjugii pignora pulchra novi,
(Ecce puerperii decus & miracula) tandem,
GANDAVI, pridem filia, mater eris.

In præſidium Agri Auſtriaci prope Saſſam.

DIvinate. ſubimplexa eſt ænigmate Saſſa:
Quæ ſua ſunt, Batavis hoſtica terra tegit.
Parta ſibi ſervant inimico vindice: prædam
Auriaco cuſtos aſſerit Auſtriacus.

E Flandria receptus.

QUàm nos fata velint Morinis unirier ipſo
Hinc in diſceſſu lucida ſigna docent.
Obſiſtunt Euri, ſubducitur unda carinis,
Sicca tenet Batavas Flandrica gleba rates.
Quò fas & Natura vocant & Fata Deorum,
Crede nefas homini, Flandria, nolle ſequi.

In ebrium rivo publico ſubmerſum.

GRavis Lyæo & inſtar amphoræ turgens
De ponte præceps in Dearum amplexibus
Imæ paludi præſidentium quidam

Humentis

Humentis actum fabulæ ac diem clauſit.
Epitaphium eſt: Alchymicè, timens fumum
Et empyreuma, vaſe duplici vitam
Decoxit hic, in Balneo Mariano.

In eundem.

POtus & inflato nondum ſatis utre natator
Per Batavam Sygias Aulus adivit aquas.
Tanti eſt quidque ſuo curari tempore: paulò
Seriùs, heu! vino miſcuit Aulus aquam.

In eundem.

AUlus bibendo feſſus humidorumque
Satur oſculorum nocte, nocte Brumali,
Scyphis datorum cantharifque dilectis,
Lunâ facem negante palpitabundus
Fatum Leandri pertulit natatoris.
Adverte,potor caute,quàm brevi diſtant
Spatio ſalubre & noxium, quid interſit,
Aquamne vino miſceas,an aquæ vinum.

Ad Renatum Carteſium, cujus hoc Axioma.
Ego cogito, ergo ſum.

NEquit tuus non eſſe, qui te cogitat,
Quod es, ſtupendum veritatis vindicem;
Qui verba damnas fraudulenti commatis,
Fucum ſcholarum, futiles præſtigias
Inaniarum, ſplendidas inſcitiæ
Larvas, & omnem ſæculi hiſtrioniam:
Qui rebus inſtas, qui quod eſt quid ſit doces,
Non quod videri poſſit aut pravè ſolet:
Qui ſic per imas intimarum partium
Graderis latebras, ut quod eſt denſiſſimum
Patere rari retis inſtar feceris.

Quid

Quid retis? anguſtiſſimas anguſtia
Rei creatæ feceris tuam Stoam,
Præ quâ Stagiræ ſordet ambulatio.
At ſic, Amice, ego cogito, ergo ſu.

Tuus

C. H.

Ad Flandriam.

FLandria, flos BelgI, ſociis hinc inde petita
Viribus, hinc precibus ſollicitata, veni.
Offerimus, quam, ſi capias, das ipſa ſalutem;
Quam, ſi non capias, eripis ipſa tibi.
Quæritur, an ſociata velis & libera dici,
An te ſtrata novo prodere ſervitio:
An dominos mutare, an majeſtatis avitæ
Cum Batavis toto ſplendida jure frui.
Trade manum properè non victa, nec elige vinci:
Tutius eſt, ſi te vincere prima potes.

In
LAMBERTI GORIS I. C.
Syndici Noviomagenſis
ad Conſuetudines Velaviæ Commentarios.

HAs chartas reverenter adi: plus ipſe modeſtâ
Fronte, mihi, Lector, crede, receſſus habet.
Goriſides Patriæ non ſoli jura clienti
Aſſerit: auguſto grandius urget opus.
Tota parum patula eſt ſatagenti Geldria: Geldra
Confines populos, & ſua ſcita docet.
Nimirum cum Sole docet quàm præſtet inerti
Terrenæ virtus cœlica larga ſui.
Nemo ſuis verò temerè diffidat agellis,
Cui Natura negat, germinat arte ſolum.
En ſteriles cauſſata diu Velavia glebas
Quantâ & vicinos fertilitate beat!

In

In mortem Vrbani IIX. Pontificis Poëtæ præſtantiſſimi.

PApa Poëta diem clauſit : commota laborat
Roma, quis hæc dignè clauſerit oſſa locus ?
Parcite, quà jaceat, proſcindere viſcera ſeptem
Collibus : in bifido Colle locandus erit.

In electionem Pontificis Innocentii X. poſt Vrbanum IIX.

PApam Innocentem cæca ſors Romæ dedit,
Nec cæca forſan: ecce, Patrum copulâ,
Urbanitati proxima Innocentia eſt.

In ſerenum aërem quo Conſtantia Baudania in Indiam Orientalem ſolvit.

QUid patitur Natura, quid Autumnalibus horis
Rarus in Eôo flammicat æthre rubor ?
Scilicet Auroræ thalamos Conſtantia victrix
Occupat, & victæ conſcius ora pudor.

Ex Gallico Fabri ſcriniarii Adami de Nevers, ad Iuliam quam equus luto adſperſerat.

DEſine quadrupedi gravis eſſe,&,nomine verſo,
Quæ non eſt bruti culpa,fatere tuam.
Quam poterant ſiccare tui duo,Iulia, Soles,
Et non ſiccarunt,Terra moleſta luto eſt.

In Incendium templi Aulici ad Pontificios exultantes.

ROma,quid exuſti lætaris fornice templi ?
Tam tu ſæva tui non memor eſſe potes.
Quàmque tuas toties experta Eccleſia flammas
Pulchrior è flammis exiit uſque tuis !

In

In nuptias cujuſdam Conſtantiæ.

TAndem, cui Conſtantiæ conſtantia
Tot conſtitit laboribus conſtantibus,
Conſtare conſtat mente, conſtantem ſibi,
Ex quo, ſibi conſtantiam Conſtantiæ
Conſtare certus, poſſidetur, poſſidet,
Amat atque amatur par pari conſtantiâ.
Supereſt, amici, in gratiam conſtantis, &
Conſtantiæ vovere, ſponſo id optimè
Quod credimus conſtare, ſtare

CONSTANTER.

Ad Wendelinum ceſſantem de Momentis deſultoriis reſcribere, Epiſtola.

SI placui, ſi non placui Deſultor, utrumvis
Innue: vel nigro ⊙ benignus eris.

In effigiem meam.

ORdinis & Veri & Iuſti CONSTANTER amantem
Hugenium ſi quis noſcere curat, hic eſt.
Quidquid ad has quiſcumque vides accedere laudes,
Fama, levis, mendax, garrula finxit anus.

Ceſſantes molæ.

DEficit aura molis, &, ni ſuccurrit egenti
Æolus, inſtantem proſpicit Haga famem.
Corporis humani ratio eſt quæ mentis alendæ,
Si ceſſent vento paſcier eſuriant.

Ad mercatorem Epigrammatis cujuſdam mei ſalebroſum interpretem.

DEſine terribili noſtras implectere ſpinâ
Jam ſatis illepidas, Amſtelodame, roſas:
Deſine vertendo verſos ſubvertere Verſus,
Quodque potes ſolùm vertere, verte ſolum.

De

De Euclione.

Anu maritâ liberatus Euclio,
Cum viſus eſſet, lachrimis ſiccè madens,
Non ſeriò dolere, juravit deos
Cæli ſolique uxore dilectiſſimâ
Nil ſe prius habuiſſe, nil antiquius.

Ad Amicum.

DIſcrimen ingens nos, amice, diſcernit,
Amore conjunctiſſimos: ſoleo nempe
Aulæ tumultum non amare, tu multùm.

Adultera.

POllicita eſt fore perfidam, fit perfida: damnat
Iulia lex vitium; nempe proſodiacum?

Cinna ſolitarius.

QUærenti, ſolus cur mallet rure vagari,
Quàm ſociis vitæ Cinna viæque frui,
Non mihi cum ſociis, inquit, libet otia ſtultis
Perdere: Reſpondi, Nec mihi, Cinna, vale.

Ad Nicolaum Heinſium D. F. Spadâ reducem.

CEdite, Pegaſei Fontes, & fabula fiſſi
Montis: habent acidæ quo rubeatis aquæ:
Eſt in Spadana veſtræ vis æmula rupe,
Dignum laude virum poſſe vetare mori.

In M. F. Langreni Σεληνοδυσμόν.

PArcite virginea nævos in fronte Dianæ
    Quærere, qui radiis itis ad aſtra Sophi:
Nobilis infami divam fuligine Cenſor
    Liberat, & vitio verſa decora probat.
Langrius, audaci ſubiens convexa volatu,
    Primus in illuſtri ſidere caſtra facit,
It fœdæ pertæſus humi quà ſanguine nullo
    Lurida perſpicuis ripa lavatur aquis.
Surgite, mortales ægri, de fæce maligna
    Terrarum, quas in fruſta furor ſecuit,
Et fratrum temeratus amor dulcedine prædæ,
    Et malè mentitum publica jura nefas.
Integra res alibi eſt. ſocias in regna tiaras
    Langrius & gratis & ſine lite vocat.
Exuat invidiam proles inſana Philippi;
    Hic & Alexander quo ſatietur habet.
Nondum ſic veteres avias pulmone revello?
    Qui loquor hæc, ingens ipſe dynaſta loquor.
Sed loquor immeritus. Quid agis, clariſſime Langri,
    Quâ me fronte Deos inter & aſtra locas?
Excidis intentis, ingentibus excidis auſis;
    Impare congreſſu corruit iſte labor.
Tota nitet virgo, totius Cynthia Cæli
    Inſtar habet; quot ibi caſtra tot Aſtra facis.
Tolle quod hic unum ſordet: Quod Regibus addis
    Hugenium, malè; quod ſideribus, macula eſt.

In expugnata & mox diruta Hulſtæ propugnacula, Sanctorum titulis inſignita.

HUlſta, caput Waſiæ, pretium expugnata Stratego
    Vile meo magni ſola laboris erat.
Proxima vicinis inſtat victoria Divis:
    Cedit ſanctorum longa catena virûm.

Nempe

Nempe nec Auriacis res eſt indigna triumphis,
Dura catenatis ſolvere vincla deis.
Quid tamen eſt cauſæ cur tot tibi, victa, deorum
Tutelam victrix eripit, Hulſta, manus?
Neſcis fortè? puta victorem dicere, ſoli
Sancto ſanctorum fidere diſce Deo.

Ad Hulſtam.

IGne triumphali mediam te cingimus, Hulſta,
Indicium hoc noſtri flammeum amoris habes.
Tu quoque reſpondes,& mutua fulmina mittens
Pectoris en, inquis, mutua flamma mei.
Accipimus grates, reſpondeat ignibus ignis,
Eſto tuus noſtri pignus amoris amor.

In Danielis Segheri Roſas.

ARdua Naturæ Matri cum Patre Seghero
Lis fuit, utrius cederet utra Roſæ.
Succubuit convicta Parens, ſe judice, Vivus
Coram factitio floſculus umbra fuit.
Si quis es emunctæ naris, jam deſiit, adde,
Vivus odoratu vivere, pictus olet.
Adde; minor Pictore dea eſt; invenit Olivam
Pallas, at hic oleum fecit olere Roſam.

Amantis.

HEi mihi, quem poſſit finem ſperare malorum,
Quem quantùm terrent omina, torret amor.

In prodigioſam Autumni ſiccitatem, obſeſſâ Hulſtâ.

QUæ quondam attonitos fauſti miracula Cæli
Servavere Patres, iterum clementia Patris
Æterni attonitos voluit ſpectare nepotes.

Nempe quod Ægypto ſicci maris unda reſiſtens,
Autumno vergente palus non humida Flandro eſt.
Non facimus Fortuna, Deam: Deus unicus illam
Arcet ab his armis nubem, Deus armiger. At tu,
Tu populi tutela tui, da gratiùs iiſdem
Patribus agnoſcant eadem portenta nepotes,
Gratiùs illud agant, populus tuus eſſe, Batavi.

In Hulſtæ Obſidionem.

Peripateticorum. O Bambulantum Secta, quæ Naſſavio
Dudum Statego placuit, hactenùs placet.
Succeſſit illâ potior & magis nocens,
Galerie. Nocens Ibero: Stoa cognomen dedit.
Id Hulſta mox probabit, hanc obambulans
Ut circuivit, introibit Stoicè.

In eandem.

TRajecit Brugæ latices, & paſcua Liſæ
Litora, & armatâ Scaldin utrumque manu.
Nunc duplices cinctæ foſſas Arauſius Hulſtæ
Trajicit, impoſito Pontis ubique jugo.
Magni Pontificis Batavi, quæ prona ſolebas
Itali, adorandos, Flandria, diſce pedes.

Ad Hulſtam, ut properet ſe dedere.

HOſtica virgultis impletur Foſſa Batavis,
Hulſta, nec his, audi, faſcibus omen abeſt.
Succumbes, mala, ſuccumbes, (hoc ligna loquuntur)
Ni ſapis, irati Faſcibus Auriaci.

Ad eandem expugnatam.

HOſpes in hæc oculos qui rudera conjicit, iſthic
Eſt ſita, vel meliùs dixerit Hulſta jacet.

Tam lacera eſt; tam contiguo ſibi vulnere diſpar,
Ut liceat, num ſit; quærere, ſi ſit, ubi?
Tu tamen hanc ſapienter ama bene diruta ſortem,
Nec te pœniteat pulveris, Hulſta, tui.
Crede mihi, hoc ipſum quod Ibero ſtante ſtetiſti,
Præ quod ab hinc inſtat ſtare, jacere fuit.

In Albo Samuelis Sorberij.

SOrbere ſi quis poſſit & ſimul ſlare,
Noviſſe Sorberium poteſt & odiſſe.

In Albo Iacobi Pylii Senatoris Dordraceni.

QUando ſic, vir amice, jubes, en dextra fideſque:
Nomen habes inter nomina magna meum:
Quale quid in Cœlo fulgens, quod dicere Stellam
Cum nequeas, Stellæ ſchema volantis habet.
Quidquid id eſt, placet augurium, quod jungimur ALBO;
Quod ligat hanc primus CANDOR amicitiam.

Barlæo culpam deprecanti, quod Epigramma meæ inventionis ſuis verbis exornaſſet.

PAuperiem Vatis Vates miſeratus amici
Privato partus veſtiit ære meos:
Barlæo Hugenium involvit; Male juncta benignè
Reſpuit invento frigida verba bono.
Quanta viri pietas, pretioſæ veſtis amictu
Induere impenſis non ſua terga ſuis!
Serius excuſas culpam Barlæe? Nec iram
Scito nec invidiam te meruiſſe meam.
En ego materiam miſerandi ſæpe daturus,
Quintuplici cinctus prodeo prole Pater:
Nec capior ſumptu; nec, ſi ſuccurrere quiſquam
Occupat, oblatam ſperno ſuperbus opem.

Perge libens armare meos in frigora natos:
  Quin hoc ſi libeat ſæpe licere puta.

In ejuſdem Epigrammata quibus Templi Amſtelodamenſis incendium celebravit.

CUm Templi fumaret apex, & inutilis eſſet
  Ya, nec Amſteliis proficeretur aquis,
Fabrica magnificis ardens excuſſa columnis
  Horrida, momenti clade, ruina fuit.
Nec ſtetit hic Cæli rabies, crudelior atrâ
  Peſte novos auxit atra favilla metus.
Horruit ad cinerem plebs conſternata, novique
  Semen relliquias credidit eſſe mali.
Caſtalios tandem latices de fonte perenni
  Iecit in infidos Muſa miſerta rogos.
His flammæ fuit inſtar aquis, & ſiccior ille
  Vincendus liquidis ignibus ignis erat.
Si qua ſub his porrò fumantia rudera terrent,
  Si qua ſub infami fomite pruna latens,
Dormite, Amſtelii, meliori fulmine cæcas
  Barlæi domuit Muſa diſerta faces.

Ad Th. Graſwinckelium epiſtola.

NIſi ATeiſta es, vir virûm Doctiſſime,] & Indicum Te, ſcilicet, ſimplex tuum,] amare pergis quantum ego te diligo,] ego Te Batavum: deinde, ſi quid ſuppetit] felicis herbæ, quo quidem genium tuum] fraudare poſſis abſque magno incommodo:] Accedo ſupplex, & rogo tantâ doſi] beare me promus velis quantâ putas] egere amicum cujus è cerebro diu] utrumque lumen nimius humor obruit,] & his domari fortè ſe foliis ſinet.] Cum meſſis horum ampliſſima horreum meum] diſtenderet, multi ſciunt viri boni,] quâ liberalitate

litate quid profuderim] in obvium quemcunque qui nutu modò] egere teſtaretur. Hinc de prodigo] mendicus, ut fit, ad pedes jaceo tuos,] & optimi Te vel pugillum vel minus] ab optimo Te (nempe ſi quid relliquum eſt)] citò, citò, citiſſimè mitti peto]. Devincies, Amice, devinctum diu] conſtantem amicum & ſemper addictiſſimum.] Scribebam ad Hulſtam ſeptimo & viceſimo] Octobris, Anno MDCXL & V.]

Domi meæ curabitur, ſi quid jubes.

Reſcribit Graſwinckelius.

EN *quod à me vis, Te. At quid non me? qui met in te ſic ſum, ut non tam ſim in me: ne dum ut plus in me ſim quam in Te. Sic eſt: cui ſe mens dat, in quem ſe fert, & huic ſtat, quin & hinc ſic ſtat, ut jam nec plus id ſit, quod eſt. Non ſcit quid aut ſit, aut quid in ſe ſit. Et hæc vis; ſed cui & jus ſit: nec non & hic fas eſt ac jus; ſed in quo tam vis ſit quam lex, cui ſe aut jus aut fas dent. Do quod mi eſt; non Cha, ſed Te. Do A & ω, at cui? Huic qui mi & A & ω eſt. O & ſis! dum ſum, qui ſum.*

In effigiem I. Mauritij Com. Naſſavij.

MItte, quis hic niteat ſub majeſtate verenda
Blandæ, ſpectator, quærere frontis honos.
Si Patriæ Alcidas, ſi Belgica fulmina noſti,
Mauritium hunc ſatis eſt dicere Naſſavium.
Quære tamen, ſi quis dubitas, cur laurea pictor
Noluit heröum cingere ſerta caput;
Nempe timens oculis totum ſubducere; tantâ
Sæpe triumphator fronde tegendus erat.

In eandem.

TAlis ab Occiduis lauro ſeptemplice vinctam
Caſſida Mauritius rettulit imperiis?
Erraſti, manus incidens. injuria utrimque
Victori medium dividit umbra diem.
Debuit his radiare genis & lucis Eoæ,
Pictor, & Heſperii Solis utrumque jubar.

Ad Antverpiam.

ILicet, Hulſta manum, poſtico falſa, clientem
Mitibus Auriaci ſubjicit imperiis.
Omina ni fallunt, cecidere ſuburbia magnæ
Urbis. in Antverpam proxima tela cadent.
Audi pulchra, ferox audi; nec ſperne minantes,
Ore licet Batavo, damna propinqua Deos.
Neſcit Iber quo deſertam munimine ſervet:
Nec verò Batavis ſanguinolenta places.
Victricem, non ultricem Clementia dextram
Porrigit: hoc noſtri pignus amoris habe.
Conſtabit Civi regimen, conſtabit avitæ
Romanus patribus Relligionis honos.
Ni properas, non conſtabunt. favor arma laceſſet
Contemptus; legem victor utriſque dabit.
Elige amicitiâ vinciri, an vincier armis,
Stare, puta, ſoror, an ſerva jacere velis.

In N. Plantæ Mauritiadem.

PLantarum memoranda ſeges comitatur ab imo
Veſpere victoris tempora Mauritii.
Fas erat Americæ perarantes viſcera terræ
Totum Naſſavios ſubdere Veſputium.
Evellenda fuit ſtirps cum radice ſubactæ
Telluri, ne non tota ſubacta foret.

Bar-

Barbara frons fronti Batavæ collecta coronam
Implicat & lauri perpetis inſtar habet.
Currite ad hæc avidi noſtrates dona Galeni:
Gratior aſpirat naribus aura meis.
Appulit has inter plantas his floribus, hiſce
Fructibus in Patria nunc quoque PLANTA virens.
Appello Hippocratem: dicet convictus, Eoas
Inter & Occiduas non habet iſta parem.

Vis vini varia.

VIna movent animos, hilares tibi, Belga; feroces,
Bellaces, tumidos, humide Teuto, tibi.
In vino veritas prohibet Romana poëſis
Dicere: Germanè corrigitur, feritas.

Ad Gandam.

NOndum, Ganda, venis? nondum ſapit ore Batavo
Oblatæ toties nomen amicitiæ?
Nondum, virgo, capis, quis honorem Belga tueri
Virgineum, quis te perdere tentet Iber?
Nondum quid liceat populis à Rege ſubacto
Deſertis flammas inter & arma capis?
Erige te, proavûm virtus, & moribus aude
Antiquis vires diſcere, diva, tuas.
Hulſta manus, non victa, dedit: vincenda ſuperbis
Præpoſuit pacem provida conſiliis.
Hic eſt proximus Ucalegon: Interrita, victrix,
Libera quod metuas velle, coacta potes.
Illam vis major, quid major? maxima culpam
Eluit, illa Deo judice cauſa bona eſt.
Fata ſinunt cedi extremis, & parcere Civi,
Quem qui defendat non venit, ipſa monent.
Parce bono Civi, quem qui defendere poſſit,
Promittit ſubitum machina nulla Deum.
Parce, nec Auriaci ramum tendentis Olivæ
Sanguine fraterno coge rubere manum.

Inſula, ſi dubitas, intacto ſyrmate ſoſpes,
 Soſpes erit totis faſcibus imperium.
Quid ſupereſt tanto cur ceſſes cardine rerum
 Eripere indigno Belgica colla jugo?
Poſce; damus Pacem cum Libertate. Quid ultra eſt?
 Proſperitas? rerum copia? poſce; damus.
Summa rei eſt: quod es eſſe potes: ſed, Fratre Batavo,
 Et meliùs quod es & tutiùs eſſe potes.
Nondum, Ganda, venis? nondum ſapit ore rotundo
 Oblatæ toties nomen amicitiæ?

Ad Danielem Seghers, præſtantiſſimum Pictorem, miſſis à Principe Globulis precariis aureis, quales Paternoſtros vocant.

NOn aurum, Seghere, tuum penſare metallo
 Intendit Batavi dextera blanda Ducis.
Non facimus vim confeſſo: non credimus aurum
 Poſſe, quod invicti Principis aura poteſt.
Conamur tibi te globulis refferre rotundis:
 Immortale tui Circulus inſtar habet.
Denique non auri cruſtis infida Batavi
 Gratia: Ut hæ pilulæ, tota per-Auriaca eſt.
Aureum ab Auriaco torquem ne reſpue, tanquam
 Impia ab Hæretica munera miſſa manu.
Quem colitis, columus votis ardentibus: idem
 Ille PATER NOSTER creditur eſſe Deus.

Caput factitium ſtatuæ Proditoris, ex Marini Italico verſum.

INteger in mundum veni: juſtiſſima truncum
 Fecerunt, dempto vertice, ſupplicia.
Arte reſarcitus, caſu deformia rurſùm,
 Ecce novo mutilus vertice, colla gero.
O rigidam juſtamque manum quàmcumque ſeveri
 Numinis, ô dignas crimine vindicias!
Heu miſero cùm prima mali ſuccurrit imago,
 Cur non hoc potiùs Fata dedere caput?

Ad

Ad eundem.

VIciſti, Seghere, tamen: jam γνῶθι σεαυτὸν:
Aude quid valeat ſcire ſtupenda manus.
Succubuit Natura parens; ipſæque fatentur,
Queis ea ſuccumbit, ſuccubuiſſe vices.
En quæ viva Roſa eſt, moritur; quæ mortua, vivet:
Viva perit, fictæ flos Amaranthus erit.

In obitum Archiepiſcopi Cantuarienſis, capite truncati $\frac{10}{20}$ *Ian.* 1645.

OCcidis infami, Primas Gulielme, ſecuri:
Non caput hôc ſolum ſchiſmate, membra labant.
Anglia, quàm bene rem gereres, Eccleſia ſi nunc
In partes tantum ſciſſa ſit iſta duas!

Pro Rectoratu Iohannis Polyandri.

CEde ſeni non invitos, Academia, faſces;
Fide cui fauſtum fidere ſæpe fuit.

Ad Ad. Vorſtium, cum electione Rectoratus Magnifici excidiſſet.

SUfficit Imperii faſces meruiſſe videri:
Victrix cauſa Diis chara ſit, iſta bonis.
Eſſe potes Rector, Vorſti, & non Rector: honores
Magnificos parvi pendere magnificum eſt.

Ad Conſtantinum Imperatorem eâdem electione prætcritum.

COntemne, Conſtantine, digna contemptu
Sapientis: Intus præſtat eſſe Rectorem,
Satis atque abundè Rector eſt, modò ut totum
Sibi imperare conſtet Imperatorem.

Ad utrumque.

SCilicet Imperium capitis reverentia cani
Abſtulit. ætati ceſſit adeptus honor.
Non eſt cur pudeat victori cedere, ſolo
Victorem ſenio qui ſciat eſſe ſenem.

B. Hiſpanis V.

DE Beta totum Batavis certamen Ibero eſt;
Quidquid habent, hic havet; quidquid havent, hic habet.

In Danielis Segheri flores.

HOs dicis florem Pictorum pingere flores?
Gignere dic; flores gignere, floris erat.

In Pinacothecam Schurmannæ ipſius ſtupendis operibus inſtructam.

CUm faceret nihil, hæc ludens miracula fecit,
Hanc ſobolem thalami neſcia Virgo tulit.
Ergo tuam, peregrine, fidem, quid ſeria Nymphæ
Ἔργα putas, cujus tanta πάρεργα vides?

In mortem Adoleſcentis ex arbore lapſi.

MIraris pueri lapſum pereuntis? in illa
Arbore maturum crede fuiſſe pyrum.
Stat ſua cuique dies; cum venerit ultima Fati
Linea, planicies fraxinus aut fovea eſt.

Cum mors venerit, in medio Tybure Sardinia eſt. Mart.

Ipſe loquitur.

FAta regunt homines: liceat tamen addere caſum:
Ambigis, & caſu me periiſſe negas?

In

In Cl. Salmaſii librum de re militari Romanorum.

SI quis in hoc artem populo neſcire videris
  Bellandi, magno ſub duce, tiro, mere.
Primus in hac acie Salmaſius omnia, primi
  Quæ potuere Patres, quæ nequiere, docet:
Hoc ipſum, quod ſe docuit didiciſſe docendo,
  Ornatum veri Militis eſſe togam.
Non mirare ducem, falſi proſtrata fugantem
  Agmina Romano milite, nil fugere?

In incendium Templi Novi Amſtelodamenſis, ex Italico meo, cujus eſt initium, Giunſe fiamma ſottil.

ILicet, incenſum Templi laqueare piorum
  Incenſus toto Numine fregit Amor.
Pervaſit tectum Pietas ardentior, arſit
  Hinc paries, illinc diſſiluere trabes.
Flammantes animæ, quæ vos amentia turbat?
  Quæ vos portenti ſollicitudo novi,
Et caſſus ratione dolor? reparabile damnum
  Sentiit æthereis æſtibus uſta domus.
Flamma Deo placuit: cœleſti fornice tectas
  Qui voluit, fragilem deſtruit igne ſtruem.
Surſum oculos, ubi mille micant illuſtria vobis
  Sidera, mille, bonis fulmina fauſta, faces.
Cui mundi convexa favent, quem gratia Cœli
  Protegit, ingratè ſe neget ille tegi.

Ad Amicum ſecundas nuptias ſuadentem.

DEliberare me jubes de nuptiis
  Tandem novandis. Obſecro, tandem ſile.
Tam res periculoſa libertatis eſt
Vel ſubjugandæ vel tuendæ libra, vel
Videtur annis libero ſeptem mihi,

Ut

Ut ſeriis, nec ſeriis ipſis ferè
Deliberationibus deliberer.

In incendium Templi novi Amſtelodamenſis, cujus tectum conflagravit ¹⁄₁₁ Ian. 1645.

SUnt quibus aſpergi lacrimis incendia noſtra,
Sunt quibus in riſum vertere damna placet.
Quidquid id eſt, quod fortuitis Eccleſia prunis
Arſerit, indigno carpis iniqua joco.
Tu noſtro flagrare Novam ſine crimine rides,
Quæ veterem flammis perdere, Roma, doces?

In Germaniæ cladem.

SUſpirant Aquilæ repentes, clara triumphis
In Cœlum Cœlo lilia nata volant.
Cæſaris auguſti ſublatus in ardua ſplendor
Cæſaris anguſti debilitate cadit.

In Epigramma Schurmannæ ad me, cujus poſtrema verba ſunt, quas (grates) tibi cum nequeam reddere, nomen habe.

NOmen habe, Schurmāna canit: lepidiſſima virgo!
Nomen habes, nequiit dicere, dixit habe.
O ſi ridendo potis eſſet dicere verum,
Si, quod habet, dando nomen habere daret!

Ad Barlæum.

VIcimus & vidui viduis impune lienem
Raſimus, & verum Teſſela blanda tulit.
Sic ſapere audendum eſt; corrumpunt vulnera mites
Chirurgi; cum res exigit, ure, ſeca.
Vin' tu diſcere, vis verbo, Barlæe, doceri,
Quâ rigidi tutò conditione ſumus?
Quantùm lance bilanx, bipes à pede diſtat, ab ira
Diſtamus; Lis eſt denique, bilis abeſt.

cIↄ Iↄc XLVI.

Ad Teſſalam, de Barlæo Monitum.

TEſſala, tot monitis toties de fraude Poëtæ;
Nunc quoque de inſidiis certior eſto novis.
Ille tuos montes, & quæ quaſi penè Gigantum
Æmula, non unâ robora rupe locas,
Ille tuos laudat Fontes, ille antra deabus
Commoda, & hac propter non odioſa Diis?
Crede mihi, quod in ancipiti gladiator arena,
Quod nudo liber vertice Falco facit,
Aut Aquila, aut ſerpens Epidaurius, omnis ab illâ
Gente, licet probitas emicet ore, facit.
Non feriunt quo collimant; quod lumine lævo,
Non eſt ſemper idem, crede, quod ungue petunt.
Ille tuas, Rhetor, latebras ſacroſque receſſus
Prædicat, aut lucos ille, Poëta, tuos?
Teſſala diffide; eſt viduæ, eſt ſoli quod in aurem
Inſpiremus, & hoc pondus in augurio eſt:
Non it eò nequam quò ſe vult ire videri:
Hoc agit? hoc ergo non agit. Hoc agitur:

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * * * *

Si dubitas, en quantus ego, quem reſpuis, auctor,
Quàm potior monitis cautio nulla meis.
Ut meliùs furem nemo quàm fure revelet,
Optimus agricolæ cenſor ut agricola eſt;
(Me quoque Paſtores vatem dixiſſe memento)
Hæc ego de fucis ipſe Poëta loquor.

In I. Smithij Noviomagum.

DE luce lucem mutuare nemini
Proclive non eſt: Hoc agunt qui nil agunt,
Niſi id quod actum eſt, proferunt nihil, niſi

Quod

Quod protulere doctiores aut avi,
Aut fortè patres. Smithius non ſic meus;
Non ſic: Avorum nemo quod, nemo patrum
Pervidit, hic pervidit, & meos docet
Princeps Batavos, oppidi ſedem ſui,
Et illud olim illuſtre ſeminarium
Virtutis, illud nunc & armorum penu,
Quod maluit non eſſe quàm jugum pati
Ferox Batavûm ductor, Inſulæ ſuis
Adhuc Batavæ deligens forti fugâ
Princeps receſſum. Diſce, Lector, Smithio
Docente, ſi Batavus es, quò ceſſeris,
Et unde, cum ſiniſtra fluminis fuit
Siniſtra ripa, dexteras invaſimus
Dextrè paludes: diſce nec fumos puta
Gerraſve vendi; teſtibus teſtaceis
Efoſſa fimo veritas fumos fugat,
Nummi loquuntur, fruſta, lampades, ſtyli;
Elingüe marmor aſſeret, cum Smithio,
Hìc eſſe ſaltus, hìc Rhodum. Mirare nunc,
Lector, docentem Smithium quod neſcias,
Niſi de tenebris Smithio accenſâ face,
Prodente Patriæ ſitum Patriæ ſitu.

In ſpeculam Noviomagi editiſſimo murorum angulo ſuperſtructam.

HOs tumulos pede non trepido, quàmcumq; dolenti,
  Claudius afflictos inter adivit avos:
Hìc ſtetit, hìc frendens Aquilas, hìc lumine torvo
  Mœnia Romanas vidit adire manus:
Hìc potior de ſe viſa eſt victoria victo,
  Prudenti Patriæ conſuluiſſe fugâ:
Hìc flammas in tecta ferox araſque focoſque
  Partitus, ſteriles hoſtibus exuvias
Obtulit, atrum, immane nihil, veſtigia rerum,
  Quas niſi noviſſet perdere, perdiderat.

Quàm

Quàm facies hodie rerum diverſa refulges,
Quam ripæ Dominos nos utriuſque facis!
Immineant Aquilæ; facimus quod fregimus, urbem
Deſtructam propriis ignibus extruimus.
Si quis ab hoc, hoſpes, caligas culmine, plus quàm
Viderunt Batavos diſce videre meos.
Ante pedes olim Vahalis fuit? additur ecce
Rhenus, & ante oculos, Iſala, Moſa propè eſt.
Surgimus, atque eadem eſt urbis quæ collis imago;
Proſperitas illi quod novus huic dat apex.
Quæris adhuc cur impoſitum ſibi Pelion Oſſa
Sentiat & ſummâ celſior Arce micet?
Res humilis mons eſt; Speculam ſuperaddimus, ut ſe
Deſpicier nobis maxima quæque ſciant.

In Regij fundamenta Phyſices.

PArticulis, ais, hìc iterùm puераſcimus? ô tu,
Quiſquis es in ſenio qui fugis eſſe puer,
Hoc mundi ſenio, his annis puerilibus, omnis
Cum puer à tergo it mundus Ariſtoteli,
Edoctus mundi partes & ſi qua proinde
Subdiviſa novis partibus eſſe ſolet,
Crede tuas, Lector, partes, ne in partibus erres,
Has benè, non partim, diſcere particulas.

In effigiem Henrici Brunonis.

QUi verſum in verſus hominem vis pingere, fruſtra
Ni verſum nôris pangere, pingis homo.
Non eſt lineolis Brunonis reddere vultum:
Pingendus totidem verſibus ille fuit.
Summa rei eſt, toto dignos Brunone colores
Ut ſemel abſolvas, pinge Poëmatium.

In ejuſdem effigiem plumbo delineatam.

MIramur mutam effigiem quam vivere dicas?
Brunonis geſtum verſificantis habet.

Tu

Tu tamen erraſti, pictor: monochromate totum
  Verſificatorem reddere, deſipere eſt.
Verte ſtilum; pro quo verſus vomit ille calore
  Pingendus vultu verſicolore fuit.

In Alberti Dureri picturam chalcographicam.

THeſaurum, ſpectator, habes, quem dicere fas eſt
  Aureum, ut abjecto ducat ab ære genus.
Dureri divina manus quidcumque ſub ullo
  Sydere, Naturâ luxuriante, viget,
Æternum facit ære ſuo. Stupet ipſa ſuperſtes
  Ad recreatoris vim recreata ſui,
Duritiemque datam fluxis quam vel Jovis ira
  Non poſſit, vel edax non abolere dies.
Nos verò magè miramur, nil durius eſſe
  Durero, quo nil mollius aſtra vident.
Vive, vir excellens, quando dedoctus obire
  Quantus hic eſt Orbis totus in ære tuo eſt.

In ejuſdem Xylographicen.

ÆNea Dureri duram monumenta ſenectam
  Ferre, parum, dices fortè, ſtuporis habet;
Môme, ſed è ligno tabulas quâ dixeris arte
  Vitales nullo poſſe perire ſitu?
Audio & adſtipulor: non hæc ex ære perenni,
  E ligno vitæ lamina ſecta fuit.

In effigiem mulieris Scoticæ, quæ 9. liberos uno partu edi-derat, Dureri αὐτόγραφον, quod penes me eſt.

PRolis ter ternæ rarâ compage parentem
  Rarior Alberti penna ſemel peperit.
Pace meâ novies Mater non, viva, fuiſſes,
  Pace meâ decies, fœmina picta, fores.

Piger.

VUlt piger & non vult: nec gaudet velle, nec audet
  Nolle: movet, jacet: it, non it; & hic & ibi eſt.

Pax

Pax Monaſterienſis.

PLenipotens collecta diu facundia tandem
Implevit gravidam plena Monaſterium.
Aurea Pax, ajunt, Cœlo revocabitur alto:
Pacificæ cedent arma nefanda togæ.
Credimus? an fatuos inſomnia, quod ſit, amantes
Luditis, & vanæ lactat imago ſpei?
Plenè mendacem ſocio ſe plenipotenter
Quiſque probat, falli & fallere plenipotens.
Planè nemo loqui ſatagit: quin plana loquenti
Cui liceat planum dicere nullus adeſt.
Interea plenè potatur; plenipotenter
Mergitur auratis aurea diva ſcyphis.
Deſperare, rogo, liceat de Pace, potenti
Fraude, patente dolo plena Monaſterium.
Aurea Pax res Concilii, quid? plenipotentis?
Plenè potantis? planipotentis erat.

In A. Vinnii ad Inſtitutiones D. Iuſtiniani Notas perpetuas.

AFfer ad hæc frontem explicitam, rugiſq; benignis
Scriptorem ingenuum, candide Lector, adi.
Si crambe bis cocta datur, bis cocta palatum
Afficiet, lepido tota novella coquo.
Hìc, ubi tot videas perituris perdita chartis
Nomina, PERPETUAS præſtitit ille Notas.
Dictârunt proavi, nunquam ſatis optima dici
Quæ quiſcumque ſatis diſcere nemo poteſt.
Sit Cæſar pro Sole: tamen ſub nube latenti
Phæbo Luna, faci fax adhibenda fuit.
Vinnius hanc tibi, tiro, operam, ſi dicere verum
Nil vetat, hanc navat vel, veterane, tibi,
Vel vobis, Terræ Domini, collectaque Regum
Nomina pacificâ, PLENIPOTENTE manu.

Quin, Cæſar Germane, tibi. Mandata, quod audis,
  Non intellecti Cæſaris eſſe puta.
Si dubias olim licuit prætexere leges,
  Deſiit ambiguis ſenſibus eſſe locus.
Fruſtra nos tardæ Synodi facundia vexat,
  Pagina VINNIADÆ tota Monaſterium eſt.
Invenies parvo Pacis momenta libello:
  Longa tribus verbis corruet ira Ducum.
Præcipit heic ALIUM NON LÆDERE. Te tibi teſtem
  Sume, ſit arbitrii propria cauſa tui.
Eloquere, an culpæ reus, an ſis criminis expers:
  Si reus, en quâ te, lege lavande, laves.
Poſtulat hoc unum Cæſar, cum Cæſare Reges,
  Patria cum lachrimis, REDDE CUIQUE SUUM.

Ad Patres Ieſuitas, pro Patre Daniele Segero, Pictore celeberrimo.

NOn ſatis adſtipulor vobis, ignoſcite Patres,
  Per quos Segero non datur eſſe Patri.
Ille Pater nobis non eſt, qui gignere neſcit,
  Omnibus indignus nomine Patris ἄπαις.
Quid verò, Segerus ἄπαις? qui pene paterno,
  Cœlibe, viventes gignit ubique Roſas?
Qui, quod naturæ matri non contigit, ipſis
  Æternis tantùm non dat olere Roſis?
Talia qui patrat Patriæ Patribuſque, videtur
  Ille mihi patratiſſimus eſſe Pater.

Ad eoſdem, in Crucem auream Dan. Segers ab Auriaco Principe dono miſſam.

DIſcite, ſeu ſociis libeat ſeu fratribus eſſe,
  A Romæ quondam Fratribus & ſociis,
Quos vano Batavos dictatis crimine Chriſti
  Tollere nolle Crucem, tollere nolle Crucem.
Nec potuit verò Crux de graviore metallo,
  Nec potuit Patri de meliore dari.

Si gravior Chriſti eſt (hoc ipſo dicimus auro)
Aurea, vitalis, ſana, ſalutifera eſt.
Tolle Crucem ſecure Pater de pondere; nunquam
Ulla ſimul gravis ac aurea maſſa fuit.

In eandem Crucem.

INanis Arbor, quâ pependit in Cœlum
Rediens Jëſus, i Patres ſalutatum
Quaſi Jeſuïtas, qui redire de Cœlo,
Verbis Jëſum quinque cum libet credunt.
Dic eſſe te munuſculum Patris verè
Jëſuitæ, nempe Naſſavii Patris;
Qui conſidentem à dextera Patris in Cœlo
Jëſum adorat, Judicemque de Cœlo
Pravis probiſque proſpicit reverſurum.
Si fortè quærunt, unde qui Cruci fixus
Moriens pependit non adornat hoc aurum,
Dic quinque verbis noluiſſe de Cœlo
Redire, clamantem VENITE ME VERSUM,
Et quattuor SURREXIT, adde, NON EST HIC.

In eandem.

COnfundunt elementa vices: Crux lignea triſti
Mole Patrum miſerè languida membra premit:
Aurea, quam Patres vel Marte vel Arte ſequuntur,
Patribus, aut fallor, non ſolet eſſe gravis.

Ad eximium Epigrammaticum.

NEmo negat, Mævi, ſcribis planè atque rotundè,
Et quàcumque ſtilum vertis acumen habet.
Hoc tamen, hoc, ſalvis Naturæ legibus, unum
Neſcio, quì pungant plana, rotunda ſecent.

In obitum I. Polyandri.

EXuit ad vitæ metam quas exul & infans
Kerchovius Metis induit exuvias.

Fortunâ nolente ſenem vox extera fecit,
Eripuit ſceleri barbara lingua virum,
Quantum Leida virum! quantum non obvia quæq;
Sidera nec temerè ſæcula quæque dabunt:
Quem dederis Romæ civem, cui patrius ipſe
Sermo Palæſtinæ ſancta loquela fuit;
Quem veteres Gandæ ſubduxiſſetis Athenæ,
Celta putat, novit Belga fuiſſe ſuum;
Qui populi Paſtor duplici ſermone, ſcholarum
Multiplici, aſſiduus Rector utrique fuit;
Omnibus omnia; facundâ Pietate modeſtus,
Doctâ, prudenti ſimplicitate pius.
Multiviro tribuere ſuum fata aſpera nomen:
Hic πολλοὶ ἄνδρες, hic Polyander erat.

Ad Frid. Spanhemium cum Epicedium à me poſceret in mortem I. Polyandri.

FAcunde Rhetor, ſæculi Chryſoſtome
Balbutientis, cujus ore mel merum,
Mel eruditum, manna præſentaneum
Stillare, quid ſtillare? totis imbribus,
Torrente toto gurgitare qui vident,
Videre vix credunt ſibi, qui non vident,
Negant videri poſſe; per fidem tuam,
Poſt illud eloquentiæ flumen tuæ,
Poſt illud eloquentiæ fulmen magis,
Quid impotentiæ fidem tentas meæ?
Appello, ſi nos audiunt, manus ſacros
Kerckhovianos: Umbra, quæ cæleſtibus
Immixta dudum futilem neſcis humum,
Et illud omne terreum quod vivimus,
Quod inſtar umbræ eſt, ſæculo ſi quà vacas,
Decide litem: Quæro quid Spanhemium
Corvis poëtis aut poëtriis putes
Feciſſe picis relliquum, poſt aureas
Locutiones lachrimaſque argenteas,

Et

Et ære ſempiterno epos perennius?
Agnoſco latam cœlitùs ſententiam:
Reſpondet umbra ſemper æqui judicis,
Catonis umbra cælico-cenſorii;
Si flere cum Spanhemio probum & pium,
Tacere poſt Spanhemium ſcitè loqui eſt.

Ad magnum, olim, Poëtam.

TEmpus erat quo te faſſi ſumus eſſe Poëtam,
   Et merito faſſos novimus eſſe tuo.
Poſtquam cum ſenio langueſcit vena, fatiſcit
   Gratia, quæ paris, ex tempore nata mones.
Nil opus eſt ſcribas, quæ nunc, ex tempore ſcribi,
   Ex illo ſeſe tempore ſcripta probant.

Ad Aulum ſerò pœnitentem.

ULtima præteritæ impendis ſuſpiria vitæ;
   Serius hoc? certè ſeriùs, Aule, facis.

Ad Poſthumum.

POſthume, vis gravis adſcitâ gravitate videri,
   Futilis eſt, quia non utilis, ille labor.
Omnibus à puero fecit natura moleſtum:
   Non eſt quod ſimules, Poſthume, vis gravis es.

---

cIɔIɔcxlvii.

In Euſraſiam meam Præfatio.

NE lege me, cui menſa nitet meliore ſalino,
   Nec cìbus aſſueto mollior ore ſapit;
Ne lege me, moneo: non eſt quo lumen utrumque,
   Non eſt alterutrum quo doluiſſe velis.
Imploranda fuit quæ ſe vernacula virgo
   Virgini & huic durum Muſa probaret epos.
Talis danda fuit tali medicina palato,
   Exegit Batavos ægra Batava modos.

Si tamen hæc aliquis vultu dignare ſereno,
  Cui patriæ non ſit patria lingua meæ;
Eſt ubi divertas; eſt quæ delectet euntem,
  Si piget ignoto flumine, ripa decens.
Invenies illic lapides Oriente petitos,
  Liliaque Argivis Itala miſta roſis:
Guſtabis ſubducta ſacris, extorta profanis,
  Non nova conſenſu fercula grata novo.
Ut malè conſutæ pretium det fimbria veſti,
  Ut, ſi diſpliceant ἔργα, πάρεργον ames.

Ad Amicos.

ERgo quod à veris potui miſerandus amicis
  Officii, à vobis, Optima turba, tuli.
Concuſſere domus noſtræ ſuſpiria veſtras,
  Agnovi gemitus vos gemuiſſe meos,
Vos lachrimis voluiſſe meis quaſi fonte lavari,
  Cujus amicorum nec gravis unda genis.
Sufficit, ultrices furias, quas, ſentio, noſtri
  Vexato nimius ſubdere tentat amor,
Abdico: virtutis læſæ patientia plagas
  Rectiùs & victrix leniet ira ſui.
Ultio, vera probi non eſt ſolatio: vera eſt,
  Poſſe ſibi innocuo dicere, non merui.

Εςι καὶ παρὰ δάκρυσι
  χείμαρον
Ηδὺ βροτοῖς ὅταν ἄνδρα
  φίλον
Στενάχῃ τις ἐν οἴκῳ.
  Eurip. Archel.

Facit indignatio verſum,
  Iuſque datum ſceleri.

Epitaphium Scorti.

HIc Thais reſupina jacet pro more: jacenti
  Eſto, precor, tellus, quod fuit illa tibi.

Fur

Fur è furca.

FRegeram poſtes cuneis & uncis.
Par pari reddunt: geminis viciſſim
Poſtibus frangor. Nihil eſt ab omni
Poſte beatum.

In Agyrtam.

CReditus eſſe Patris, mœcho patre natus Agyrta eſt:
Creditus Archiater ægros homicida necavit:
Creditus uxori tabulis faviſſe ſupremis,
Exhæredatæ tranſcripſit jura propinquis.
Non vixit malè, qui natus moriênſque feſellit? *Hor. 1. Epod. 17.*

In obitum Iohannis Bevervicii Senatoris & Archiatri Dordraceni.

DUm calamos calamo doctos doctoque pioque
Seria ſollicitat cura Bevervicii,
Ambigui, fixo num conſtet cardine vitæ
Terminus, an dici mobilis ille ferat;
In litem Libitina venit: mors ſola fatetur
Quantula ſint hominum ſomnia in ambiguis,
Terminus ambiguo lucem fatalis ademit.
Hei mihi, quàm malè non mobilis ille fuit!

In F. Spanhemii Rectoratum Magnificum.

QUæritur, Henricus Rectorem fecerit, anne
Debita virtuti gratia Spanhemium?
Hunc certè, qui magna diu, qui maxima fecit,
Serò favor cœpit dicere Magnificum.

Ioci moderamen.

VEnuſta multos dictio, lepor ſummis
Natans labellis vellicante pruritu

Vexat ſilentes, mordet, urit, incendit,
Niſi excreetur cujus in faciem cumque.
At incidentis, inquiunt, joci gratæ
Vices habentur; eſt ferire jucundum,
Eſt & feriri. Non negamus: hoc unum
Monemus: abſit à joco nimium veri
Pungentis œſtrum; lude molliùs, multùm
Refert, jocus ſit incidens an incîdens.

Studia conjugum.

MOechatur & rem deſerit domeſticam
Maritus: iſthæc prona negligentia eſt.
Mœchatur & marita: ſed quæſtum facit;
Ni fallor, hæc ſupina diligentia eſt.

Ad Electorem Brandeburgicum pro Barlæo.

PRædeſtinatum nempe Barlæo fuit
Ducalis auri munus auguſtiſſimum,
Quantumque pondus aureis verbis fuit,
Auro rependi maximus Septemvirûm
Pro more juſſit, pro decoro cenſuit.
At illud aurum quo ſinu preſſum latet,
Qua nube tectum neſcit aureum diem?
Evanuiſſe fertur ut fumi ſolent
Fallentis aulæ: Mercuri, non Solis hoc
Fuit metallum. Vindica nigrum nefas
Offenſe Princeps: quiſquis infidâ manu,
Manu rapace vindicavit hunc ſibi
Torquem ſceleſtus, torque ſe digniſſimum
Fecit nefando: pendat, hoc eſt, pendeat;
Et literatum quando deluſit virum
Sublimis una longa fiat littera.
Si pœna pendet, nec Poëtæ ſit ſatis,
Nec ille torques torque penſatur novo,
Cave poëtam: plumbeas iras gerunt
Pindi clientes, ferreis inſtant ſtylis:

Nec

Nec ira Sueci, nec ſtrepentis Cliviæ
Magis timenda eſt; digna res Epigrammate
Laceſſet ultrices manus. Cave canes:
Latrant diſertè: ſi furunt, mordent quoque.
Quæ liberales Muſa Principes colit,
Condonat ingratis nihil. Quid pluribus?
Caput rei eſt, non reſpicit, non ſuſpicit
Prædeſtinantes illa, ſed dantes Deos.

Aulici Etymon.

ORiginem τȣ̃ Aulicus cæcutiens
Definit orbis perperam. Palatium
Aulam vocari diſſerunt, hinc Aulicos.
Mendoſa, Critici, lectio: Palatium
Fatemur ultrò Principum dici domos;
Negamus Aulularia Palatio
Debere nomen; debet hæc Aulæ tamen,
Nec debet Aulæ; debet, & non, Aulicus.
Ut judices, ſi debeat, cui debeat,
Quid Aula poſſit, Aula quid poſſit, vide;
Quando Aula poſcit, Aula paſcit Aulicos.

Ad Barlæum de nebulis Epigrammata ſcribentem.

O Qui per mentis nebulas nebuloſe Poëta,
Carmina de nebulis non nebuloſa facis,
Qui Mercatorem nebulâ perſtringis & ipſum
Cum teſtudinea pace Monaſterium;
Si mea do, prudens, facundus, amabilis autor,
Si tua reddo tibi verba, dicax nebulo es.

CONSTANTINI HUGENII

EPIGRAMMATUM

LIB. XI.

cIↄ Iↄc XLIIX.

Inſcriptio modulaminum quæ ad Cytharam produxi.

DE cogitationibus, phantaſmatis,
Larvis, chimæris Muſicis mentis meæ
Sic cogitavi: quod velut Muſcæ volent,
Muſcæ ſuſurro perſtrepentes non gravi,
Tamen ſtrepentes, quaſq; cum ſuo velim
Captas ſuſurro, ſi ſubinde præpeti
Stilo fugaces figier poſſint meo.
Has ergo fixi pauculas, minùs malas
Quàm quæ bonarum ſæpe nomen occupant,
Quia tranſmarinæ, ſive, quod caput eſt, novæ:
Ut, quæ foris petita vel certè nova
Præ patriis plerumque vel præ non novis
Amare gentis error, an furor, eſt meæ.
Vos, Liberi, quos veriùs, quos juſtiùs
Libentiuſque nuncupo Gentem meam,
Meos ocellos; eſte nunc aures quoque
Toti paternæ: audite, dum Fato placet
Non ſævienti, audite, quæ, cum non ero,
Non audietis: (nam quis olim mortuas
Captare non faſtidiat Muſcas meas?)
Audite, quæ cum non ero, videbitis;
Videbitiſque cum ſtupore mutuo

Non

Non otioſo, non ad hæc nato Patri,
Si quando ſtivà avelleret feſſas manus,
Ut otioſus fortè non ageret nihil;
Nihil improbè delectui, nihil probi
Neglectui fuiſſe; ne muſcam quidem.

Ad Schurmannam; cum in Friſiam Orientalem ablegatus Vitrajectum, ipsâ non ſalutatâ, tranſirem.

SAlvere Schurmannam jubet Zulichemius,
Nocturnus hac viator incedens viâ,
Nocturnus hac viator excedens viâ.
Gaude beata, quòd moleſtus, ut velim,
Non eſſe cogor: ecce præcipiti rotâ
Septentrionem versùs ablatus volo,
Ut me adfuiſſe & avolaſſe ſimul ſcias.
Boreus axis me vocat, vocant feræ
Major minorque, cum Boôte neſcio
Terræ mariſque, quò feras vigil regat.
Naſonis (abſit, abſit illi conferar,
Niſi nunc malignâ ſorte, maximo virûm)
Naſonis ergo frigidum fatum vides;
Ut me Tomitas inter ac duros Getas
Siniſtrum adire littus Euxini putes,
Niſi fortè quod ſuavius quiddam ſonat
Adeunda tellus, ſolo Eoa nomine.
Quod ſi relictis quando poſt tergum feris
Getâ, Tomitâ, Thrace, toto denique
Septentrione, unde avolo nunc, advolo,
Neſcire noli, nec moleſtum tunc fore;
Sed ſubmoleſtum: adibo Schurmannam, puta,
Sed ut Catonem de Theatro promptiùs
Non exiiſſe tute confeſſura ſis.
Quid nempe, tota ſi futura oratio eſt,
Salvere Schurmannam jubet Zulichemius?
At mentior tibi tamen, virgo mea,
Addenda voci vocula eſt: addam, vale.

Ut fortè ſi timere quem poſſes fui,
Timere porrò tota totum deſinas:
Nam, quæ capis quod quiſque, quod nemo capit,
Capis profectò, cur quis à Zulichemio
Valere quam ſalvere multò mavelit.

Ad eandem redux.

EN, ſalve Schurmanna, vale Schurmanna, viator
Dicturus, tandem nempe diurnus, adeſt.
Ne treme, promiſſis Batavè, Conſtanter inhæret,
Alatumque pedem, quô modò venit, habet.
Quin, ſi fortè vel hoc tremebundæ longum ſalve eſt,
Non erit alloquii tam grave ſyrma mei:
Quippe volando vale dicens, benè, ſemper, ubique,
Totaque & Hebraïcè, dico, valendo vale.

In effigiem ejuſdem.

PArciùs admirare tui miracula ſexûs,
Sive vir hos oculos, ſive puella vides.
Anteit una aliquas aliquâ virtute puellas?
Anteit hæc omnes omnibus una viros.

In ejus Pinacothecam.

CUm volet hoc Fatum (procul abſis hora volendi)
Ut ſemel extremum clauſerit Anna diem,
Debita nominibus tantis ſua Marmora linque,
Nec tumuli paſcat lumina vanus honor.
Hoc cumulo paſcantur: ibi non viva jacebit,
Hìc, non viva, tamen viva, ſuperſtes erit.

In gratiam Profeſſorum Academiæ Groninganæ, ut pro dignitate veſtiantur.

PAllia Doctores! ubi fas, ubi ſacra decori
Majeſtas, vel ubi denique juſtitia eſt?
Pallia Doctores ornant? ſine ſyrmate Muſa
Quærit ubi nudos condat honeſta pedes?

Tolle

Tolle gravem Diis & patriæ de corpore nævum,
Corporis auguſti Diva, Groninga parens.
Non faciunt nec equum phaleræ, nec purpura Regẽ,
Nec pars militiæ creditur eſſe ſagum:
Sed faciunt ad equum phaleræ, nec purpura Regi,
Nec bellatori pondus inane ſagum eſt.
Ipſa aliquid Natura parens quod inutile dici
Non ferat, ornandis rebus ubique locat.
Barba viri decus eſt, pulchra eſt de vertice fuſi
Virgineo ad talos unda capillitii,
Tolle mihi faſces, Academia, tolle cathedras,
Aut quo de populo non habearis habe.
Denique ſi nullis vinco rationibus, audi
Hoc unum, & Patriæ quam potes affer opem:
Tota, vides, odiis ardet civilibus: ut ſit
Arma cui poſſint cedere, ſume Togam.

In idem argumentum.

QUidquid erit, quemcumque dabit Deus his quoque finem,
Seu Toga procedat, ſeu non Toga, ſenio dexter
Exeat, an pravo damnoſa canicula talo:
Vicimus & victi vates, nec inutile carmen
Scripſimus; eſt etiam perituris gratia chartis.
Vendentur melius pretioſo thura cucullo,
Et, ſi doctores careant, curaſſe juvabit
Ne Toga cordylis vel penula deſit olivis.

Academiæ Groninganæ damnum ex calamitate publica.

DUm lis perennat, dum Rei pars publicæ
Parti repugnat, dum vacillant cardines,
Dum Civitas quod vult negat, quia vult Ager,
Dum vult Ager, quia Civitas, quod vult, negat,
Peccantque partes intùs & peccant foris,
Immunitate, jure, prœmio, Togâ
Caret Profeſſor; Codicum immortalium

Aug-

Augmenta ceſſant; oſſa, de Cadaverum
Diſſectione relliquus doctè labor,
Dignus Theatri luce, dignus ultimâ
Longævitate, non habent ubi pedem
Erecta figant. Bibliothecam putas
Id, Hoſpes, eſſe? triſte Cœmeterium eſt.
Abi ſtupore, abi dolore percitus,
Patriæque Patres quò ſapiant mone tuæ,
Diſcordiam, quæ patria eſt, & eſt Patrum,
Vexare vivos, & nocere mortuis.

Principis eòdem adventus.

HActenus affligit Cœli diſcordia longo
Turbine, perpetuis imbribus omne ſolum;
Hactenus involvit Patriæ turbata poteſtas
Omne ſoli ſpatium, mœſta Groninga, tui.
Affulget placidæ tandem ſpes certa quietis,
Et lachrimis æthram parcere in augurio eſt.
Aſpice in Auriaco blandè ridentia vultu
Sidera, & hos oculos omen habere puta.
Fata ſolœciſmo pacem & bona verba loquuntur:
Prodigio favet à veſpere Sol oriens.

In Bibliothecam Groninganam ubi ſceleta Anatomica abjecto loco detruſa.

HInc loculis libri proſtant, ignobilis illinc
Angulus obſcuro ſupprimit oſſa loco.
Gratia diverſa eſt, quia diſpar cauſa: docemur
Scilicet hìc hominum corpora, at hìc animos.
Hìc peritura jacent, hìc ſtant cœleſtia, ſol hìc
Splendet, at hìc tenebris abdita terra latet.
Qui bene ſpectator Terram contemnere diſcis,
Rectiùs ut diſcas vivere, Lector eris.

In mortem Barlæi.

HActenus humanas exercent ſomnia mentes,
Fabula Fons, & fabula Mons, & fabula Divæ
Pierides, & larva novem pro Præſide divis.
Tolle manum tabulâ ſi quis decepte ſub illis
Auſpiciis egiſſe putas acture Poëtam:
Vanus adorandi titulos invaſit Apollo:
Omnia Barlæus fuit: omnia cum Barlæo.

De Phyſica Carteſiana, quæ corpora in particulas reſolvit.

DEtumeat, cui fortè genas veſica ſciendi
Grammatico tendit torva ſupercilio;
Detumeat, factuſque puer, ſi ſcire laborat
Maxima, diſcat humi repere per minima.
Ecce novæ fons Grammatices: Oratio conſtat
Partibus, at rerum corpora particulis.

---

cIↃIↃcxlix.

In obitum Fr. Spanhemii *lachrimæ.*

ERgo quis hoc tentat, fieri quod poſſe negabam,
Spanhemium extincto dicere Spanhemio!
Ergo nec in Cœlos omnis facundia ceſſit,
Ex quo ſe ſuperis intulit illa Deis!
Si quid, age, in Terris ſupereſt Ciceronis adempti,
Hunc opus in Terris, hunc labor eſto loqui.
Inveniat ſua ſublimis præconia virtus;
Omnis in hoc omnes erigat autor opes.
Vir pie, de numero ſine faſtu & fraude piorum,
Vir Sophiæ fons & fax, vir ocelle virûm,
Maxime vir, ter maxime vir, cui rara videbunt
Sæcula, viderunt aurea ſola parem,

Quem

Quem quæ ſurripuit Belgis injuria fecit
Criminis æterni ſe Libitina ream.
Me quoque tam crudi feriit violentia fati,
Me quoque ſubſtravit tanta ruina ſibi;
Et volui & potui mæſtum mea numina Carmen
Poſcere & ad fletus addere verba meos:
Sed malè cum fletu verbis convenit, & ipſos
Sæpè reluctantes obruit ipſe modos.
Quid lacerum porrò immites laceratis amici,
Quid miſerum ſimul & cogitis eſſe pium?
En ego qui magnis olim mea lilia buſtis,
Et quæ poſſet amor dona jubere tuli,
Hic ſileo, hic rigeo: magni ſe nempe dolores
Expediunt; loquitur luctus; at horror hebet.
Horreo cum tenebras video, quibus obruta nuper,
Principe ſublato ſidere, Terra latet:
Horreo cum doceor quæ tam cœleſtia Cœlum
Sub Cœlo voluit vivere, poſſe mori.
Scribite quæ tanto non inferiora ſepulchro
Carmina non uno par ſit ab Orbe legi:
Scribite queis animi tantam præſentia cladem
Suſtinet: officium non facit iſta manus.
Si facit, hoc ipſum quod ames feciſſe litura eſt,
Et genitas viſa eſt non genuiſſe notas.
Nempe quid excudam, ſi, quæ vix repere poſſint,
Hic ubi ſunt lachrimæ ſepia, verba natant?

Epitaphium Obeſi.

CRaſſus in hoc tumulo eſt: quo veſpillone ſepultus,
Ne cura: nec opus nempe ligone fuit.
Ipſe viam caſu faciens deſcendit, & iſtam
Quâ tegitur proprio pondere fregit humum.

Iulia pudica.

IUlia poſcenti Fabio quod dicere nollet,
Subdita, ait, Patri, dum fuit ille, fui:

Conju-

Conjugis imperio nunc pareo : ſi quid honeſti
  Exigis, hunc audi : Si volet ille, volo.

De Mævio.

TAm chara conjux Mævio, tam chara item
  Natalis Haga eſt; ut videre hic mortuam
Se malle juret conjugem, quàm ſi Deus
Ubicumque habere ſiverit non mortuam.

In Schurmannæ novum Studium linguæ Æthiopicæ, circa Kalendas Ianuar.

OMnia cum ſciret, voluit nil ſcire videri
  Anna, niſi extremos ſciret & Æthiopes:
Has illam fuſcas inter, nova numina, Muſas
  Vidimus, atque oculi vix habuere fidem.
Vidit & obſtupuit gemini frons altera Jani,
  Et Deus, Ecquis, ait, denique finis erit,
Si, quoties in me nova frons, in virgine lingua eſt,
  Si quoties novus eſt Annus, & Anna nova eſt?

Ad ipſam.

HAnc ego currendo fudi, Schurmanna, Poëſin,
  Dum jam non rota ſub vate, ſed eſſet equus;
Eſſet equus, qui me de veſtra quattuor horis
  Pallados Hollandæ ſiſteret ante fores.
Forſitan hos ſi tu numeros cum tempore confers,
  Pegaſeum quid, ais, quadrupes iſte fuit.
Neſcio quid fuerit, ego me nova dona ferentes
  Æthiopes comites credo habuiſſe tuas:
Jamque adeò vetus eſt non falſa parœmia: ſemper
  Africa quæ monſtri quid parit, hic peperit.

Inſcriptiones villæ Clarivii, Clarenbeeck. *In gratiam Toparchæ Rutgeri Huyghen.*

ASpicis agenteô ſpecioſos marmore fontes,
  Aſpicis his fratres qui dominantur heros?

Fallor ego, niſi jam dubitas, pellucida, clara,
Candida plus horum pectora ſint, an aquæ.

I.

CLARIVIUM, *Clarenbeeck.*

SUblime culmen par fuiſſet huic agro,
Et quæ Luculli ſaxa ſaxis æmula
Ipſos Quirites non timerent hoſpites:
Sed villa Rivi cujus umbra & aſſecla eſt
Aptare ſortem debuit ſorti ſuam:
Hunc nempe Clarum nuncupat modeſtia
Quem nominaſſet veriùs clariſſimum.

II.

SI quis in his pretioſarum nimis acer Aquarum
Inveſtigator montibus erro fuit,
Si ſudore madens & anhelo torridus æſtu
Hoc feſtinavit fonte levare ſitim;
Quò de febre putri vel de pleuritide læva
Nec malè ſecurus, nec malè potus eat,
Pro medico juxtà villa eſt; Clarivius iſtam
Illicò ut introeat ſuadet & inſtat Herus.
Abluet heic vitium qui, non de montibus iſtis,
Sed Rheni fertur fontibus eſſe liquor.

III.

VOcabis, hoſpes, hoc ſuburbanam domum,
Villam, Palatium, Caſam, Prætorium,
Aulam, vel Haram fortè, vel Gurguſtium:
Non commovetur, pronus in laudem ſies,
An factus ad convicium, Dominus loci.
Quidcunque ſit, CLARIVIUM eſt: quod ut ſcias,
Cum ſylva neſciret loqui, provinciam
Ediſſerendi ſcilicet ſaxo dedit.
Originem Clarivii ſi non capis,

Origo

Origo fontis hujus, & Clarivii eſt.
Adhuc obhæres? verte frontem; clariùs
Originem clariſſimæ dicunt aquæ,
Clarique Rivi clara derivatio eſt.

IV.

Ut mea quàm fuerint ſeri quoque cura nepotes,
Ut mihi me ſoli non ſtuduiſſe ſciant,
Audiat hoc opto cœli clementia votum,
Dum ruit hic rivus, ne ruat iſta domus.

In effigiem Renati Carteſii.

Carteſii pectus vides, vides frontem?
Candore vel modeſtiâ nihil ſupra eſt,
Scientiâ nil par quidem. Exigis plura?
Stagira, ſi tamen Stagira, Naturam
Aſpexit, aut inſpexit; iſte perſpexit,
Perſpexit ac detexit: Exigis plura?
Qui plura dicere me vetat, ſtupor dicat.

In ejuſdem nomen.

Renatus iſte quem videtis, hoſpites,
Renatus infans perperam dictus fuit,
Nulli ſecundus ante ſe mortalium:
Natus vocari, non Renatus debuit.
Natura naſci vidit hactenus nihil,
Ex quo renato ſurgeret Carteſius.

Ad Schurmannam, num I. Secundi Sculpturam imitari voluerit.

Ecquid ut Hagani tetigiſti pauca Poëtæ
Marmora, vel raros, gypſea ſigna, typos,
Ecquid ut oblata eſt avidis in talia ocellis
Vatis amatoris Julia ſculpta manu,
Exempli ſtimulavit honos, & poſſe docebis,
Quæ poſſet quivis, omnipotente manu?

Non liquet, & verò, niſi valdè fallor, honéſtè,
Ociùs hoc factum nolle, negare fuit.
Indignata ſequi, Virgo mea, credo Secundum es,
Ne ſic fortè cui prima, ſecunda fores.

In ſequentia Epigrammata Trajectina Præfatio.

VElaviæ ſabula, immenſi, mea tædia, colles,
Terra mihi laſſis ſemper arata rotis,
Neſcio vos, neque ſi roger hìc quot millia, quis me
Vexerit aut equus, aut non equus, ipſe ſciam.
Gratia ſit Muſis, quarum mihi viſa lepore
Colloquii longè maxima, nulla via eſt:
Gratia Schurmannæ verò, quod Apolline ſecum
Abducto comites traxerit ipſa Deas.
Nec tamen has, fateor, comites, nec vidimus illam:
Solâ mente decem numina clauſa tuli.
Credor, an hic, aliquis clamat, mendacia cudit,
Exit ab inſano fabula vana penu?
Mentiar. hoc certum eſt, non hæc ſine numine, lector,
(Incipe, & invenies) quantulacumque geri.

I.

In Cathedralis Templi nomen vernaculum.

VNde Domus, fornix ſublimibus alta columnis
Dicitur, unde vetus marmora nomen habent?
Hæreſin & vitium verbis ſuper aſtra petitis (eſt.
Quæ domat, hæc domitrix eſt domus, hæc Domini

II.

In Turrim ejuſdem Templi.

QUàm fuit helleboro dignus Babylonis ineptæ
Sive tumor, dicas, ſive phreneſis erat,
Quando quod hìc admiramur, ſi maſſa putatur
Terrea, nec primi graminis inſtar habet.

Templum

III.

Templum Buer-Kerck, cujus in cœmeterio gramen ſuccreſcere negant.

NEſcio num vero ſimilis, num proxima falſo
Gramen huic fundo detrahat hiſtoria:
Quicquid id eſt, turba hæc hodiè miracula turbat,
Quæ terit hoc verè relligioſa ſolum.

III.

Templum D. Iohannis.

AUdiat hoc omnis toga: cujus nomina divi
Illuſtris Fano-Bibliotheca gero,
Mille meis de codicibus non attigit ullum,
Et plus mille meis codicibus ſapuit.

IV.

Idem.

NOn hoc de nihilo eſt, quod opacâ frondibus ulmo
Cingor, & in Lucum verſa vireſcit humus.
Scilicet hoc plantatores, ut ſacra Johannis
Vox in deſerto nunc quoque clamet, agunt.

V.

Templum D. Mariæ, ubi Catecheſis novitiis enarratur.

PArvi eſt, poſteritas, neque quod poſt ſæcula narres,
Fonte ſuper tenui fixa columna ſolo:
Pluris habe, quod in his animas, non ſaxa, columnis
Fontibus æternis inſtruat ipſa ſalus.

VI.

Templum D. Catharinæ.

RItibus hæc olim Româ non ritè petitis
Sordeſcebamus marmora, deinde ſitu:
Ætas excuſſit melior Romamque ſitumque;
Tandem ſic merui quæ Katharina vocer.

VII.

Academia.

SI ſatis eſt vivum naſci, jam velle renaſci
Ridiculum, quando poſſe, ſupervacuum eſt.
Sin ſecùs, & rectum eſt iterum de Virgine naſci,
Quæ de Patris item nata puerperio eſt,
Pallada ſanus ama, non illam caſſide torvam;
Hanc inter Muſas ore togâque gravem.
Jamque ſacram venerare Deæ, præ quâlibet, Ædem,
Quando ibi ſcis bipedes gignier, hìc homines.

VIII.

Domus Adriani Sexti Pontificis Ultrajecti.

HÆc Orbi, procul orbe ſuo patriâque remotus,
Hæc patriæ Sextus, non ſibi, tecta dabat.
Pontificum eſt aliis habitandas ære ſoluto
Tradere vel Cœli, non habitare, domos.

IX.

Area Caſtri Vreburgii, nunc Forum equinum.

PAcis ego quondam geſſi malè nomina, pacis,
Mœnia ſic inter mœnia facta forum, eſt.

Ad Schurmannam, epilogus.

CUrrigenos fœtus, ſalebroſum carmen, & ipſo
Frigore concretum, Virgo, Poëma vides.
Ne læves oppone rotas, ne verſibus iſtis
Exige par motus, par ſit ubique tenor.
Cede locum vero, quàmcumq; volabile plauſtrum eſt;
Ipſa via, ut vates, aſpera, ſcabra fuit.

Ad Franciſcum ab Aerſſen de Sommelsdijck de Legato ſine præſide reſpondentem.

ILluſtris pugil, illuſtri quam poſcis arenâ
Grande tibi ſpecimen tute dature tui;
Hoc age, quas partes annorum veſpere multo
Multus agas, multo manè tuere puer.
Quod ſi te juvenum inſanè temerarius ardor
Implicitum longis nexibus ire parat:
Adde animos, generoſe, tibi, atque audentior ito:
Eſt qui pugnantem te tuus umbo tegat:
Ultima ſuccurrant pugnanti exempla tuorum:
Objice, quo ſolves omnia, DIXIT AVUS.

In temeritatem nautæ Rotcrodamenſis, quâ, cum per ingentem tempeſtatem minuere velum noluiſſet, ſubverſâ navi ingens vectorum numerus periit. III. *Id. Sept.* 1649.

MAlè diſputatur, an ſit hæc levis culpa,
An lata, quâ tot hauſit unda mortales;
Si ferre me ſententiam velis, dicam;
Tam lata nautæ eſt culpa quàm fuit velum.

Ad Schurmannam.

IAnus adeſt: quid agis rerum, Schurmanna, novarū;
Ecquid ubi novus eſt annus, & Anna nova eſt?
Abſit, & hìc tandem magnarum pauſa laborum,
Hic ſtudiis, Virgo, terminus eſto novis:
Ne te more ferant patrio dum vita manebit,
Res Trajectinam velle movere novas.

Ad eandem.

RUrſum Janus adeſt, rurſum Zulichemus, Amica:
Rurſus, ais, tecum Carmina, rurſus hyems?
Mirari fuge, quæ, ſi quis, mirabilis una es,
Unde mihi rigido frigore vena fluat:
Obſecro te, credis miracula credere, ſi me
Credis ad Æthiopes poſſe calere tuas?

In Hilligerledæ campos, ubi Adolphus Com. Naſſovius Hiſpanos, interemptus ipſe, conficit, Anno 1568.

HAs Batavi calcate mihi reverenter arenas,
Hìc pro Naſſovio ſanguine thura date:
Ad partæ libertatis fundamina non hìc
Infima de primis fixa columna fuit.
Scilicet hìc aliquid pro libertate coactos
Poſſe, fidem victor, primus, Adolphe, dabas.
Audiat hoc Iber, hìc ſemel extirpata Tyrannis
Contuſum poterat non ræelevaſſe caput.
Si minus inſtanti Ludovico læva fuiſſet
Altera lux, atrâ proditione nocens.
Fata requirebant non unos noſtra triumphos;
Aurea libertas pluris emenda fuit.

---

cIↃ IↃC L.

In effigies Regis & Reginæ Galliæ manu Schurmannæ cerâ expreſſas.

ESto quod eſt pretio regale numiſma Philippus,
Eſto quod aut Caroli aut, Eliſabetha, tuum eſt,
Sunto, quod ætatis longâ putredine fiunt,
Romulidum viridi cara metalla ſitu;
Aurea ſint aliis, aliis argentea magni aut
Ærea, Schurmannæ cerea pluris emam.
Certè pluris emas ſi poſſint, Gallia, fari,
Mollia quò fandi tempora Regis emas:

Cerea

Cerea nimirùm, quia melli proxima, ut hìc ſunt
Mollia Reginæ, mollia Regis erunt.

In eaſdem.

OMnia tentârat calamo, ſcalproque ſtyloque,
Omnia adimplêrat omnibus æqua manus.
Deerat adhuc magnos orbi producere Reges,
Deerat Reginas poſſe, & utrumque facit:
Et faciendi ultrò finem factura coronis
Ipſa coronatum Virgo coronat opus.
Eſte procul qui Schurmannam pro cælibe vita
Conjugii vultis velle ſubire jugum.
Conjugium ſterile eſt præ nulli non hymenæo
Virgineâ extanti fertilitate thoro:
Ut pariunt multæ pareret, puto, & Anna marita,
Ut paucæ pariunt Anna Maria parit.

Ad Schurmannam.

ECcum, Virgo, tuas rauco ſermone quotannis
Qui ſemel in Muſas irruit Hugenium.
Quod nequeas vitare, feras patienter: ab uſu
Fit leve, inexpertæ quod leve non ſit onus.
Denique dic de me quod quis de morte ferenda
Maximus arguto protulit ore virûm:
Mortis, ait (noſti quis ait) perferre dolorem
Si valeo, levis, &, ſi nequeo, brevis eſt.

Ad eandem, in Geldriam iter faciens.

ESt quod, Nympha, tremas, eſt quod, quaſi fulmine nuper
Tacta, novi metuas non nova ſigna mali.
Hugenium, patriæ telluris futile pondus
Exigit auguſto nobilis Haga ſinu:
Jamque adeò Trajectinas exactus Athenas
Tangit, Athenæo proxima tecta tuo.
Ecquid ab ingreſſu jam jam propiore moleſtos
Te quoque vicinam credis adire pedes?

Pone metum ſecura; Deos fortuna faventes
Præſtitit, & Muſis otia plena tuis.
Seu nos ipſe pudor, ſeu nos reverentia grandîs
Imperii invitos auferat, auferimur.
Hugenium (hoc tantùm; ne te vel verba morentur)
Quem veniſſe modò, mox abiiſſe ſcies.

Ad eandem redux.

FUgi nuper: an hic fuerit pudor, an vis major,
Ambigo: ſi benè rem pondero, utrumque fuit.
Nunc procul & pudor eſt, procul & vis major & Aulæ
Aſſiduum, compes aurea, ſervitium.
Libera per vacuum pono veſtigia; quò me
Fata ferunt, quò me ventus & aura, feror.
Et feror, en, Fatis, aurâ ventoque ſecundis,
Quò ſi ſæpe ferar, ſæpiùs ire velim;
In Muſas, mea Muſa, tuas: ignoſce moleſto:
Aut levis, ut monui, eſt, aut brevis iſte dolor.
Quòd ſi tam ſuperos habeas in vota benignos,
Swannia. Ut mea ſe nobis tertia jungat OLOR,
Quartus erit Cycnus, quinto fortaſſis amabunt
Voetius, & ſexto Frater adeſſe loco:
Septima ne jubeas accedat lingua, nec auris
Septima; ſat ſeni muſica turba ſumus;
Et faciam, ſi quid poſſunt mea Carmina, dicas,
Hei mihi, quàm levis eſt, quàm brevis iſte dolor!

In obitum Renati Carteſii.

OCcidit, accenditque diem Titania lampas;
Cynthia dat Cœlo quod negat atra jubar;
Nocte micant quæ manè lavantur in æquore ſtellæ;
Phoſphorus Eoum ſidus & Occiduum eſt;
Humor humum tegit & ſiccæ reteguntur arenæ,
Unda per alternas itque reditque vices;
Semina putreſcunt, quò de putredine truncus
Exeat, & foliis arbor opaca novis:

Deni-

Denique, ſi qua fides Arabi eſt, in morte renaſcens
  De proprio quædam fomite ſurgit avis.
Circulus eſt Natura; labant robuſta, reſurgunt
  Lapſa, reviviſcunt mortua, ſicca virent.
Hei mihi! quòd rerum ſeries, quòd publica Mundi
  Deficis in ſolo regula Carteſio:
Cuncta renaſcentur quæ nunc cecidere; Renatum
  Nulla renaſcentem ſæcula reſtituent.

In eundem.

VIderat in Terris quæ nemo viderat inter
  Prodigia in Terris maxima prodigium:
Viderat omne Chaos, perviderat intima rerum
  Ipsâ naturæ lampade Carteſius;
Viderat hæredem Guſtavi denique, & omni
  Clarius Eoo ſidus hyperboreum:
Non poterat reſtare niſi poſt ſæcula Cœlum,
  Et poſt Chriſtinam Chriſtus; ad hunc abiit.

Ad quendam.

STultus es, aut certè nemo te veriùs eſſet,
  Si quidquid ſimile eſt, protinus eſſet idem.

Epitaphium pueri formoſi.

QUi pueros puer inter erat pulcherrimus omnes,
  Hic ſecùs, hic cæcus, hìc ſitus, hìc ſitus eſt.

In ſex Faſtorum libros à Claudio Bartholomæo Moriſoto ſubſtitutos.

ERgo opus impleſti quod nec Jovis ira, nec ævum,
  Nec perimet triplex Parca, nec ignis edax:
Omnia dixiſti; conſtat ſua gloria Faſtis,
  Nulla ſuo non eſt ſidere ſacra dies.

Una

Una deeſt; quæ te naſcentem magna dierum
   Naſoni potuit ſubſtituiſſe tuo.
Inſere te Moriſote tuos Romane Quirites
   Inter; inexpletum te ſine carmen hiat:
Illa tuis laudem Faſtis adſcribet, honorem
   Illa dies, quem non deſtruet ulla dies.

---

cIↄ Iↄc LI.

XAPIC AXAPIC.

AB inde primæ litis incunabulis
Quæ fœda Divas hactenus Matres necat,
Sarcire Pacem noctibus totis meis,
Totis diebus (quo labore, Diî ſciunt)
Succeſſu iniquo (cur iniquo, homines ſciunt)
Conatus ore manuque conſtanter fui.
Conatus autem quâ viâ, quibus modis?
Ipſis iiſdem quas querelarum pudor
Et fas & æquum & ipſa tandem veritas
Fauſtos bonoſque utrique dictat partium.
   Quid porrò me fit? quas utrimque gratias,
Princeps amoris autor & concordiæ,
Quam utrimque laudem, quale præmium fero?
Eſt ubi luto teſtâque vapulo, eſt ubi
Injuriarum penè plauſtris obruor:
Vocor quod eſſe nemo me dixit bonus,
Negor eſſe quod fuiſſe me dicunt boni,
Quod deſiiſſe peſſimi mortalium:
Cogor renaſci natus, ut vivam novus:
Fit veritati vis, ut & fiat mihi.
Hac, ſcilicet, mercede deſudavimus,
Hoc Pax ligari geſtiat coagulo,
Hoc fortè fulcro, ſi labaſcit, non cadet;
His dira diris faſcinata factio,
His longa peſtis expiata victimis

Seré-

Serenitati publicæ ſternet viam.
Eſto, & miſerti hoc lege quâvis Diî velint.
 Mihi nemo curam ſanus invideat mei.
Procul protervi, & omnis in pravo ſiti
Moderna mundi fæx, nihil vobis volo
Commune mecum; tædet inſolentiæ
Calumniæque præpudendarum artium,
Quibus (Britanna Mater, excipio libens
Meritòque neſcium doli numen tuum)
Quibus innocentem perſecutis nunc quoque
Cauſſas nocendi pace conſumptas dolet:
Libet intereſſe ſæculo, non huic meo,
Non huic ſubacto fraude; proximo libet,
Quod, ſi qua vatum eſt præſcientiæ fides,
Aureum futurum nunciat ſidus novum.
 Pupille Princeps, regium pignus, Deûm
Propago, germen aureum, frutex
Beate, flos de flore Naſſavio, ſpei
Culmen Batavæ, grande ſidus phoſphorum,
De cinere Phœnix patrio terris date,
Qui quod cietur fluctuum damno tuo
Beatus hàc es hactenus quod neſcias,
Appello puros innocentiæ tuæ
Fontes gravatus: quando tam felix dies
Patriæ micabit, quâ loquentem te virum
Et geſta Patrum ruminantem ſedulò,
Et geſta Matrum ponderantem ſobriè
Plaudens videbis; liberè dicas rogo
(Si fortè mecum ſentias quod nunc boni)
Divæ Parenti, Manibuſque item meis
Et poſterorum, ſi quis eſt, ſuperſtiti,
Iniquitati rem fuiſſe proximam
Ingratitudinique congruam nimis
MALE CONSULENTI VELLE, CONSILIUM SEQUI.
Spondes, ocelle noſter, an modo non negas?
Spondere reſponſurus interim ſiles;

At quaſi loquare: nempe riſus verba ſunt,
Nativaque à Parente utroque ſuavitas.
  Hac ſpe reſurgens, hac fide nixus fidem
Decuſque honeſti nominis ſalvum ratus
De cætero TECUM loquar, donec loquar,
Et, cum loqui deſiero, denuò loquar,
Qui, quando falli non potes, vides, vides,
Fallamne, quem falli vetas, fratrem bonum?
Fefellerimne vel malum ſciens volens?
Pacemne procuraverim an turbas magis?
Age, qualis illa eſt cumque quam poſthac feres,
Ut veritas calumniam victrix fuget,
Fer ante finem ſæculi ſententiam,
Tremende Judex judicum, DEUS MÉUS.

Ad Fœderatos Ordines pro Pace Domus Auriacæ votum.

BElla per Auriacas pluſquam civilia Matres
  Inſtaurata, malis læta, nefanda bonis,
Audit, & auditor vult non audire videri
  Belga * * * * * * *
Credimus, an ſomni ſenſum deliria fallunt?
  Unica tam fœdi nec mala cauſſa mali eſt:
Unicus in cunis Aviæ canit atque Parenti
  Claſſica qui vixdum vagiit Auriacus:
Mille Puer votis Patriæ datus, aureus infans,
  Regia de cœlo lapſa propago Deûm,
Pace facem belli mediâ quatit inſcius, in ſe
  Sævit & hæc in ſe debilis arma ciet.
Quæritur, & charo vehemens de pignore pugna eſt,
  Utrius illuſtris cura Minoris erit,
Utra reget Puerum, ſub utra Tutrice tenellus
  Certiùs auguſtis par ſit iturus Avis.
Sanguinis, heu pietas! duro ſub judice lis, &
  Nutricum controverſia facta fori eſt.
Mater ait, meus eſt; ſine me nec lucis haberet
  Uſuram, ſine me quantulus eſt, nec erat:

Quæ

Quæ mihi materni ſolamen dura doloris,
Quæ rapiant partus barbara jura meos?
Altera ait, meus eſt; ſine me ſine Patre fuiſſet:
Sit meus hic Pater & non meus iſte Nepos?
Denique quis fugiat ſalvâ ratione fateri
Quantum materno præſtet anilis amor?
Intercedit anus melior, Natura, meique
Clamat, & ante omnes, alea judicii eſt.
Matribus hunc ego, pro ſublato Patre, duabus
Trado: ſit hinc Aviæ, hinc Matris, utrimque ſuæ.
Porrò quid? exciderunt animis celeſtibus iræ?
Quin gravior partes æſtus ad arma rapit.
Tandem, Patria, & hanc procerum generoſa corona
Quæ regis, officii tempus adeſſe tui,
Tempus adeſſe puta, quo ne Pax publica bello
Sordeat, & bello deteriore, tuum eſt.
Invitum qui ſervat idem facit occidenti;
Et ſi pugnantes quis patiatur, idem.
Hactenus Auriaci res ſit tutela nepotis
Publica, ne noſtri mors ſit amoris amor.
Nec libeat certè Patribus malè Matribus eſſe,
Et malè non gnaro litis & innocuo.
Cura Deum Dii ſint; ut quæ concordia Divos
Vinxit, item Divas vinciat Auriacas.
Credite Naſſavios hoc mecum poſcere manes,
Credite, Tutores quos habuiſtis, Avos.

Paſtorum Hagienſium Icones.

LOOTII.

QUi tibi de plumbo, Looti, grave nomen inerſq;
Plumbeus aut fati neſcius impoſuit,
Ille quidem rubeat quo nunc rubet iſta rubore,
Quæ tam diſſimilem te tibi dextra facit.
Nempe tui, quocumque tono, quocumque boatu,
Ingenii flammam ſyllaba nulla refert:

Quantò

Quantò ſegnius eloquii, quo templa tremiſcunt,
Exhibeat fulmen muta tabella tui!

STREZONIS.

STrezonis iſte eſt vultus: adderem pii
Et eruditi, laude detritiſſimâ,
Et plura quæ de plurimis dici ſolent,
Niſi eſſet hìc inutilis præconii
Quodcumque nunc cuicumque dant mores mali,
Et cæca ſcriptitantium nugacitas.
Ama tabellam, Lector, & ſit hoc ſatis,
Supplente lapſum ſæculi doctâ manu,
Vidiſſe quem non videras, Chryſoſtomum.

TRIGLANDII.

ISta quidem magni proles veneranda Triglandi eſt;
Artifici quando fas ſit habere fidem.
Neſcio an hic habeas, Lector; me conſcia veri
Incertum ratio reddit & ambiguum.
Diceret hæc certè, ſi fari poſſet, imago,
Et capiti canos adderet, eſſe Patrem.

TECHNAEI.

TEchnæus hic eſt, & ſilet: quid eſt, Lector,
Velis viri facundiam ſimul pictam?
Fatetur illam Pictor optimus nullo
Colore, nullis poſſe penicillorum
Technis referri, quippe qualis inſurgit,
Qualiſque blandos volvit ore ſermones
Technæus, hìc eſt, ipſa lenitas, ipſa
Frontis benignæ cum lepore majeſtas.
Quid attinet non poſſe, quod nequit, vivam
Fari tabellam, quando nempe Technæi
Vel ſævientis, qui ſilentis eſt, vultus?

LIN-

Lindani.

SEria ſimplicitas, Pietas quo pulchra colore
Ingenua eſt, concors moribus eloquium;
Vita Spei, vitæque Fides, & ſanctus honeſti
Paſtorem populo conciliantis amor,
Singula quam cernis tabulâ congeſta niterent;
Si, quantum Cœli gratia, poſſet homo.
Jam cave Lindanum credas hac vivere telâ,
Quando nec hæc vivi theca nec umbra viri eſt.

Sterremontii.

HIc es, & hìc non es, Præconum acerrime Præco;
Os inter templi lumina ſidereum.
Eſſe probat vultu pictor, non eſſe probaret,
Quæ, ſe cum nequeat prodere, lingua ſilet.
Præſagi infantem melius pinxere parentes,
Nomine commonitum, quod facis, aſtra loqui.

Ad univerſos.

HÆc ego de veris veri Præconibus ore
Veraci vero proxima verba dedi.
Proxima cum dederim, quando propiora nequivi,
Immeritus verbis verba dediſſe ferar,
Neſcio quis palpum color aut pigmenta decerent;
Fallor, ſi didici fallere, primus ego.
Falſa facit ſemper mendacem fama poëtam:
Eſt ubi, qui poſſit fallere, nolle poteſt.
Non hìc me voluiſſe probas non falſe character:
Audiat hoc ſi cui fortè poëta vocor,
Audiat auditor tantorum quiſque virorum,
Si ſit Paſtores fallere, nolle gregem.
Denique vos, grandes animæ, vos, clare ſacerque
Senio, ſex noſtræ ſidera fixa rati,

Vos teſtor ſine fraude piâ, ſine laude malignâ
  Ἐκ μυελῶ ψυχῆς, qui loquor iſta, loqui.
Si fallo, ſi fallo ſciens, ſi ſubdolus autor
  Parco vel hìc verum dicere, pœna placet,
Pœna placet noxæ quâ non mage noxia, verum
  Vos quoque de vitiis dicere nolle meis.

Ad Franciſcum Iunium linguæ Saxonicæ indagatorem doctiſſimum, Euſraſiæ meæ inſcriptum.

QUem rogo Teutonicum, Juni, non ſpernere carmen,
  Quem precor ut Romæ barbara verba legas,
Belgica lingua jubet: tantum vernacula juris
  In te Saxonicæ filia matris habet.

Ad Schurmannam, Delphis commorantem.

HIc es & hìc non es, Schurmanna, & fallis amica
  Hugenium, & fallis virgo Caſembrotiam?
Pœniteat facti; fraus hæc, fraus improba, fraus eſt,
  Cujus te doleat Voetius eſſe ream.
Offero prandiolum, cænamque, domumq; quid ultra?
  Offero Muſarum quidquid in Hugenio eſt.
Sin perſtas in fraude, cave: quem decipis Hagæ,
  Te quoque Trajecti fallere, falſa, doces.

Ad Poſthumum.

POſthumus in re non lauta ſic vixit, ut in re
  Vivendum quâ nec lautior eſſe queat.
Mox canibus, mox magnifico conſumptus equili,
  Exhauſtas queritur quas malè fregit opes.
Pauperiem quadrupes quod fecerit hìc, ſit iniquum
  Dicere: fecerunt, Poſthume, quadrupedes.

CIↃIↃCLII.

Catella veneno caſu ſumpto interempta.

DElicium Dominæ parvo non magna trimeſtri
Paſta ſiligineo pane Catella fui:
Oſſiculis, ne ſulphureæ de fauce Mephites
Halarent, vetuit cura ſevera frui.
Tæduit ingenuam duro bona fercula victu
Perdere, cui micas eſſe, nec eſſe foret.
Jamque adeo vitæ finem vix nata moleſtæ
Et properæ ſtatui mortis obire diem.
Diſplicuit laqueus; nec, ſi placuiſſet, habebam
Quadrupes officio quæ foret apta, manum:
De gladio deſperavi, nec, ut Arria Poëtam,
Alloquio dominam ſollicitare fuit.
Reſtabant ſcopuli caliganteſque feneſtræ;
Has quoque cuſtodes inter adire vetor.
Suſpirata diu tandem Fortuna miſerta eſt,
Et facilem caſu fecit ad aſtra viam.
Aſtra loquor, quid ni aſtra loquar? quo Sirius ardens
Ivit, & informes, magna minorque, feræ,
Hùc me proripui ſumpto generoſa veneno;
Hìc mico, & hoc merui ſic pereundo decus.
Vos terræ quas deſerui, ſuperate timorem,
Prodigii incuſſit quem modò phaſma novi:
Nempe quod inſolito nuper fulgore comatum
Sidus ab ignaris viſitur, hoc ego ſum.

Ad inaugurationem Vitaulii quæ extat Moment. p. 58.

AUt Lector, aut ſpectator, en Vitaulii
Caſus per omnes ducta inauguratio.
Ut proſit omen, augurem eſſe nunc ago;
Voveoque & opto & auguror, per Patriæ

Caſus, per omnes Belgii caſus mei
Perſtare Dii meum velint Vitaulium.

In Obeliſcum Vitaulii, fulmine proſtratum.

SAxea Pyramidum ſileat miracula Memphis;
Invidiâ Cœli lignea digna fuit.

In ſubſtitutam illi ſpeculam.

TAnti flamma nocens, tanti eſt Iovis ira; quod olim
Cœca Pharos, nova nunc & Pharos & ſpecula eſt.

In eandem.

ACcipe quod ſeros nolis neſcire nepotes;
Quattuor unum obelon caſu peperiſſe obeliſcos.

Ad Gelliam.

IMpoſuiſſe tibi infidos cauſaris amantes
Illecebris pacti, Gellia, conjugii.
Ambigo de pactis: hæc ſaltem juſta querela eſt;
Gellia, ſe totos impoſuiſſe tibi.

In Vindicias Maris liberi Theod. Graswinkelii.

QUod Africano Pœnus invicto fuit,
Quod Grotio Seldenus invictiſſimo,
Burgas fatetur eſſe Graswinkelio.
Si vapulare tertio cui vacat,
Armatus adſta: pruriunt pugni graves
Pugili Batavo. Nemon' eſt? nemo, hercule:
Latent Britannus & Ligur; nec lampada eſt
Qui traditam, triariis fractis, petat:
Silentium Terrâ, ſilentium Mari,
Et Halcyonia fecimus. Tanti eſt duos
Bis impetitæ veritatis vindices,
Fiſci patronos patrii fortiſſimos,
Duos Batavos ore libero, duos
Mare liberum adſtruxiſſe liberos mares.

In effigiem Ioannis Burckardi Wetzelii, æri inciſam.

WEtzelij, cujus cum tot virtutibus ævi
Quod ſupereſt fecit patria jure ſuum,
Cujus perpetuò mea ſe profitetur in æ:e
Belgica, perpetuo ſervat in ære caput.
Quàm, cenſes, pretioſa fuit præſentia, cujus,
Quando frui vivâ non datur, umbra placet.

CIↃ IↃC LIII.

Aulus ſubmerſus.

IN fluvium præceps potu gravis Aulus obivit:
Seriùs affuſis vina repreſſit aquis.

In futiles autores.

IMprægnata vides fædo lætamine Tellus
Ut lepidas florum reddat honore vices.
Non ita Scriptorum plebs ingratiſſima: paſti
Floribus infami ſtercus odore cacant.
Nec tamen hos quod Tellurem pro ſtercore poſco:
Hoc peto, nil ſaturos edere quam quod edunt.

In obitum CL. SALMASII.

CRedere Muſarum decus immortale deumque
Mortalem ſuperos ſidus adiſſe novum;
Credere inexhauſtam divinæ mentis abyſſum,
Credere cui par eſt nulla fuiſſe penum;
Credere cui ſua non æquent oracula Delphi,
Infelix tripodem Leida ſilere tuum;
Credere quot loculis quantoſque Academia condit
Æternis unâ morte periſſe libros;
Ereptum Batavis Gallorum credere Solem,
Hoc eſt extinctum credere Salmaſium.

In I. Iacobi Chifletii de Ampulla Remenſi diſquiſitionem.

DOctè, Chifleti, & eleganter & probè
Quod nemo ſanus improbaverit probas,
Quod ſomniarunt cælitùs Remis datum,
Vas eſſe vanum, & eſſe nugas vitreas;
Nec ipſa tecum pugnet impudentia,
Nec ultima obſtinatio. Quid eſt tamen?
Equidem ſtupebo eritque pro miraculo,
Quod Halla & Aſpricollis invideant tibi,
Si quamlibet diſertus hoc confeceris,
Ne bulla ſcriptor pergat Ampullas loqui.

De Clavicymbalo, cujus præcipuæ partes ſunt Setæ ſuillæ, Pennæ corvinæ, Fides chalibeæ, claves eburneæ, & lana ovilla,

Gryphus.

MOrtua Sus Corvum exanimem docet eſſe choraedum,
Exanimes Corvi mortua ferra loqui.
Adde manus vivæ nervos, ſaliunt Elephanti;
Intercedat Ovis mortua, cuncta ſilent.
Fas eſt Pierides fateantur, Apolline vivo
Mortua ſic melius Bruta movere Lyram.

In effigiem CHRISTINAE *Reginæ Sueciæ.*

NOn hæc Paphi Regina, nec Saturnia,
Nec ſaltuum potens, nec armorum Dea eſt,
Nec Mars Gradivus, nec tonans Dieſpiter,
Nec Cynthius, nec ales Atlantis nepos,
Nec de minorum gentium turba Deus:
Sed inſtar una eſt omnium. quid amplius?
Omnes Dii eſt, omnes Deæ. quid amplius?

Septen-

Septentrionis horror eſt, Auſtri ſtupor,
Amor Occidentis, Orbis Eoï pudor,
Sol alter & Cœli & Soli. quid amplius?
Chriſtina Rex. quid amplius? GUSTAVIA eſt.

In eandem.

AUriga Cœli exorbitat, fallunt rotæ,
Delirat æther, Sol ſolœciſmum facit,
Arctous ardet, Eöus eſt in ultimo
Septentrione, quamque mater hactenus
Natura neſcit, Solis umbra eſt quod vides.

In eandem effigiem.

TAlis in Arctois regnatrix magna pruinis
Pallados & Charitum grandis alumna nitet.
Talem ſe populis præbet Chriſtina videndam,
Filia victoris, non minor ipſa, Patris.
Ille quidem fractum toties bene contudit Iſtrum;
Et domuit ripas, turbide Rhene, tuas;
Chriſtinæ communis amor venerabile nomen
Quamlibet amotis gentibus eſſe facit:
Illam ſuſpiciunt, illam qui bella gerentem
Guſtavum populi non timuere, colunt:
Dixero pace tuâ, qui nunc, Rex, incola cœli es,
Latius imperium te Filia Patre tenet.

Conſt. Hugenii F.

FORTUNATA CLADES

quæ in litore Sceverino contigit poſtrid. Cal. Ian.

cIↃIↃcLIII.

ΦΕῦ τῆς ναυφθορίας. τί δὲ φεῦ; πανόλβιος ἄτη
Ηγε μοι, οὔτ' ἀνίας ἀξία τοῦ δοκέει.
Ἀνδρῶν γάρ τε σόων ἑκατὸν, μέγα κέρδος ἔμοιγε
Ισον ἔῃ νηῶν πλῆθος ἀπολλύμενον.

Idem.

HEu grave naufragium! cur heu? felicia certè,
Non hæc digna gravi damna dolore puto.
Servatis centum ſociis, me judice, lucrum
Grande ſit & centum deperiiſſe rates.

Idem.

NAufragium in portu non portu naufraga noſtro
Fecerit infelix una nec una ratis.
Invitâ pelagi rabie vectoribus ipſis
Conſtitit in media peſte reperta ſalus.
Quiſquis es, immeritâ noſtras detractor arenas
Naufragii properas depreciare notâ;
Litoris Hollandi ſtatio malefida carinis,
Eſto, ſed eſt civi non malefida ſuo.
Fecimus id damno lucri: quà pupis & una &
Altera, bis centum non periiſſe viros.

Prono Moſellâ navigans menſe Septembri.

NIhil Moſellâ floret elegantius,
Quòcumque vultum flexeris, pleni Deo
Montes loquuntur ſucculentum gaudium.
Hilares, Amici, tranſigamus hos dies;
Utrimque navigatur inter pocula.

In

In Auſonii Moſellam. Ibidem.

SUbſcribo, vir magne, tuis meritòque libenſque
Grandibus auguſti fluminis elogiis:
Omnia dixiſti veriſſimus, omnia quadrant;
Obſtrictus pleno jure Moſella tibi eſt.
Si quà Pictorem tamen aut egiſſe Poëtam
Viſus es, atque omnem non meruiſſe fidem,
Viſus es hoc ipſo, quòd quantum utrimq; Moſellæ eſt,
Laudibus apparet grandius eſſe tuis.
Macte vel hac Famâ; primus de gente loquaci
Auſus es & veris inferiora loqui.

In Auguſtam Trevirorum, longâ belli calamitate exhauſtam. Ibidem.

NEſcio quid fueris, nec quæ te gloria, quæ te
Auguſtam priſcis gratia fecit Avis:
Vix hodiè Treveris meritò mihi diceris, in qua
Vix ego tres memini me reperiſſe viros.

Epitaphium Gaſparis Duarti.

DUartus hìc, hìc alter Amphion jacet,
Quem quæ canendo ſaxa vivus moverat,
Adhuc ſequuntur. Nempe qui buſtum tegit,
Huc ipſe ſe congeſſit auditor lapis.
Dubitas, Viator? Me vide, me, quod fleo,
Majoris inſtar æſtima miraculi,
Magnæ viri virtutis & ſcientiæ
Stupore quondam, nunc dolore ſaxeum.

Ad Schurmannam, Coloniæ, ut tum credebatur, commorantem.

NOndum tota lates veteres peregrina Batavos;
Nec vel Agrippinæ condita, Virgo, ſinu:
Vicimus, inventa es; nec quæ penetrare receſſus
Una tuas poſſet, Swannia diva fuit.

Sive viam prior oſtendit Dux fœmina facti,
Sive rati curſum Fata dedere meæ,
Vicimus, & Batavos quamvis invita videbis,
Quemque libet, vel quem non libet, Hugenium.
Miraris, miranda? Vide quæ geſſimus olim
Audaces modò non inferiora viri.
Scilicet hìc fugias quem non effugeris olim,
Nec Perſas inter tuta nec Æthiopas?

Colon. Agripp. Septembri.

In obitum BALZACII.

OCcidit, audi Rhetorice, neque neſciat ipſe
Livor, in hoc alio Tullius orbe novus.
Hei mihi, diſſidium infelix, quam ſæcula linguam
Nulla tacere velint, Fata vetare loqui.

Epitaphium ejuſdem.

GRatiæ ad hunc tumulum, quod apud Phaetonta
Aureolis faciunt fletibus officium. (ſorores
Uno plorantes variant diſcrimine turmæ;
Nempe quod hæc Fratrem lugeat, iſta Patrem.

Mulier maſculus.

MAs minor eſt Mulier, mentem ſeu membra pute-
Ergo vir eſt mas & maſculus eſt mulier. (mus:

Euchariſtia.

ADſum vocanti, accumbo, quando ſic jubes,
Vocatus hoſpes hoſpite indignus Deo,
Nec mens repugnat, nec rebellem ſpiritum
Adverſa Cœlis armat obſtinatio.
Si quâ repugno parte non ſanus mei,
Has inter, has perennis eſt diſſenſio,
(Quam quando pace, pace compones tuâ?)
Corpus tuum, Redemptor, & corpus meum.

cIↃ IↃ CLV.

Epitaphium Dan. Heinſii.

HEinſius hìc ſitus eſt; quantus vir, parce, viator,
Quærere, quod nemo neſcit, ubique ſcies.

In ejuſdem morbum & mortem.

SCiverat Heinſiades quantum neſcire fatentur
Quos neſcire nihil credere fama jubet.
Ultima lento ſubrepens inſcitia morbo
Reddidit infantem, nec ſine laude, ſenem:
Succeſſit melior fugiente ſcientia; poſtquam
Omnia deſivit ſcire, mori didicit.

In effigiem Olai Wormii ipſius Muſæo præfixam.

ECce viri vultum, cujus de munere, Lector,
Maxima naturæ munera munus habes.
Tot cimelia complexus cimelion ipſe
Wormius hæc inter tanta legendus erat.

CON-

CONSTANTINI HUGENII

EPIGRAMMATUM

LIB. XII.

Ex FRANCISCI QUARLII *Inſtitutionum Theologicarum & Moralium Enchiridio Anglico*

ΑΠΟΚΝΙΣΜΑΤΑ.

CENTUR. II.

I.

PRomiſſus favor eſt infans quem fœdere facto
Judicium Pater, & Mater genuere voluntas.
Qui ſtat promiſſis parientem liberat, hiſce
Qui non ſtat, necat infantem. Si gignitur ille
Patre procul, nothus eſt; ſed alendus utriq; parenti.
Judicio ſi diffidis, promittere noli:
Si promiſiſti, fuge non præſtare: duorum
Rectius eſt, ſervare nothum, quàm perdere natum.

CENTUR. II.

I.

A Promiſe is a childe of the Vnderſtanding and the Will: the Vnderſtanding begets it, the Will brings it forth: He that performes it, delivers the Mother. He that breaketh it, murthers the Childe. If it be gotten in abſence of the Vnderſtanding, it is a Baſtard, but the child muſt be kept. If thou miſtruſt the Vnderſtanding, promiſe not; If thou haſt promiſed, breake it not. It is better to maintaine a Baſtard, then to murther a childe.

Placere

VI.

PLacere ſi vis omnibus, vanæ ſpei es:
Si diſplicere ulli times, vani metus:
Si vis tibi placere, fac placeas bonis:
Si diſplicere vis bonis, vulgo place:
Placere ſi potes omnibus, ſequitur Deo
Te non placere, qui omnia eſt in omnibus.

VI.

IF thou hope to pleaſe all, thy hopes are vaine, if thou feare to diſpleaſe ſome, thy fears are idle. The way to pleaſe thy ſelfe, is not to diſpleaſe the beſt; and the way to diſpleaſe the beſt, is to pleaſe the moſt: if thou canſt fashion thy ſelfe to pleaſe all, thou ſhalt diſpleaſe him that is All in All.

VII.

SI negligas amare proximum, Deum
Amare fruſtra jactitas. Amor Dei
Producit illum, & hôc fovetur invicem.

VII.

IF thou neglecteſt thy love to thy neighbour, in vaine thou profeſſeſt thy love to God: for by thy love to God, the love to thy neighbour is begotten; and by the love to thy neighbour, thy love to God is nouriſht.

Myſterú

IIX.

MYſteriorum inſcitia ipſa mater eſt
Fidei beantis: veritatis cognitæ
Notitia ſacræ mater eſt ſcientiæ.
Ne intellige ut firmes fidem; crede, ut magis
Intelligas. Stipendium intellectus eſt
Fidei, hæc modeſtæ præmium ignorantiæ.

IIX.

THy ignorance in unrevealed Myſteries is the Mother of a ſaving faith; and thy underſtanding in revealed Truths; is the Mother of a ſacred knowledge: underſtand not therefore that thou mayſt beleeve; but beleeve that thou mayſt underſtand; Underſtanding is the wages of a lively faith, and faith is the reward of an humble ignorance.

X.

AMiſiſſe doles nummos? amiſit eoſdem
Ille prior, poſt quem nempe fuere tui.
Deſine torqueri: tanti ſit, perdere poſſe,
Quæ poterant Dominum perdere, divitias.
Iſta quidem tanto minor eſt jactura periclo:
Hæc tua, at his poteras tu minus eſſe tuus.

X.

HAſt thou loſt thy money, and doſt thou mourne? Another loſt it before thou hadſt it; Be not troubled: Perchance if thou hadſt not loſt it now, it had loſt thee for ever: Think therefore what thou rather haſt eſcaped then loſt: perhaps thou hadſt not been ſo much thy owne, had not thy money been ſo little thine.

XI.

NOli placere de fide tibi tua,
Si charitatem proximi neglexeris.
Nec charitatem attende, ſi careas fide:
Cares utrâque, utramque ni conjunxeris;
Si dividantur, utramque mortuam puta.

XI.

FLatter not thy ſelfe in thy faith to God, if thou wanteſt Charity for thy neighbour; and think not thou haſt charity for thy neighbour, if thou wanteſt faith to God; Where they are not both together, they are both wanting; They are both dead, if once divided.

XVII.

SI pauper eſſe non velis, parum cupe.
Non dives eſt qui poſſidet quàm plurima;
Sed plura qui non expetit quàm poſſidet;
Et pauper eſt, non ille qui quamplurima
Non poſſidet, ſed ille plurimorum egens nimis.
Αυτάρκης animus non eget quibus caret,
Avara mens, non hæc modò quibus caret,
Sed hæc item quæ poſſidet, non poſſidet.

XVII.

IF thou deſire not to be too poore, deſire not to be too rich: He is rich, not that poſſeſſes much, but he that covets no more: and he is poore, not that enjoyes little, but he that wants too much: The contented mind, wants nothing which it hath: the covetous mind wants not onely what it hath not: but likewiſe what it hath.

Us

XIX.

VT tute rebus, imperet Ratio tibi:
Ubi Ratio tibi, tu imperabis pluribus:
Ut Microcoſmi ſis Monarcha, tibi impera.

XIX.

THe way to ſubject all things ſo thy ſelfe, is to ſubject thy ſelfe to reaſon: thou ſhalt governe many, if Reaſon governe thee: Wouldeſt thou be crowned the Monarch of a little world? command thy ſelfe.

XX.

SI charitate largus eſſe cogeris,
Tacitèque velles quæ dediſti non data,
Non munus hoc donare, ſed relinquere eſt.
Niſi te exuis, cuncta exue, exuis nihil.
Qui non amat quæ poſſidet, benè omnia
Reliquit, & quæ poſſidet non poſſidet.

XX.

THough thou giveſt all thou haſt for charity ſake, and yet retaineſt a ſecret deſire of keeping it for thy owne ſake, thou rather leaveſt it then forſakeſt it: He that hath relinquiſht all things, and not himſelfe, hath forſaken nothing; Hee that ſets not his heart on what he poſſeſſes, forſaketh all things, though he keepe his poſſeßions.

Quicunquē

XXII.

QUicumque Rex regni eſt ſui; ſi affectus eſt
Obtemperans, Ratio regens, regnum bonum eſt;
Si regnat ille, rebellis eſt; quem ni necas,
Tete exuet regno tuo. Nil inter eſt
Necem rebellis atque vitam Principis.

XXII.

EVery man is a King in his owne Kingdome. If Reaſon command and paſſion obey, his Goverment ſpeakes a good King: If thine inordinate affection rules, it ſhews a proud Rebell; which, if thou deſtroy not, will depoſe thee: There is no meane betweene the death of a Rebell, and the life of a Prince.

XXIV.

SI magna tractas, impera curis modum
Horaſque modicas: tenſa chorda perpetim
Enervat arcum; adductio velocior
Diſrumpit arcum. Solve curas cum toga;
Quies labori robur addet improbo,
Labor quietis reddet acceptas vices.

XXIV.

IF thou haſt any buſineſſe of conſequence in agitation, let thy care be reaſonable, and ſeaſonable: continuall ſtanding bent weakens the bow: Too haſty drawing breaks it. Put off thy cares with thy cloathes: So ſhall thy reſt ſtrengthen thy labour; and ſo ſhall thy labour ſweeten thy reſt.

XLVII.

SI dignitatem conſequi nummis paras,
Perpende nummos quo modo congeſſeris.
Labore ſi acquiſiveris, ſapientiâ
Servato; ſin vi; redde pœnitentiâ.
Si res relicta eſt, digna ſit virtus tua
Cui ſit relicta; ita dignitatem tutiùs
Meliùſque habebis, & minore impendio.

LXVII.

IF thou deſire to purchaſe Honor with thy wealth; conſider firſt how that wealth became thine: If thy labour got it, let thy Wiſedome keepe it: If oppreſſion found it, let Repentance reſtore it: If thy Parents left it, let thy vertues deſerve it: So ſhall thy Honor be ſafer, better, and cheaper.

LV.

SI dives es, fac imperes pecuniæ,
Ut illa ne imperet tibi: pecuniâ
Si nôris uti, ancillam habes peccuniam;
Si neſcias, pecuniæ tu ſervus es.

LV.

IF thou art rich, ſtrive to commande thy money, leſt ſhe command thee: If thou know how to uſe her, ſhe is thy Servant: If not, thou art her Slave.

Si

LIX.

SI ſeriò vis fortis eſſe, injuriam
Cave cuiquam feceris : timet malum,
Qui facere non timet malum. Nunquam timens
Temerarius dici meret : ſemper timens,
Effœminatus. Ille verè fortis eſt,
Qui nil patrare quàm quod æquum eſt audeat,
Nec quid timet, niſi quod timere debeat.

LIX.

IF thou deſire to be truely valiant, feare to doe any Iniury : Hee that feares not to doe evill, is alwayes afraid to ſuffer evill : Hee that never feares, is deſperate : And he that feares alwayes, is a coward : He is the true valiant man, that dares nothing but what he may, and feares nothing but what hee ought.

LXIII.

QUi cuncta dat, quamvis parum, dat plurimum,
Quia cuncta dat. Nec dona reſpicit Deus,
Sed dona dantem: plura qui velit dare
Quàm ſit facultas, par ſibi donum dedit,
Et ſic dediſſe plus poteſt quam poſſidet.

LXIII.

HE that gives all, though but little, gives much; becauſe God lookes not to the quantity of the gift, but to the quality of the givers : He that deſires to give more then hee can, hath equall'd his Gift to his deſire, and hath given more then he hath.

LXX.

Non dare pauperibus, rapere eſt: niſi paſcis egenũ,
Occidis quantùm potis eſt; homicida vocari
Sacrilegusque fugis? miſeris ſuccurre libenter.

LXX.

Not to give to the poore, is to take from him: Not to feede the hungry, if thou haſt it, is the utmoſt of thy power to kill him: That therefore thou mayſt avoyde both Sacriledge and Murther, be Charitable.

LXXVII.

THeſaurus, Aurum, eſt Cæſaris, Dei eſt homo:
Imaginem Aurum Cæſaris fert, tu Dei.
Da Cæſari quod Cæſari dari decet,
Et quæ Deo dari decet, Deo dato.

LXXVII.

Gold is Cæſars Treaſure; Man is Gods: Thy Gold hath Cæſars Image; and thou haſt Gods; Give therefore thoſe things vnto Cæſar which are Cæſars; And thoſe things vnto God, which are Gods.

LXXIIX.

SI peccas, plus te metuas quàm terreat alter.
Unicus eſt contra te teſtis quilibet: ipſe
Tu teſtes tibi mille vales. Licet effugis illum,
Te non effugies: mala ſunt ſibi pœna ſuique.

LXXIIX.

IN the commiſſion of evill, feare no man ſo much as thy owne ſelf: Another is but one witneſſe againſt thee; Thou art a thouſand: Another thou maiſt avoyd, but thy ſelf thou canſt not; Wickedneſſe is its owne puniſhement.

LXXX.

MAſcula ſit, tempeſtiva & moderata voluptas:
Si contemplator, corpus quæ recreet; aut, ſi
Non contemplator, mentem; firmare laborem
Quæ valeat feſſi, vel quæ lenire quietem.

LXXX.

LEt thy Recreation be manly, moderate, ſeaſonable, lawfull; If thy life be ſedentary, more tending to the exerciſe of thy Body; If active, more to the refreſhing of thy minde. The uſe of Recreation is to ſtrengthen thy labour, and ſweeten thy reſt.

LXXXI.

COrrector eſſe ne velis; neſcis enim
Quem judices. Magis ille dexter error eſt,
Bene de malo, quàm de bono loqui malè.
Amore peccans tutior quàm quælibet
A non amore prodiens ſententia eſt.
Culpare ſolus, qui vacat culpâ, poteſt.

LXXXI.

BE not cenſorious, for thou know'ſt not whom thou Iudgeſt; It is a more dextrous error to ſpeake well of an evill man, then ill of a good man; And ſafer for thy judgment to be miſled by ſimple Charity, then uncharitable Wiſedom: He may taxe others with a priviledge, thath hath not in himſelfe, what others may taxe.

LXXXII.

CAve dignitatem cujus autor nummus eſt;
Nec enim perennis illa, nec plenè tua eſt.
Quodcumque opes peperere idem ſervant opes.
Mox atque opes periere, dignitas perit;
Et illa ſemper lubrica eſt felicitas
Quam læta ſors dat, dura, cum volet, rapit,
Nec poſſideri digna quam nox unica
Abolere flammis poſſit, aut undis mare.

XXXXII.

TAke heede of that Honor which wealth hath purchaſed thee, for it is neither laſting, nor thine owne: What money creates, money preſerves: If the wealth decayes, the Honor dyes; It is but a ſlippery happineſſe which fortunes can give, and frowns can take; and not worth the owning which a nights fire can melt, or a rough Sea can drowne.

Toto

LXXXIV.

TOto beatus ſæculo adde & alterum,
Et his beatus adde mille ſæcula,
Millena decies porrò: de tot millibus
Iam finietur ultimum cum cæteris,
Et cuncta devorabit una æternitas.
Qui natus hoc ipſo die eſt, unum diem
Victurus an ſit certus eſſe non poteſt,
Senex & infans ſunt pares: felicitas
Senis eſt fuiſſe; infantis eſt felicitas
Quod eſſe poſſit: uterque certus eſt mori.
Non eſt beatus ille qui vixit diù,
Nec non beatus ille qui vixit parum;
Beatus eſt vitâ bonâ functus bene.

Citius mori, vel tardius, ad rem non pertinet: benè mori, aut malè, ad rem pertinet. Benè autem mori eſt effugere malè vivendi periculũ. Sen. ep. 70.

LXXXIV.

SPend a hundred years in Earths beſt pleaſures; and after that a hundred more; to which being ſpent, add a thouſand; and to that ten thouſand more, the laſt ſhall as ſurely end, as the firſt are ended, and all ſhall be ſwallowed with Eternity: He that is born to day, is not ſure to live a day; He that hath lived the longeſt, is but as he that was born yeſterday: the Happines of the one is, that he hath lived; the happineſſe of the other is, that he may live; and the lot of both is that they muſt dye: It is no Happines to live long, nor unhappineſſe to dye ſoon: Happy is he that hath liv'd long enough, to dye well.

LXXXVI.

INjuriâ ſi affectus es, fac vindices;
Sed fortiter: contemne; & eſt affectum opus:
Condona; & eſt effectum opus. Sub ſe jacet,
Quicumque non quamcumque ſupra injuriam eſt.

LXXXVI.

HAth any wronged thee? Be bravely reveng'd: Sleight it, and the work's begun; forgive it; and 't is finiſht: he is below himſelfe that is not above an Injury.

CENTUR. III.

I.

SI quem laborem ſumpſeris in re bona,
Vaneſcit ipſe labor, manetque ipſum bonum.
Si fortè te oblectaveris in re mala,
Vaneſcit oblectatio, manet malum.
Nocere præteritus labor nulli poteſt,
Prodeſſe nulli perdita oblectatio.

I.

IF thou take paines in what is good, the paines vaniſh, the good remains: If thou take pleaſure in what is evill, the evill remaines, and the pleaſure vaniſhes: What art thou the worſe for pains, or the better for pleaſure, when both are paſt?

III.

RUgare vultum pluſculo riſu fuge,
Ne fortè ridiculum bonis te præbeas.
Ne ſolve mentem gaudio frequentior,
Ne vanus æſtimere. Vana gaudia
Ridicula ſunt dementiæ ſuburbia,
Nimiuſque riſus civitas dementium.

III.

WRinckle not thy face with too much laughter, leſt thou become ridiculous; neither wanton the heart with too much mirth, leſt thou become vain: The Suburbs of folly is vain Mirth, and profuſeneſſe of Laughter is the City of fools.

VII.

EPatria ſi expulſus es, tibi imputa.
Si patriam elegiſſe curaſſes bonam,
Nec exul eſſes: tute ſi regno tuo
Bene imperaſſes, omne regnum eſſet tuum.
In patria exul ſtultus eſt; in patria eſt
Sapiens, & exul. errat ille, hic iter facit.

VII.

ARt thou baniſht from thy owne Country? Thank thy owne folly: Hadſt thou choſen a right home, thou hadſt bin no Exul; Hadſt thou commanded thy own Kingdom, all Kingdomes had beene thy owne: The foole is baniſht in his owne Country. The Wiſeman is in his own Country, though baniſht: the foole wanders; The Wiſeman travels.

XII.

AGnoſce noxam noxius, noxâ cares.
Qui confitetur, ad ſalutem iter facit,
Cui diſplicent peccata, duplicat gradum;
Si deſerit peccata, confectum eſt iter.

XII.

IF thou would'ſt be juſtified acknowlegd thy injuſtice: He that confeſſes his Sinne, begins his journy towards Salvation: Hee that is ſorry for it, mends his pace: He that for ſakes it, is at his Iournies end.

XIII.

QUam reprehendis ipſe fac careas culpâ:
Quod ſordidâ attrectas manu, magis ſordet.

XIII.

BEfore thou reprehend another, take heed thou art not culpable in what thou goeſt about to reprehend. He that cleanſes a blot with blotted fingers, makes a greater blur.

XIV.

FUge ebrioſus eſſe, ne te omnes boni.
Ubi vina regnant, exul eſt mentis vigor,
Peregrina virtus, hoſtis exardens Deus,
Facundia eſt jurare, rumor abdita.
Noachus horâ publicavit ebrius
Quod ſobrius ſex ſæculis velaverat.

XIV.

BEware of Drunkenneſſe, leſt al good men beware of thee; Where Drunkneſſe reigns, there reaſon is an exul; Vertue, a ſtranger; God, an Enemy; Blaſphemy is wit, Oaths are Rethorick, and ſecrets are Proclamations. Noah diſcoverd that in one houre, drunk, which ſober he kept ſecret ſix hundred years.

Quæ

XV.

QUæ pauperi donaveris, furi eripis:
Quæ pauperi negaveris, fur poſſidet.
Theſaurus, arca pauperum, ipſius Dei eſt.
Si pauperi das, debitorem habes Deum.

XV.

WHat thou giveſt to the Poore, thou ſecureſt from the Thiefe, what thou withhold'dſt from his neceßity, a Thiefe poſſeſſes, but Gods Exchequer is the poor mans Box: when thou ſtrik'ſt a Tally, he becomes thy debtor.

XIIX.

UT filium videas probum, videat patrem:
Malè filium carpit pater mali reus.
Exempla quàm præcepta plus pueros docent.
Præſentibus quæ filiis audent patres,
Patrare & his abſentibus filI ſolent.

XIIX.

IF thou deſire to ſee thy Child vertuous, let him not ſee his Fathers vices: thou canſt not rebuke that in them, that they behold practiſed in thee; Till Reaſon be ripe, Examples direct more then Precepts. Such as thy behavior is before thy Childrens face, ſuch commonly is theirs behind their Parents backs.

Myſteria

XX.

MYſteria indagare ne nimium velis;
Ne quod neceſſe eſt negligas, dum quæritas
Quod nec neceſſe eſt. Tutius de rebus eſt
Dubitare, quarum incerta ſit ſcientia,
Quàm diſputare velle de myſteriis.

XX.

BE not over curious in prying into Myſteries; leſt by ſeeking things wich are needleſſe, thou omitteſt things wich are neceſſary: It is more ſafe to doubt of uncertaine matters, then to diſpute of undiſcover'd Myſteries.

XXII.

FAc diſputando veritas appareat
Incerta potiùs quàm potens argutia.
Subſtantiam illud, hoc inanias dabit.
Fruſtra ferit non igneam ſilicem chalybs.
Athleta veritatis eſto, & huic fave.
Qui veritati obnititur, vinci ſtudet;
Sin victor eſt, in gloria eſt inglorius.

XXII.

LEt the end of thy Argument be rather to diſcover a doubtfull Truth, then a commanding Wit; in the one thou ſhalt gaine ſubſtance; In the other froth: That flint ſtrikes the ſteele in vain, that propagates no ſparkles; Covet to be Truths Champion, at leaſt to hould her Colours: Hee that pleads againſt the truth, takes paines to be overthrown: or, if a Conqueror, gains but vain-glory by the conqueſt.

Animæ

XXVI.

ANimæ ſalutem, ſanitatem corporis,
Rem proſperam & famæ decus ſi diligis,
Amare ſcortum ſpernito: nomen bonum
Ære gravat alieno; ut hoc luas labris
Jubet, ſinu retentat, ulnis carcerat:
Exiſtimatione ſalvâ hinc non abis,
Nec niſi quadrante liberaris ultimo.

XXVI.

IF thou deſire the happineſſe of thy Soule, the health of thy Body; the proſperity of thy Eſtate, the preſervation of thy credit, converſe not with a Harlot: Her eyes run thy reputation in debt; Her lips demand the payment; Her breſts arreſt thee; Her armes impriſon thee; from whence, beleeve it, thou ſhalt hardly get forth till thou haſt either ended the dayes of thy Credit, or pay'd the utmoſt farthing of thy Eſtate.

XXIX.

SI collocâris in ſolo partas opes,
Cœlo repoſtas repperire neſcias.
Auferre ſperes quà nihil confers tui?
Animæ ſaluti & gloriæ datum Dei
Cœlo repoſtum & unicè & verè tuum eſt:
Quodcumque terrâ condis amiſſum puta.

XXIX.

IF thou hide thy Treaſure upon the Earth, how canſt thou expect to finde it in Heaven? Canſt thou hope to be a ſharer where thou haſt repoſed no ſtocke? What thou giveſt to Gods glory, and thy Souls health, is laid up in Heaven, and is only thine; that alone, which thou exchangeſt, or hideſt upon Earth is loſt.

XXX.

NE quære quàm moleſta ſit vitæ via,
Nec ambulanti quære quam jucunda ſit:
Quò tendat, hoc attende; & hoc, ubi deſinet.
Si commoda eſt, ſuſpecta ſit; ſi incommoda,
Fer, ut ferenda eſt: propriam ſocordiam
Accuſat ultrò, qui viæ moleſtiam:
Quicunque pravâ detinetur, ilicet,
Sperare vitæ neſcit exitum bonum.

XXX.

Regard not in thy Pilgrimage how difficult the paſſage is, but whither it tends; nor how delicate the Iourney is, but where it ends: If it be eaſie, ſuſpect it; if hard, endure it: He that cannot excuſe a bad way, accuſes his own ſloth; and he that ſticks in a bad paßage, can never attaine a good Iournies end.

XXXI.

OPes honoris ſemen & corruptio eſt:
Et natus eſt & ſervus eſt honos opum.
Ereptum honori redditur nummis decus.
Ubi facta nummis fama Mercenaria eſt,
Quæſitus eſt nummis honos: contemnere
Si noveris utrumque, verè es nobilis.

XXXI.

Money is both the generation and corruption of purchaſd' Honor: Honor is both the Child and Slave of potent money; The credit which Honor hath loſt, Money hath found: When Honor grew Mercenary, Money grew Honorable. The waye to be truly Noble, is to contemne both.

XXXIII.

SI vanitati ſubjaces, hanc ne fove:
Si vult foveri, animos ei non addito:
Robuſta ſi fit, eſto tu robuſtior:
Si facta robuſtiſſima eſt, precibus doma:
Si non domatur, adde & hìc jejunium:
Si perſtat uſque & uſque, tu perſta magis:
Patientiam mox addito, jam victor es.

XXXIII.

IF thou be ſubject to any great vanity, nouriſh it not: If it will be entertained, encourage it not: If it grow ſtrong, more ſtrongly ſtrive againſt it; if too ſtrong, pray againſt it; If it weaken not, joyn faſting to the Prayer; if it ſhall continue, adde Perſeverance to both; If it decline not, adde Patience to all, and thou haſt conquered it.

XXXIV.

INjuriâ ſi læſus es, fer & ſile.
Illata verbis plaga lenitur bonis,
Crudeſcit ægris; ſi queas ignoſcere,
Oblivione porrò tota obducitur:
Jnjuriam victure fortiter minùs
Opponis argumenta quàm ſilentium.

XXXIV.

HAth any wounded thee with injuries? meet them with patience; Haſty words rankle the wound, Soft language dreſſes it, and oblivion takes away the ſcar. It is more Noble by ſilence to avoid an Injury, then by Argument to overcome it.

Æqua-

XXXVII.

ÆQualiter natos ama: ſi non facis,
Fac neſciatur: ne invidioſus ille ſit,
Hic invidendus, neve uterque inſaniant.
Natura ſi quid fecerit diſcriminis,
Boni parentis eſt, favere debili.
Ad hoc tribunal iniquus eſt judex amor.

XXXVII.

LOve not thy Children too unequally; or if thou doſt, ſhew it not, leſt thou make the one proud, the other envious, and both fools: If Nature hath made a difference, it is the part of a tender Parent to helpe the weakeſt. That triall is not faire, where affection is the Judge.

XXXIIX.

SI pauperi donaveris, conſidera
Non quàm merenti dona, ſed quàm pauperi.
Meritum petentis nempe non pendet Deus;
Modum erogandi pendet. Indigno datum eſt?
Humanitati, quidquid eſt, datum puta.

XXXIIX.

IN giving of thy Almes, enquire not ſo much into the perſon as his neceſſity: God looks not ſo much upon the merits of him that requires, as into the manner of him that relieves: If the Man deſerve not, thou haſt given it to humanity.

Si

XLII.

SI corrigenti iraſceris, confeſſus es
Bene cenſuiſſe; ſi placet correctio,
Fateris iracundiæ culpam tuæ.
Bene corrigenti quiſquis eſt qui vult malè,
Accendit iram iniquus ultoris Dei.

XLII.

IF thou be angry with him that reproves thy Sin, thou ſecretly confeſſeſt his reproof to be juſt: if thou acknowledge his reproof to be juſt, thou ſecretly confeſſeſt thy anger to be unjuſt. He that is angry with the juſt reproover, kindles the fire of the juſt Revenger.

XLIV.

NOli jocator eſſe, ne fias jocus.
Habitus jocandi proximus dementiæ eſt.

XLIV.

LEt not mirth be thy profesſion, leſt thou become a make-ſport. He thath hath but gain'd the Title of a Ieſter; let him aſſure him ſelf, the fool's not far of.

LVII.

SIlere, ſtulti maxima eſt prudentia:
Sermone contra agnoſcitur ſapiens ſuo.
Sapiens haberi ſi cupis, verbis proba,
Diffiſe verbis finge te ſilentio;
Æquè ſapis, ſi inſcitiam velaveris
Simulando, quàm ſi detegas ſcientiam.

LVII.

SIlence is the higheſt wiſdome of a foole, and Speech is the greateſt triall of a Wiſe man; If thou would'ſt be known a Wiſe man, let thy words ſhew thee ſo; If thou doubt thy words, let thy ſilence feign thee ſo. It is not a greater point of Wiſdom to diſcover knowledge, then to hide ignorance.

LX.

PRivata famulum puniat correptio:
Si publica, occalleſcit offenſus pudor.
Si deſijt puer eſſe, plagis abſtine:
Jneptus eſt qui ſerviat, qui verbera
Poſt verba commeretur, aut hæc digerit.

LX.

REbuke thy Servants fault in private; publique reproof hardens his ſhame: If he be paſt a youth, ſtrike him not. He is not fitt for thy ſervice, that after wiſe reproofs will either deſerve thy ſtrokes, or digeſt them.

LXII.

REi caducæ dulcis expectatio eſt,
In ſempiterna dulcior poſſeſſio.
Hæc ſpem coronat, illa fit ſpei pudor.
Iter pudendum eſt, cujus omnis in via
Inanis eſt dulcedo, nulla in exitu.

LXII.

THings temporall, are ſweeter in the expectation: Things Eiernall are ſweeter in the fruition: The firſt ſhames thy hope, the ſecond crowns it: It is a vain Iourney whoſe end affords leſſe pleaſure then the way.

Fac

LXIII.

FAc ipſe te cognoris ut timeas Deum:
Cura Deum noviſſe, quem ſic diligas.
Illâ arte candidatus, hac ſapientiæ es
Myſtes: Dei timor caput ſapientiæ,
Amare eundem Legis eſt impletio.

LXIII.

KNow thy ſelfe, that thou may'ſt feare God: Know God, that thou mayſt love him; in this, thou art initiated to Wiſdome, in that perfected: The feare of God is the beginning of Wiſdome: The love of God is the fulfilling of the law.

LXIV.

SI prævidere noveris periculum,
Minus metu præverte quàm prudentiâ.
Timor futuri cauſſa præſentis mali eſt.
Si prævenire geſtias, cura feras.
Sapientis eſt vitare prævifum malum,
Patientis eſt perferre, fortis vincere.

LXIV.

IF thou haſt providence to foreſee a danger, let thy prudence rather prevent it, then feare it. The feare of future evills, brings oftentimes a preſent miſchiefe: Whilſt thou ſeek'ſt to prevent it, practiſe to bear it. He is a Wiſe man that can avoid an evill; he is a patient man that can endure it; but he is a valiant man that can conquer it.

LXV.

SI admotus ad Rempublicam es, provinciam
Tuere juſtitiâ, & ſimûl clementiâ:
Donis abhorre: dona quæ accipit manus
Obcæcat oculos. Hunc ubique adhibe modum;
Iniquitatem plecte, virtuti fave,
Odium à ſeveritate quæ nimia eſt cave,
Contemptum ab indulgentia præter modum.
Sic juſtus eſto, ut jure poſſis diligi;
Sic eſto clemens, ne timeri deſinas.

L X V.

IF thou haſt the place of a Magiſtrate, deſerve it by thy Iuſtice, and dignifie it with thy mercy: Take heed of early gifts. An open hand makes a blinde eye: Be not more apt to puniſh vice, then to encourage vertue. Be not too ſevere, leſt thou be hated, nor too remiſſe, leſt thou be ſleighted: So execute Iuſtice, that thou mayſt be loved; ſo execute mercy, that thou mayſt be feared.

LXX.

EXſolve ſervo pauperi ſtipendium,
Ut ne tuo te fraudet exactor Deus,
Si conqueratur fortè, blandis auribus
Audi querentem; ne querelam deferat
Cælo audienti. Si tuâ cauſſâ indiget,
Tu propter illum inproſperè victurus es:
Quadrans egeni diviti inſtar peſtis eſt.

LXX.

DEtaine not the wages from the poore man that hath earn'd it, leſt God withold not thy wages from thee: If he complain to thee, heare him, leaſt he complain to Heaven, where he wil be heard: If he hunger for thy ſake, thou ſhalt not proſper for his ſake. The poor mans penny is a plague in the rich mans purſe.

Vitæ

LXXIV.

VItæ quietem ſi cupis, fac juſta ſit:
Injuriam qui non facit, nullam timet:
Injuſta mens laborat, ut faciat malum
Malè deſtinatum, aut vitet id quod intulit.

LXXIV.

IF thou deſire reſt unto thy Soule, bee juſt: He that dot! injury, feares not to ſuffer jnjury: The unjuſt mind is alx in labour: It either practiſes the evill it hath projected; or proje- to avoyd the evill it hath deſerved.

XC.

CAlumniâ impetitus es? tecum puta,
Vaceſne culpâ: ni vacas, factum bene,
Vel, ſi vaces, nec inutilis correptio eſt.
Hanc applicato & hanc tibi; fel melleum,
Et hoſtem apertum arcanum amicum feceris.

XC.

IF any ſpeake ill of thee, flee home to thy owne Conſcience, and examine thy heart: If thou be guilty, 't is a juſt correctio n; If not, 'tis a faire inſtruction; Make uſe of both, ſo ſhalt thou diſtill hony out of Gall, and out of an open Enemy create a ſecret friend.

XCIII.

SApientiam affectando dum parcis loqui,
Nimium ſilendo ne arguas dementiam.
Si ſtultus es, ſilentium ſapientia eſt;
Nimium ſilere, ſi ſapis, dementia eſt.
Stultus ſapientem ut ſæpe non ſinit loqui,
Sapiens loquacem, non loquens, ſtultum facit,
Et hujus ille ſit reus dementiæ.

XCIII.

TAke heede whilſt thou ſheweſt Wiſedome in not ſpeaking, thou betrayeſt not thy folly in too long ſilence. If thou art a foole, thy ſilence is Wiſedom: If a Wiſe man, too long ſilence is folly: As too many words from a fools mouth, gives a Wiſe man no leave to ſpeake: Soo too long ſilence in a Wiſeman, gives a foole the opportunity of ſpeaking, and makes thee guilty of his folly.

XCVII.

SI proſperos vivis dies, inproſperis
Paratus eſto. Singulæ Æſtates ſuas
Brumæ ſequuntur: qui ſecundis non ſerit,
Non invenit quod rebus adverſis metat.

XCVII.

SEeſt thou good dayes? prepare for evill times: No ſummer but hath his winter: He never reapd' comfort in Adverſity, that ſouw'd it not in Proſperity.

Nec

XCIX.

NEc inviis nec aviis verum latet.
Profitere verum candidè, ſequitor palam.
Si cum timore faxis, indignè facis.
Indignus eſt qui veritate gaudeat,
Qui fraudulenter veritatem quæritat.

XCIX.

TRuth haunts no corners, ſeeks no by-ways: If thou profeſſe it, doe it openly: If thou ſeeke it, doe it fairely: He deſerves not to profeſſe Truth, that profeſſes it fearfully: He deſerves not to finde the Truth that ſeekes it fraudulently.

CENTUR. IV.

VI.

SI publicum munus cupis, tibi excide:
Si publicum munus capis, tibi dic vale.
Quicunque privum lumen ad Rempublicam
Affert, inepto ſublevat lumen vitro.
Domeſticum & morale publico nocet:
Qui publicam ſumit togam, ſuam exuat.

VI.

IF thou deſire Magiſtracy, learn to forget thy ſelf; If thou undertake it, bid thy ſelfe farewell; Hee that looks upon a common cauſe with private eyes, looks through falſe Glaſſes. In the exercise of thy Politique Office, thou muſt forget both Ethicks and Oeconomicks. He that puts on a publicke Gown, muſt put of a private Perſon.

FINIS.

alupl 2257762 07-21384

ps / 9